


B. I. 1

+

Illmus: S. R. I. Princeps D. Albertus Stanislaus Radziwil, Dux in Olyka, et Nieswiez, ex singulari affectu erga nostrũ Ordĩm. Camald. Eremo Montis Reggij librũ hūc dono dedit. Anno 1644. 8. 10bris.



Erem: Camaldul
prope Varsaviam





Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Domino,

D. IOANNI

A LIPE

LIPSKI,

Dei & Sedis Apoſtolicæ Gratia

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, ac Primo Principi;

ALBERTVS STANISLAVS RADZIVIL.



On diu hæſit voluntatis meæ deliberatio, cuinam Libellum, de Suſpirio Animæ pœnitentis, conſcriptum, dedicarem, cùm Senatus noſtri Princi-

)(pem

pem præterito anno creatum, Te Illustrißime & Reuerendißime PRÆSVL, *Electione cæli, & consensu Regio viderim. Suspiria, quæ Tu in abscondito Cordis Creatori offerrebas, ita Te eleuârunt, vt raro saltu gradibus aliorum Episcopatuum trasilitis, ex Culmensi Cathedra, in Supremam Regni Sedem Senatoriam ascenderis. Quid mirum? Raro ingenio locus sublimis debebatur, Pietatis & Prudentiæ alis exaltatus es. Notârunt omnes, & ego, cùm Romæ ante viginti quatuor annos simul moraremur, Studiorum, & Lectionis varietate considerata, deuotionisq; assiduitate Tuâ animaduersâ, Te Regentem appellare præsciâ voce auderemus. Quod duplici omine approbatum: Nam vidimus in reditu liminum Regni, eo munere, in Cancellaria Regis functum: Referen-*

fe endarij officio postea à Rege SIGISMVNDO, Pietatis alumnos amante, decoratum, quo tempore, Tua dicta & facta, & scripta, adeò Tuam Personam, & Poloniam, illustrârunt: vt mea aure teste, Caput Vrbium, Tuæ prudentiæ stylum, honore & laude debitâ affecerit. Iam feliciter regnante VLADISLAO IV. Episcopatus Culmensis meritis & virtutibus conspicuum, plenis amplexibus, in Pastorem, Regiâ collatione, Te receperat; conquerentibus alijs Thiaris, quæ Tibi imponi, Ecclesiastici cultûs propagandi gratiâ, desiderio æstuabant: Aula verò orbata tanto Viro, Suspiriorum fauore condoluit, libenterq́; omninò Sigilli dignitate insignitum, fausto omine acclamâsset. Interim, ne solita prudentia vacuum à Curis Te relinqueret, Legationis mune-

re, pro Sereniſſima Regina Noſtra CÆCILIA RENATA *à Rege deſtinatus, Viennam petiiſti; vbi quale iudicium Germania, & Caput Imperij, de Te tulerit, cùm publico præconio ſonet, malo verecundiæ Tuæ complacere, quàm fugitiuum laudis, rubore conſpergere. Satis eſt, non potuiſſe amplius Tuam Sapientiam capere Culmenſem Mitram, neceſsè fuit, vt alis Aquilarum Albæ & Nigræ promotûs, ſuper candelabrum Archiepiſcopatus Gneſnenſis, & repetito nomine Regentis totius Senatûs poſitus, Doctrinâ, Modeſtiâ, Deuotione, facundiâ, dexteritate rerum gerendarum, Senatuî, & Regno præluceres. Hinc Suſpiria congratulatoria bonorum omnium (ſolis paucis Inuidiæ Suſpirijs gementibus) effuſa, quæ reuireſcere Conſiliorum authoritatisq́; prærogatiuâ,*

tiuâ, Ecclesiam, Rempublicam, Libertatem, fatentur. Primatus ergò Tuus, cùm & Spirituali, & Sæculari dignitate emineat, rectè Libellus de Suspirio, quod ex materia Spirituali Anima, & corporea, procedit, Tibi offertur: agnoscendo Te in Schola Suspiriorum Cælestium adeò profecisse, vt verè, Illustrissime Princeps, sis Spiritualis, videlicet Spiritus Sancti alis edoctus, Contemplationisq; doctrinâ eruditus. Accipe ergò à Sæculari Spiritualem, de Suspirio, grato animo, Conceptum; quem prudentiæ Archiepiscopalis iudicio subijciendo, nomine Tuo promulgaui: rogans, vt me amore, beneuolentiaq; Tuæ gratiâ consuetâ, amplecti velis. Deus interim longæuam vitam Tibi proroget, vt cui in terris Principem locum in Senatu Polonico attribuit, eun-

dem maturum annis & meritis, inter Principatus in Aula Cælesti collocet, quod voto, & Suspirio Fraterno, Tibi, Illustrißime PRÆSVL*, comprecor. Datæ Warsau: Die 19. Mense Nouembri. Anno Domini, M. DC. XXXIX.*



AD LECTOREM.

CIrcumſpiciendo mē-te, totius Chriſtianitatis Europeæ motus & turbas, quibus mortales per viginti amplius annos iactantur; gemitus, ſuſpiria, & lachrymarū guttas hactenus effuſas, quis calculo iuſto notare auderet? Ille nouit, & numero aſſecutus eſt, qui dixit: *Capilli capitis veſtri numerati ſunt:* At non indiuidua, vel ſingulari, ſed ſpecifica, vel generica computatione difficultatis plurimū intercederet, ſi quis aſſequi

numerum præsumeret. Suspiria sunt dolorosa, ob amissorum pignorum, genitorum, bonorum, fortunarumq́; recordationem. Suspiria sunt querulosa, ob iniustam Causarum decisionem. Suspiria sunt clamorosa, ob duriorem scapularum tractationem. Suspiria sunt timorosa, ob metum vicinarum direptionum. Suspiria sunt anxia, ob futurorum malorum suspicionem. Suspiria sunt generosa, ob inferiorum vel parium comparationem. Suspiria sunt rabiosa, ob non æqualem

vindictæ ſubſecutionem. Suſpiria ſunt animoſa, ob famæ ab alijs detractionem. Suſpiria talia ſunt venti, quibus calamitatum tempeſtates aduehuntur, & propagantur. Diuerſi etiam generis ſunt Suſpiria: Ob minus æquam, pro peccatis commiſsis, ſatisfactionem: Ob diuturniorem in mundo conuerſationem: Ob deſiderium æternorum gaudiorum. Hæc, & præterita mala extinguunt, & præſentia emolliunt, & futura expirare faciunt. Quid verò cauſæ ſit, cur Chriſtianus ſanguis

mutuis gladijs laceretur, continuoq; nexu Martis, alternante fortunâ, ex bellis bella ferantur? non alia fortè excogitari poterit, quàm ſiccitas & neglectus Suſpiriorum: Quæ indignationem furoris Diuini peccatorum fomite ſuccenſam, quam gemitu, ſuſpirijs, lachrymis, mitigare valerent; riſu, cachinis, tripudijs, varioque ſcelerum ceno, magis accendere ſatagunt, hinc coacta ſuſpiria & fletus, maiori menſura euaporare iubentur. Talis meditatio inceſſerat cor meum, videndo

animam meam suspiriorum ariditate præualentem, vt rorem & fructum aliquẽ humoris spiritualis instillarem, Libellum, de Suspirio animæ pœnitentis, agricultura rudi (qualem inter occupationes sæculares, & defectum ingenij, licuit operari) excolere, Deo inspirante, cogitaueram: hunc confectum, & meæ Animæ, & omnibus ad legendum exposui, in sex libellos dispositum collegi. Sex enim diebus, labore vnius verbi, FIAT, Deus fabricâ mundi occupabatur, septimo quieuit.

Septimus libellus alterius sæculi, expers suspiriorum, requie & voluptate mentis legetur ex contemplatione Conditoris. Opusculi huius Primus Libellus, *De Suspirio in genere:* alij quinque ex consideratione Beneficiorũ Diuinorum, comparatione quinque vulnerum Christi concepti. Suspirium enim ex gratitudine reciprocâ in Deum excitatum, magis meritorium, gratiæque amplioris Diuinę erogatorium. Proborum vita, & Deo coniunctorum, Suspirijs ferè alitur, & nutritur, tum ex gra-

titudine Beneficiorum, tum ex dolore offenſarum, tum ex rubore tẽtationum. Hoc poſtremum, graue cordibus Deo iunctis accidit. S. Paulus inquit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphiſet.* Explicat hunc locum concinnè Bell: (cuius verba, licet longiora, viſum fuit perſcribere) comparando elegantiſsima ſimilitudine tentationem Colaphis: [Quemadmodum Colaphi, non tam dolore, quàm pudore afficiunt: ita tẽtationes, animas caſtas & puras, maxi-

ma

ma quadam verecundia & rubore afficiunt. Si ſponſa aliqua pudica, & caſta, coram ſponſo, quem valdè diligit, & à quo vehementer diligitur, ab aliquo Lenone ſollicitaretur, an non maximo pudore ſuffunderetur? Ita quoque Animæ Sanctorum, quæ perpetuò Deum ante oculos intuentur, cupiunt toto animo puritatem, & nihil in ſe videre quod Deo diſpliceat; & tamen aliquando pati coguntur fœdiſſimas cogitationes. Cupiunt ſpiritûs paupertatem, & tamen ingerunt ſe cogitatio-

nes & deſideria pecuniaru: cupiunt veram humilitatem; & tamen aliquando ſentiunt motus ſuperbiæ, & inanis gloriæ, exoriri. Iſta omnia quid ſunt aliud, quam Colaphi Dæmonis; qui licet non noceant, ſi eis non conſentiamus, tamen rubore afficiunt, & tanto rubore, vt B. Benedictus maluerit inter ſpinas iacere, & D. Franciſcus in niue, tempore frigidiſsimo, volutari, & Sancti cæteri res grauiſsimas pati, quàm cum iſto rubore viuere. Dicebat aliquando S. Franciſcus: Tolerabiliùs vi-

ro ſpirituali, ſine compara-
tione aliqua, maximum fri-
gus ſentire in carne, quàm
vel modicum ardorem libi-
dinis carnalis in mente.]
Rogauit Doctor gentium,
vt auferretur tentatio hæc,
& rubor; aſſumpſerat ſuſpi-
ria & lachrymas in adiutori-
um, tamen non impetrauit.
Imò multum obtinuit, audi-
tâ voce: *Sufficit tibi, Paule,*
gratia mea. Efficax eſt ſuſpi-
riorum impetus ad exoran-
dum Numen ſupremum.
Rubor enim tentationum
veluti vẽtilabro Suſpirij cæ-
leſtis diſſipatur. Si ergo ti-

bi, o Lector, non displicebit labor talis qualis meus, mecum age Deo gratias, cuius ira tam facili ariete suspiriorum expugnatur. Vale, & cœlum suspira: Vt possis dicere in vltimo suspirio Agoniæ, cum Dauide: *Conuertisti Deus planctum meum*, (& suspirium meum) *in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.*



EGo M. IACOBVS VSTIENSIS, S. Theol: & I. V. Doctor, ac Professor, Libellum, cuius titulus est, Suspirium Animæ pœnitentis, ab Illustrissimo Domino, D. ALBERTO STANISLAO RADZIVILIO, Duce in Olyká & Nieświez, M. D. L. Cancellario, ex summâ in Deum deuotione, magno excitandæ feruidioris pœnitentiæ in cordibus fidelium desiderio confectum, legi. Et quia, perquam erudita eius tractatio, Catholicam doctrinam suauiter ad pœnitendum inuitantem, accuratè instruentem, & efficaciter inflammantem, continet, vt tanti adeoq; pientissimi Herois labor, in rem salutis animarum quàm plurimarum cedat, illum prælo subijciendi, concedo facultatem.



IE

S V
AN

L



ſentis
conſ
Deo
ram
do, i
amo
ſpera
lætiti
gene
Anti

IESVS, MARIA, ANNA.

Veni sancte Spiritus, &c.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMVS.

Pròœmium.

CAPVT PRIMVM.

SVSPIRIVM potissimùm tessera, index, animæ dolentis, amantis, vel vtriusq; absentis vel præsentis obiecti; prauæ conscientiæ reprobandum, placitæ Deo optandum & imitandum. Si terram suspirat anima, dolēdo & amando, ignem eliciet non finiendum; amore sublato, cruciatus absq; cura sperata manebit. Si cœlum spirat, lætitia enascetur, æternum amorem generans, dolore oblito. Exprimit Antiphona Ecclesiastica: *Non erit am-*

plius, neq; luctus, neq; clamor, ſed nec vllus dolor, quia priora abierunt. Intelligit terminum ſæculi mortalis. Relinquatur mūdus cum ſuis amoribus & doloribus. Ego tibi, ô Anima mea, ſuſpirium cæleſte perſuadere cupio: iam ſatis indultum genio; vtinam genas, genua vſq; pertingētibus, profūderes lachrymis, ſuſpirio præeunte, concomitante, conſequente. Pædagogum Inſtructoremq; Regem Cytharædum habeto: Optimè ſaltatur Rege præludente, præeminētia purpuræ, dexteritate ſonus adiunctâ, inuitat ad conſonandum; multæ chordæ ſonoram vocem diſtincto tactu educunt; Pœnitentia, Deſiderium, Singultus, Rugitus; Tremor, Afflictio, eiuſdem ſunt Genealogiæ, parenteſq; ſuſpirij ac lachrymarum, catenatim iunguntur, cæleſti Muſicæ congruæ, Angelorum melodijs textū præponentes: *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente.* Origo pœnitentiæ, vnde fons peccati. oculis ac gutture Eua deli-

Luc: 15.

querat

querat pomi degustato sapore, lachrymis fæditas oculorum abstergatur; guttur suspirio eiectione amaritudinis fatigetur; Strophiolum è sudario Veronicæ aptum erit, & instar speculi, in quo facies innocentium lachrymarum visa, commouebit nocentissimarum effusionem. licet inæqualitas summa, pro sanguine aquâ rependere: tàm exiguâ Deus contentatur gratitudine, nec suspirium spernit. Daniel vir desideriorum appellatus, & ideò coronatus. Saltẽ, Anima mea, pauxillo recrea cœlum suspirio; educ è visceribus saxei cordis placationem iræ Diuinæ. Veritas in passione protulit: si in viridi tanta passus Christus, quid in arido sperãdum? Innocentia ipsa, alienas mutuata iniquitates, quanta perpessa? Tu Anima mea, propria delicta grauiora Inferno pondere, lachrymis non eluis? vel suspirio intenso flammas, expectantes vltionem, non extinguis? Væ terræ, vbi siccitas prædominatur. Elias aliquot annorũ detinuerat hu-

morem, quanta fames secuta? Anima, caue siccitate superari: ligna arida concipiunt facilè focum: si messem speras, lachrymarum rore consperge, suspirio aëreo moderare æstũ inordinatum, imbecillitate naturæ ebullientẽ; manipulos æternæ requiei cum exultatione portabis. Collige fasciculum Psalmorum Doctoris suspirij, numerum Cẽtum Quinquaginta adæquant Psalmi: nullus ex illis, aut explicitè, aut implicitè reperietur exemptus à Cythara luctûs; ne mireris, edoctus à subtili Magistro, hic laureã perfectionis attribuit testimonio errori exempto; *Inueni Dauid virum secundum cor meum*: vt distinctiùs, Anima, consideres Psalmorum melodiam, in Ternum Iubilæum diuidentur, Quinquaginta cuilibet Capiti assignando.

Annotatio de Fletu & Suspirio Quinquaginta Psalmorum.

CAPVT II.

Initium

INitium Cytharæ primi Pſalmi, attende : *Lignum quod plantatum ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Prophetico ſpiritu animaduertit Crucem Chriſti, plantatam ſecus decurſum lachrymarũ : optima plantatio, ſiccitatem non admittit. Anima, vt det fructum tẽpore mortis, decurſui aquarum vicinari debet, quidni ſanguinum? Meditatione æquiparantur oculorum guttæ, & gutturis ſuſpiria ſanguini Diuino. Tantum ineſt precium Pœnitentiæ æſtimatione Angelorum : viſi non rârò trutinantes in libra cœleſti Cœlites ſuſpiria; & gemitus, gẽmarum inſtar, offerentes Maieſtati ſupremæ. Pſal: 1.

Rex Reges monet : *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Regere promittit in virga ferrea Principatum: timor ſeruilis contemnitur à cœlo; filialis amore ſuperinducto arridet : ex timore tali, tremor exultationis producitur; filius hæres corre- Pſal: 2.

ptus, breui lachrymas & ſuſpiria interuallat tripudio, occupãs relictam hæreditatem, & Regnum: omnes correcti virgâ pœnitentiæ, prærogatiuâ Regiâ æternitati fulgebunt.

Pſal: 3. *Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me?* Tribulatio, eiuſdem farinæ cum ſuſpirio & lachrymis.

Pſal: 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilatáſti mihi.* In cubili compunctio, inferiùs ibidem nominata, fletu & ſuſpirio, dilatat cor peccatoris ad excipienda dona cæleſtia.

Pſal: 5. *Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.* Aure cæleſti, vult intelligi, ac in extenſione clamoris ſuſpirijs & lachrymis vocem eleuat.

Pſal: 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Munditie Regiâ præcellebat, ideò lauatio quotidiana: notanda, ò Anima, abundantia & diuturnitas lachrymarum compũcti peccatoris.

Deus meus, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Non defuêre ſuſpiria & gemitus, nec liquor luminum humanorum, vbi perſecutio dorſo vicina. Pſal: 7.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum & vltorem. Infantes & lactentes plorant frequentiùs: myſticè regenerati pœnitentiâ, delinquentes, deſtruunt planctu Dei aduerſarium & vltorem delictorum. Pſal: 8.

Factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Procul iam lætitia mortalis, auxiliumq; ſæculi. Pſal: 9

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Dextra iaculatio timetur ſagittarum in obſcuro, hi catorum aciem viſûs imitâtur: non quærenda fuga, vbi latibula ſuſpiriorum & lachrymarum opponuntur, euadet ictum pœnitentiâ protegente. Pſal: 10.

Propter miſeriam inopum, & gemitum Pſ: 11

pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: Quietem Dei abſque impedimento rumpit ſuſpirium, non auditur niſi in cœlo: globus igne concepto, aëre impellitur, penetratq; ad terminum; ſuſpiriũ aëreis pulmonibus emiſſum, igne veri amoris pulſum, petit cœlũ.

Pſal: 12. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?* Dies vita hominis, quem fortaſſe definit non eſſe niſi continuum dolorem: bonũ conſilium, quamdiu tamen Dei iudicio reclinandum.

Pſal: 13. *Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt:* Non deſperat, inopiæ ſpem in Dei auxilio collocando, non ſine verecũdia, quę nec gemitu caret.

Pſal: 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Lachrymæ, gemitus, emundant ingreſſum cæleſtem: tanta vis ineſt pœnitentiæ.

Pſal: 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei.* Chriſtus Calicem, ſanguine infuſo, loco hæreditatis reliquit; ipſe verò hæres vult fieri viciſſim calicis,

ſi non ſanguinis, certè lachrymarũ.

Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Non euaſerat ſuſpiria, dum protegi optat. Pſal: 16.

Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Expellere circuitum doloris decebat ſimili torrente, videlicet æquitatis. Pſal: 17.

Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Occultis proprijs & alienis parcere, non decuit aliter, niſi conciliante tacito ſuſpirio & fletu. Pſal: 18.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Orationi ſuſpirium annexum, velociùs in anguſtia pacificat æternum Numen. Pſal: 19.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Impetratum lachrymis & pœnitentiâ, vt manus vindex feriret aduerſarium. Pſal: 20.

Circumdederunt me vituli multi: Tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. Summa tribulatio, viciniâ beſtiarum cruentarum includi: quod remediũ eua-

dendi? Subiungit ibidem: *Sicut aqua effusus sum*: ecce pharmacum afflictionum, aquam oculorum obtulit, nec suspirium defuit necessariò.

Psal: 22. *Impinguâsti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est.* Calix Domini visibilis in horto, non vino, cruciatibus futuris impletus; at impinguat caput oleo gratiæ cælestis: vt possit anima bibere Calicem, commixtio fiat sanguinis Christi, cũ lachrymis, & proderit saluti.

Psal: 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, &c. Quia ipse super maria fundauit, & super flumina præparauit*: de qua terra intelligit, non reticuit. *Quis ascendet in montem Domini?* Terram, animæ sociam indiuisibilem, super flumina & maria lachrymarum fundare necesse, vt ascendatur mons ille æternus.

Psal: 24. *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.* Labor, sudore guttarum emanans, veniam meretur.

Psal: 25. *Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.* Clamorem, ge-

mitum ignis amoris educit, ergo liberè fatetur ſequenti verſu: *Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt.* Continuit gemitum & clamorem miſericordia excita vtroque.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me. Nemo gemitus lachrymaſq; tum abſentes clamori crederet. Pſal: 26.

Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas. Si toto corpore rogat, certò ſuſpirijs vrget & lachrymis petitionem. Pſal: 27.

Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum. Non admittetur neq; ad ſedem, neq; ad regnum æternitatis, niſi lachrymarum diluuio habitaculo in oculis præparato. Pſal: 28.

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Veſpera hic agitur ætatis: deflendum ergò vt matutinũ ſempiterni gaudij poſſideri poſſit. Pſal: 29.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Cauſa explicatur in poſteriori linea: *Quam magna multitudo* Pſal: 30.

dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Vita dolore plena, & anni gemituum, dulcedinis futuræ multitudine compensantur. Liberè itaque protulit : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Approbata verba, Christi crucifixi ore, in vltimo verbo edito : Preciosum suspirium pro remissione peccatorũ totius mũdi emissũ.

Psal: 31. *Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum cõfigitur spina.* Propter flagella continua Dei, conuersio fit ad agnitionem grauitatis peccati; tum excurrunt lachrymæ, gemitusque assidui.

Psal: 32. *Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauru abyssos.* Sale deuotionis conspersæ lachrymæ, in Thesauro abdito Dei ponuntur: congregatæ in vtre, in vno videlicet loco æternitati fælici proprio, collocantur.

Psal: 33. *Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.* Non tripudio, sed suspirio afflictio occupatur & fletu, quibus propè est Dominus, partim admiscens consolationes, partim depellens tri-

bulati-

bulationes. Re compertum interiùs eodem Psalmo: *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Post afflictionem, misericordiam sine fine introducens.

Quasi lugens, & contristatus, sic humiliabar. Deliciæ exclusæ, & fastus Regius; vbi tristitia & suspiria occupauêre cor. Psal: 34.

Torrente voluptatis potabis eos. Dicit à Deo de Electis: In cœlo hoc fiet; hîc transire Torrẽtem passiuum oportet: sequi nimirum caput Christum, in lachrymis, & planctu. Psal: 35.

Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum. Abundè suspiria emittuntur mortificatione intumescente, à consideratione peccatoris: vt quò maior subsannatio iusti, eò vberior suspirij retributio. Psal: 36.

Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Et suprà: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Totus Psalmus resolutus in suspiria, & lachrymas: Sic illuditur mundus; tacito suspirio, etiam inter delicias, aperitur cœlum. Psal: 37.

Pſal: 38. Repetit ſuſpiria, & gemitus : *Ob-
mutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis,
& dolor meus renouatus eſt.* Veteris, no-
ua ſuſpiria, dolore pœnitentiæ ſub-
miniſtrante, reuocat.

Pſal: 39. *Circumdederunt me mala, quorum non
eſt numerus : comprehenderunt me iniquita-
tes meæ, & non potui, vt viderem.* Nec nu-
merum ergo lachrymarum, & ſuſpi-
riorum, notârat Dauid in tam multi-
plici comprehenſione; videre etiam
haud potuit, guttis ſtillantium ex o-
culis imbrium obcœcatus.

Pſal: 40. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum do-
loris eius : vniuerſum ſtratum eius verſáſti in
infirmitate eius.* Terribiles gemitus in
lecto doloris, quid non in verſatione
ſtrati emittuntur? Succubuerunt pe-
des afflictioni, nec requies lectulo
conſeruatur.

Pſal: 41. *Fuerunt mihi lachrymæ panes, die ac no-
cte.* Vnde tanta fames, vt noctu & die
eſuriat Rex? ignotæ dapes Monar-
chiæ, pœnitentiæ ſtomachus diuer-
ſorum genere ferculorum ſatiatur, ſi
ſatiatur; cùm & nox vix ſufficiat ap-
petitui.

Apertè instruit Cytharam: *Confitebor tibi in Cythara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea; & quare conturbas me?* Ingratus pulsus amicis mundi: mæstitiam exulare vellent semper; ideò in inferno manebit afflictio in æternũ. Cytharedus autem spe concludit: *Spera in Deo*, Anima turbata, consolationem salutari vultu consecutura. Psal: 42.

Tota die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me. Verecundia laude digna, quam exprimit pœnitentia; si adhuc operit faciem confusio humore lachrymarum acquisita. Psal: 43.

Sagittæ tuæ àcutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Tribulatio habet efficaciam penetrandi corda inimicorum Dei, vt sagitta; amicos efficiendo, & humiliando ad terram, compunctione & mœrore suspirijs mixto. Psal: 44.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Situs ad fluuium non displicet oculis: quid si oculi ipsi abundent flumine contritionis? Lætificãt, & ipsi læ- Psal: 45.

tabuntur in ciuitate superna.

Psal: 46. *Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.* Homo quid, nisi terra? excelsum amet, terribilem veniâ lachrymosâ deprecetur.

Psal: 47. *Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum: ipsi videntes, sic admirati sunt, cõturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Peccatrix Anima, considerans periculum damnationis, in quo tàm diu fuerat, turbatur, commouetur, dolet, gemit, suspirando gratiam Dei; nec status Regius exemptus, nec oculi excepti à signo compunctionis: Lachrymarum tamen testimonium aduocandum.

Psal: 48. *Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei circumdabit me?* Iniquitatem calcanei, extremum vitæ appellat, tũc non erit locus pœnitentiæ; totam vitam planctu transigere suadet Dauid, ne timeatur in die tremendi Iudicij.

Psal: 49. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Respuit iustitias oris animæ delinquentis, depreca-

tionem

tionem innuit suspirio, per os immisso, & pœnitentiã oculorũ desiderat.

Dele iniquitatem meam: ampliùs laua me ab iniquitate mea. Hysopo lachrymarum cupit deleri peccata; cor cõpunctione & suspirio nouit Creatori non displicere in sacrificiũ offerẽdo. Psal: 50.

Annotatio aliorum Quinquaginta Psalmorum, de eodem Fletu, & Suspirio.

CAPVT III.

Secundum Iubilæum Psalmorum continuat Dauid.

ALiena peccata reprehendendo, gloriam peccati damnat: *Quid gloriaris in malitia? qui potens es in iniquitate.* Ergo humiliationẽ virtutis subinferendo, distincta prædicat Gloria. *Ego autem, sicut oliua fructifera, speraui in misericordia.* Oliua maturo humore repleta, lugubri ferculo infunditur: quid non viua Oliua? suspirans spe Psal: 51.

viua, misericordiam mensæ gloriolæ inferretur.

Psal: 52. *Quis dabit ex Syon salutare Israël, cùm conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ.* Sumitur captiuitas pro forma; id est, pro personis captiuis : Optat eripi à captiuitate, & obliuisceretur lachrymarum & suspiriorũ, quis crederet?

Psal: 53. *Ex omni tribulatione eripuisti me : & super inimicos meos despexit oculus meus.* Aliqui verterant: respexit oculus, purificatus per lotionem aquæ pœnitentis, vti crystallum, nitiditate innocentiæ restitutâ.

Psal: 54. *Cor meum conturbatum est in me : & formido mortis cecidit super me.* Turbatum cor palpitat, iuuatur suspirijs: ideò pennas columbæ (cuius proprietas gemitus) assumere anhelat.

Psal: 55. *Deus, vitam meam annunciaui tibi : posuisti lachrymas in conspectu tuo.* Translatio ab oculis delinquentis, in conspectum remittentis : Amore digna potio, quâ conceditur æterna portio.

Psal: 56. *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam.* Insidias e-

uitare cupiens inclinatione ; id eſt, continuâ ſollicitudine, ac mæſta, ſuſpirans: pondus afflictionum gremio tolerantiæ geſtare conſueuerat.

Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens : intendit arcum ſuum, donec infirmentur. Inimicitia Dei peccato acquiſita, lachrymarum decurſu breuiſſimo euaneſcit : infirmitaſq; tribulatione concepta, arcum Dei iratum deponit. Pſal 57.

Eripe me ab inimicis meis, Deus meus. & ſtatim: *Eripe me de operantibus iniquitatem : & de viris ſanguinum ſalua me.* Melius, ſanguinem ſitiẽti, aquam opponere. Circa finem itaq; Pſalmi, decantat fortitudinem Dei: placatum pœnitentiâ, liberâſſe ſe ab inimicis ſanguinem cupientibus. Pſal: 58.

Commouiſti terram, & conturbâſti eam: ſana contritiones, quia commota eſt. Hæc intueri poterat quis ſiccitate oculorum, & incompuncto corde? Certè vulnera abſq; dolore non ſanantur. Pſal: 59.

A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum. Omnibus membris Pſal: 60.

anxie-

anxietati subuenit; nec oculi otiosi, nec os vacuum gemitu.

Psal: 61. *Effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum.* Exiguum vas cor repletum, euaporat duobus ostijs, ore suspiriorum, oculorumque lachrymis.

Psal: 62. *Sitiuit in te anima mea.* Spiritus non sitit, caro Deum sitire non potest: vterq; indiget misericordiâ Diuinâ, spirat anima suspirijs. Plenipotentia carnis integræ, oculi madent lachrymis. Hæc congrua vtriusq; sitis.

Psal: 63. *Dum deprecor, à timore inimici eripe animam meam.* Conclusa timore anima Dauidis, peccatis onerata, deprecatur ereptionem: non mirum, si singultus, lachrymæ, orationi præbeant assistentiam.

Psal: 64. *Visitâsti terram, & inebriâsti eam.* Et infra: *Riuos eius inebria,* (id est terræ) *multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans.* Homo, terra es, Riui, oculi; si pluuia spiritualis stillabit virtutes, fructum proferet cum germine læto, nunquam cessaturo.

Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium. Velox transitus suspirij amoris & aquæ lachrymarum, dum viuitur: at refrigerium perenne, brauium comprehensum, præmio amborum; ignis petit astra, aqua operit emundatque terrena, ijsque supernatat. Psal: 65.

Confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum. Arida anima, siccitate sæculari terræ inclusa, id est, corpori, guttarum decidentium luminibus, fæcundo fructu supernaturali, mollificatur. Psal: 66.

Pluuiam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ. Ecce mollificatio à voluntate Spiritus Sancti gratia extra merita procedens, terram replet perfectione cœlesti. Psal: 67.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Tantùm iam gutture spirabat Rex, amissâ voce: oculi quoque lachrymarum decursu defecerunt, consolabatur spe veniæ. Eliberatus, redditâ voce exclamat: *Lauda-* Psal: 68.

bo no-

bo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Quanta energia ſuſpiriorum, & lachrymarum?

Pſal: 69. *Ego verò egenus & pauper ſum.* Iuncta paupertas egeſtati, gemitu & fletu mitigatur: ſi adiutorium petit, intenſiùs vtrumq; repetit, vt ſuſpirio audiatur, vt lachrymis commiſerationem demereri poſſit.

Pſal: 70. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas: & conuerſus viuificâſti me.* Anima inquinata maculis, à morte peccati pœnitentiâ reſurgit, conſolata mirificè ſpe indulgentiæ, & conſequendæ vitæ æternæ.

Pſal: 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Oculorũ pœnitentium pluuia in vellus illud aureum, VERBVM incarnatum, deſcendens, ſicut ſtillicidia ſtillantia ſono maximo demittuntur, vt in cœlo exaudiantur: Negabiturnè gratia? Abſit.

Pſal: 72. *Laui inter innocentes manus meas: Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Peccatorum ſordes abſter-

ſit pœnitentia, continuata die integro; dolor, & lachrymæ, & gemitus, & tribulationes, conuenticula iucundo aſpectu cœli celebrauêre.

Ne auertatur humilis factus confuſus: pauper, & inops, laudabunt nomen tuum Pœnitentia rubore ſaginatur; & proprium eſt humilium, pauperum, deprecari, laudareq; remittentem: quod à diuitibus & ſuperbis deſpicitur. Pſal: 73.

Liquefacta eſt terra, ego confirmaui columnas eius. Confirmat electam animam Deus, robore perſeuerantiæ, ſi corpus diſſoluitur planctu: ſi iſte reijcitur potus, ſequitur ibidem: *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto, & inclinauit ex hoc in hoc: verùmtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Fæce æternitatis lamentabilis nunquam ceſſante, potabuntur damnati. Pſal: 74.

Terribili & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Non auferet ergo ſpiritum compunctorum, Dominus, imò faciet ſpirare ſpiritum ſpiratione Principum æternorum, & Pſal: 75.

manſuetum Agnum ſe præbebit Regibus terræ.

Pſal: 76. *Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & defecit ſpiritus meus.* Spernendo conſolationes, anima fidelis, tranſitorias, memoriâ ſolâ Dei, ſpiritus ſuſpirijs euacuabitur, mundabiturq; ſcopis meditationum ſpiritualium.

Pſal: 77. *Quanta mandauit Patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera.* Congerie beneficiorum, & cumulo gratitudinum, Pſalmo hoc cõciliat fauorem pœnitentiæ, & dolori, cuilibet animæ reæ in prototypon imitandæ.

Pſal: 78. *Vſquequo Domine iraſceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus.* Ignis non niſi aquâ annihilatur: quanta vis lachrymarum, vt Dei furorem extinguat? Recepta animæ exuli à gratia Dei, experientiâ comprobata. His verbis, madidis certè oculis, vſu Dauid, finit Pſalmum: *In generationem, & generationem*; annunciando laudem Creatoris.

Pſ: 79 *Cibabis nos pane lachrymarum: & potum*

dabis no-

dabis nobis in lachrymis, in mensura. Iam post sitim & defectũ toties spiritûs, conuiuium insigne, & potus, & cibi, lachrymæ; spiritualis manna gustui obediens. Mensura excedens mensuram, æterno mensurante præmio.

In tribulatione inuocâsti me, & liberaui te: exaudiui te in abscondito tempestatis. Tempestas vẽtos & pluuiam miscet, exauditur à longè, at solem abscondit. O Anima, sola in abscondito placa suspiriorum & lachrymarum cõmotione Solem increatum; serenum patebit cœlum. Psal: 80.

Eripite pauperem, & egenum de manu peccatorũ liberate. Agnoscit miseriam cõstitutionis animæ in sordibus peccati: cupit eliberari certò, nulla tum suspiriorum, & lachrymarũ obliuio. Psal: 81.

Deus meus, pone illos vt rotam: & sicut stipulam ante faciem venti. Calamitas peccantium, rotarum circumuolutioni comparatur; vt stipulæ ventorũ dissipatione iactantur. His mederi oculo effusâ scaturigine fletus, ori emissione suspirij audere concessum. Psal: 82.

Psal: 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Si vallis lachrymarum tabernaculum animæ corpore cinctæ: cur tanta charitas in oculis? Si vallis, quomodo ascensus cordis disponitur? Madida scala, decipit ascensorem quandoque; at pulverem inquinamentorum abstergant lachrymæ: lachrymas exsiccet ventus suspiriorum, ponetur anima in loco, quem æterna fælicitas Dei assignarat dispositione.

Psal: 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.* Nubes ex lachrymis & gemitibus confecta, operit peccata animæ: pœnitentiæ procuratione euincente remissionem.

Psal 85. *Misericordia tua* (Deus) *magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Meritò extollit misericordiam anima, eruta ex inferno, adhuc inferiori: peccatum est infernus, pœna peccati infernus, æternitate centrum non agnoscens. Ex profundo cordis singultus suspirij, & acie ocu-

lorum

lorum deprōptus fletus animæ, misericordiæ Diuinæ causæ efficientes, hæc vltra infernum dominatur.

Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Psal: 86.
Nulla anima cōcipit intellectu, fundatorem cœli, hominem fieri debere: vulneribus & cruci condemnatum, ore & oculis, fletu & suspirio; ergo comitetur admirationem.

Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia. In carcere, Psal: 87.
quid nisi squallor speratur? anima tradita peccato iugo diaboli, eo agnito languet inopia planctus, sitique oculorum laborat.

Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Paternum flagellum, verbera, & virga, inuitas producunt lachrymas: anima verò pœnitens producat spontaneas, addat suspiria, euadet correctionem, inueniet misericordiam. Psal: 88.

Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Æter- Psal: 89.

nitate maledicta numeratur ira Diuina, abbreuiatur pœnitentia; cuius fructus, lachrymæ & suspiria, coarctant numerum iræ, misericordiâ numerante.

Psal: 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Assistentia prōpta Dei, animæ angustatæ, sed quando est? dum liberat *à Verbo aspero.* Verbum hoc interpretatur D. Bernard: Ite maledicti in ignē æternum. Tunc cùm anima est, veriùs anima cum illo, vocata per verbum: *Venite*, possidete regnum; eripitur, & glorificatur.

Psal: 91. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam: & veritatem tuam per noctem.* Lucet prosperitate misericordia Dei animæ, nocte in tenebris apparet Iustitia, dolore & fletu exoluitur, & satis fit Iustitiæ, Dauidis exemplar viuum. Inferiùs enim approbat: *In decachordo Psalterio, cum cantico in cythara,* decantando Iustitiam, versam in Misericordiam.

Psal: 92. *Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.* Supereminent elationes

lachrymarum fluctibus maris, ipsum cœlum tacita pœnitens gutta titillat: certè mirabilis Deus, mirabilis & pœnitentia placans Deum.

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes lætificauerunt animam meam. Fortè error Regis mensurantis: centuplum excedit dolorem consolatio superna lætificans animam: in gratia legis constitutus non errat; si in hac vita vtriusque æqualem ponit mensuram, in altera relinquitur immensuratum præmium doloris. Alacriter, Anima, propositum decurre certamen, lachrymâ, suspirio, comprehendendum. Psal: 93.

Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino. Consuetudo doctrinæ aulæ cœlestis, præuenire faciem iræ Dei ploratu, & prostratione corporis, cum gemitu cordis rei. Væ, quos ira Dei præuenit, suspiria, & lachrymæ æternæ sequūtur. Psal: 94.

Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius. Spiritualis hostia in atrio mundi (cœlum Psal: 95.

enim palatium, vel domus nuncupari poterit) ſi offertur Deo per confeſſionem, contritionemq; cordis, cum ſuſpirio & lachrymis, accepta cœlo.

Pſal: 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Peccatum, malorum maximum, odio digniſſimum amantibus Deum: ſi ódium incurritur Dei, quomodo non fletu, & ſuſpirio, eraditur?

Pſal: 97. Iubet Dauid pſallere in duplici cythara, in voce tubæ corneæ, cauſa: *Iudicabit* (Deus) *orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.* Iudicium Dei terribile, illud cythara decantat, & timorem, & amorem exprimit, hic timore, verecundiâ, ſuſpirio, lachrymis, inſtruat anima cytharam. In cœlo Cythara amoris plena, æquitatem prædicabit inter illos, quos Apocalypſeos oculatus teſtis vidit, Cytharizantes in Cytharis ſuis.

Pſal: 98. *Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.* Lachrymis, & ſuſpirijs, nubes ſpiritualis vt columna concreſcet, ſydera pertingens, tali medio obſcuro, mun-

do ſer-

do sermone, colloquium Dei, anima obnoxia scelere, impetrabit.

Populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius in confeßione, atria eius in hymnis, confitemini illi. Porta cœli aperitur confessione delicti animæ: Angustâ portâ, leue suspirium non excludetur, nec gutta oculi subtilis, Hymnus gratus Deo. Psal: 99.

Misericordiam, & iudicium, cantabo tibi Domine. Septies in Psalmo, de corde, & oculis, loquitur, immaculatos conseruare gloriatur Rex. Et quia ante maculârat, vtrisque pœnitentiâ, lachrymis, suspirio, mũditiẽ restituit. Psal: 100.

Continuatio Annotationis reliquorum.

CAPVT IV.

Tertium Iubilæum Psalmorum, eodem tono Cytharæ prosequitur Rex.

ALacriter resumit planctum: *A voce gemitus mei, adhæsit os meum* Psal: 101.

carni meæ. Delicijs præteritis enutrita oſſa virebant in pinguedine carnis, iam continuò exſiccata gemitu. Veſtigia ſequere, anima peccans, ſubtrahe ligna foco, extingue ignem carnalem ſuſpirio aſſiduo; tali vento diſſipabitur æſtus libidinis.

Pſal: 102. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe : quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.* Pater precibus & lachrymis mouetur filiorum: magis ille qui cognouit vnde ſimus, noſtra fragilitas optimè ei nota: præbe te filium, Anima, debilitatem deplora tuam, extorquebis veniam.

Pſal: 103. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.* Gratia Sancti Spiritûs, quaſi iterum creat animam, dum peccatis hucuſq; demerſam, ſiccitate bonis operibus deſtitutam, lachrymis, & pœnitentiâ, vt imber terræ faciem, renouat, Deoq; recõciliat.

Pſal: 104. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.* Præſentia Domini quęrenda eſt ſemper: ſi amittitur (res enim amata, ſine ſollicitu-

dine

dine & angustia non inuenitur/plan-
ctu & suspirio requirenda : semper
ergo inquirenda; si in bono statu, re-
tinenda : si in malo, lachrymis reas-
sumenda. In cœlo non quæsita Do-
mini comparebit semper præsentia.
Præpara te, luctu & suspirio, ad illam
nunquam amittendam.

Peccauimus cum patribus nostris, iniustè Psal:
egimus, iniquitatem fecimus. Non solum 105.
propria, parẽtum etiam reuocat pec-
cata memoriâ, vt vberiorem dolendi
exquirat materiam.

Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, Psal:
in mendicitate, & ferro. Similitudo à 106.
corporali captiuitate, ad spiritualiter
per peccatum captiuatam animam:
summa miseria sedere in ferro, &
paupertate, quantæ lachrymæ fun-
duntur? Sic anima onerata vinculis
delicti, defleat similem afflictionẽ
Rationem reddit carceris, ibidem,
Dauid: *Quia exacerbauerunt eloquia Dei,*
& consilium altissimi irritauerunt. Quan
tum venenum peccati? Prouocat
iram Dei, & spernit consilia, manda-
taq; altissimi /

Psal: 107. *Exurge gloria mea, exurge Psalterium, & Cythara.* Si causa requiritur, addit: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominũ.* Non discrepat Cytharæ sonus, petit auxilium, vanitatem humanam considerando, necesse fuit vi lachrymarum, & suspiriorũ.

Psal: 108. *Libera me, quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.* Turbatum cor, pœnitẽtiâ, & consideratione turpitudinis peccati, ideò adiumento vsus suspirij, & lachrymarum.

Psal: 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Torrentis vehementia celeriter transit; pœnitentia fletu & vento suspirij commota, vehementia sua cœlum impetit, inde fit, vt furor Dei statim transeat: anima ergo humiliata ad torrentem doloris, exaltat caput diuinâ recuperatâ gratiâ.

Psal: 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus.* Memoriam tot beneficiorum, & absolutionem grauissimorum scelerum, cùm anima reuoluit intellectu, potestnè

haud

haud recordari gemituum, & lachrymarum?

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Mandatum Domini velle nimis eſt diligere Deum, vitando peccata; ſi timore filiali facit anima, protrudit ore ſuſpiria, guttaſque oculis, vt timendo diligat, & diligendo timeat exorbitare à mandato Dei. Pſal: 111.

Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus. Res tranſitoriæ ſunt tanquam ſtercora; anima obdormit quaſi, dum talibus occupatur. Pœnitentia ſuſpirijs euigilat animam pauperē, quam Deus gratiâ collocat cum Principibus in æterno ſolio aſſidentibus. Pſal: 112.

Non nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Anima per ſe à ſterquilinio peccatorum reſurgere nequit: Deus eſt, qui petram obduratā voci Diuinæ, aridamque, conuertit in ſtagna aquarum, vt diffluat, & deteſtetur ſcelera commiſſa. Pſal: 113.

Eripuit animam meam de morte, oculos Pſal: 114.

meos à lachrymis: pedes meos à lapsu. Pœnitentiâ, & defluenti imbre oculorum, eripitur anima à perpetuis lachrymis, ab æterna morte, à lapsu irreuocabili.

Psal: 115. *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius.* Mors doloris, & angustiarum plena in Martyribus: non displicebit ergo mors voluntaria à voluptatibus sæculi huius, imitata fletu & suspirio, Martyrum trophæa. Anima peccans, à morte æterna, cui mancipata es, transfer te suspirio, & planctu, ad mortem spontaneam, vt soli Deo viuas: pretium ingens ponetur à cœlo tali morti.

Psal: 116. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius:* id est, Dei prædicatur misericordia, quam pœnitentia, & mæror ante nominatus, non cessans, die, noctuq; promeruit.

Psal: 117. *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Excitans dolorem de peccatis, Deus, & suspiria, fletumuè, vti clementissimus Pater, castigauit temporanea correctione, eripiens à

flagello

flagello ſempiterno. Hanc caſtigationem ſi impetrabis, Anima, exultabis in dolore.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam. Fælix cõmutatio, ſi deſideras mandata Dei ſeruare, aperi os oratione, ſuſpirio attrahes emiſſo, ſpiritum bonum, ſpiritum pietatis. Et paulò ſuperiùs: *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum.* Lachrymis fatigati, exſiccati ſunt amore ſalutis propriæ. Et adhuc: *Confige timore tuo carnes meas, à Iudiciis enim tuis timui.* Omninò tansfixione erumpit dolor, & cruciatus, qui ſuſpirium, planctumque, parturiunt: multiſq; in locis denotatur neceſſitas pœnitentiæ. Pſal: 118.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Suſpirat Anima pœnitẽs ad patriam: ſagittas potẽtis acutas, ab hoſte infernali per peccatum emiſſas, veretur, ne configatur: ea de cauſa, ſuſpirio vnum euitare, alterum conſequi præoptat. Pſal: 119.

Leuaui oculos meos in montes: vnde ve- Pſal: 120.

niet auxilium mihi. Vt oculi essent leuiores, sursumq; tendentes, euacuat humore lachrymarum, propellit deuoto suspirio.

Psal: 121. *Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem: & abundantia diligentibus te.* Vbi concurrit petitio pacis, abundantiaque amoris Dei, piorum suspiriorum, & gemituum, & fletûs; non deest abundantia dilectione educta.

Psal: 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Reuerentiam summam in oculis seruorum, pręsentia seueræ dominæ excitat: quid Dei? Si expectatur donec sequatur miseratio, humili obseruatione, fletu, suspirio, conciliatur: sequere, Anima, doctrinam.

Psal: 123. *Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intollerabilem.* Peccatum torrens rapidus, pertransitur ab anima per pœnitentiam, & compunctionem, & suspiria, ductore Deo. Quæ tali indigna transitu iudicatur, non transcen-

det aquam intolerabilem, sine hypostasi, sine fundo, sine fine, ideò intolerabilem.

Non relinquet Dominus virgam peccatorum, super sortem iustorum. Anima iusta, Deo pœnitentiâ reconciliata, dolorem, suspiria, virgam habet cõsolantem: virga peccatorum incorrectorum ferrea, æternum, durum denotans cruciatum. Priorem, Anima, apprehende virgam; castiga corpus, & in seruitutem redige: gloriosa sors iustorum. Psal: 124.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Iter animæ, vita mortalis; vt portet exultantem manipulum, lachrymis & suspirijs seminet: fœcundata tali semine, lætam proferet messem. Psal: 125.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Antequam lux gratiæ Dei accesserit, non surges, Anima, è luto peccati: surges cum contemplatione, assidebis grauitati delicti, & lachrymis, suspirijs, comedes panem Psal: 126.

doloris,

doloris, oblatum à Deo; sed statim merces: *Cùm dederit dilectis suis somnum;* post refectionem dolorosi cibi, dulcis somnus: somnus dolori, non somnus dulcedini cœlesti.

Psal. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, & benè tibi erit.* Operum bonorum, Anima, comedes laborem, cum pœnitentia & luctu, emendicabis beatitudinem, in qua optimè tibi erit, quia cum Deo, quia sine Deo nunquam.

Psal: 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* Dum propter peccata peccatores alios immittit Deus, animæ delinquenti in pœnam, etiamsi dorso quasi incude abutantur; etiamsi longiore duret persecutio tempore; patienter sustinendum, lachrymæ, suspiria, depromantur; liberaberis, Anima, Diuino patrocinio: confundentur, & sicut fœnum arescent, visibiles & inuisibiles inimici.

Psal: 129. *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine, quis sustinebit?* Quod ergo reme-

dium, vt ſuſtineat anima obſeruationem peccatorum ? Addit : *Sperauit anima mea in Domino.* Suſpirio, lachrymis, aduocando ſpem, crede te, Anima, conſecuturam remiſſionẽ reatuũ.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua : ita retributio in anima mea. Infans remotus ab vberibus matris, plorat, gemit. Anima, ſeparata per peccatum à gratia Dei, fle, vlula, vociferare, donec redeant vbera conſolationum ; ſumma retributio. Pſal: 130.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis ; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Locus Domini, & tabernaculum, Anima, cor humanum : per peccatum excluditur à loco Deus, & hoſtis diuinus introducitur ; vt iterum reducatur Creator, affligantur oculi lachrymis, exulet ſomnus abſq; requie, ſuſpiria continua, reuocatoria emittantur. Pſal: 131.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Pſal: 132.

Aaron,

Aaron. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Concordia commendatur fratrũ: maior Frater noster Christus est; si voluntas animæ nostræ ei non refragatur, iucunda habitatio. Ex capite doloroso Saluatoris nostri, vnguẽtum passionis in barbam (quod cogitationes significat) descendit, barbam Aaron, summum illum Sacerdotem, secundùm ordinem Melchisedech, nobis repræsentantes, eique nos coniungentes, vti capiti barba adhæret. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Ex altissimo illo montis Caluariæ monte, madidæ guttæ, & sanguinis, & aquæ, descendunt in minores montes Sion; animas Deo ad beatam fælicitatem prædestinatas: & fletu, suspirijs, dolore, inuicem cohærent.

Psal: 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Tempore aduerso, & nocte afflictionis, erigite manus animæ, suspirate, plorate; commodissimum impetrandi tempus in summa quiete.

Psal: 134. *Iudicabit Dominus populum suum, & in*

seruus

ſeruus ſuis deprecabitur. Vt iudicium Dei deprecetur anima, ſqualore, pœnitentiâ, dolore, gemitu, vtatur.

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri: quoniam in æternum miſericordia eius. Humilitas animæ eſt, ſacco luctûs operiri, & expectare in puluere miſericordiam Dei: non tardabit aduentu conſolatorio. Pſal: 135.

Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion. In captiuitate poſita anima, penes flumina Babylonis; huius videlicet ſæculi vanitates, vti flumina, velociter prætereuntes, conſiderans, plorat, ſuſpirat, dum recordatur Sion, dulciſſimæ patriæ, gratiæ Dei amiſſionem, & per peccatum ab ea reiectionem. Pſal: 136.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me. Per compunctionem cordis, & lachrymas, de profundo tribulationum, eripit animam Deus, & vitam æternam reſtituit. Pſal: 137.

Imperfectum meum viderunt oculi tui. Peccatoris oculus valdè imperfectus eſt; pœnitentia aperit oculos animæ, Pſal: 138.

vt videat funeſtum ſtatum, & aboleat lachrymis, & ſuſpirio, quibus oculi, & os, optimè perſpiciunt imperfectum, & delent: & tunc Deus, viſâ animæ imperfectione, miſericordiâ reddit perfectionem.

Pſal: 139. *Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbrâſti caput meum, in die belli.* Anima æſtu concupiſcentiæ, & peccatorum aliorum correpta, ſiccaretur pro igne æterno, niſi Deus vmbraculo, & nube miſericordiæ ſuccurreret; ex qua vẽtus ſuſpiriorum, & pluuia lachrymarum, enaſcens, refrigeraret areſcentem creaturam, in die belli vltimi iudicij, confortans.

Pſal: 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Pœnitentia vera non excuſat peccata, ſed accuſat, vtens tanquam teſtimonio, ſuſpirio & lachrymis, conſcientiæ remorſu adducta.

Pſal: 141. *Effundo in conſpectu eius orationem: & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.* Ex vaſe cordis effundere debet anima tribulationem peccati, ad defe-

ctum ſpiritûs coram Deo: in tali vaſe pœnitentia, dolor, ſuſpiria, lachrymæ, reconduntur.

Expandi manus meas ad te: Anima mea ſicut terra, ſine aqua tibi. Bonus Rex, animæ ſuæ, vt terra, rogat aquam. Ita eſt: Terra abſq; aqua, neq; conſiſtentiam habet, neque ornatur floribus, neque producit fructus. Producetnè anima fructum, abſque aquâ lachrymarum? Nequaquam. Ideò ibidem accelerat petitum: *Velociter exaudi me, defecit ſpiritus meus.* Fatetur vix ſpiritum retinere ampliùs, toties ſuſpirando. Pſal: 142.

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ſicut vmbra prætereunt. Pœnitens cor nouit vanitatem humanam, & prȩterire celerrimè vitam: habet ergo materiam deflendi peccata. Pſal: 143.

Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Famelicus offam ſperando, clamat, ſuſpirat: Anima fame ſpirituali oppreſſa, non flebit, nec gemet? cum tempore pœnitentiæ oportuno, eſcâ Pſal: 144.

gratiæ Diuinæ, Venerabili Sacramento, saturatur.

Exibit spiritus eius, id est, Principum: *& reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ex terra spiritus assumptus, nonnisi in terram reuertitur. Pœnitentis animæ spiritus, vel suspiria, nō è terra, è cœlo apportantur, propterea in cœlum volant: nec pereunt cogitationes castæ, at æternitati donantur, conseruandæ.

Psal: 145.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Vti Chirurgus alligat vulnera, & vnguentis illinit; ita Deus curat peccata, contritione & Sacramento pœnitentiæ, alijsq; vngit, conferendo gratiam: non vna gutta, vel suspirium, in tali curatione euaporat.

Psal: 146.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus, & fluent aquæ. Cor durum, frigidum, glacie peccatorū concretum; si spiritus calidus amoris flabit, in suspiria & fletus placidè resoluetur.

Psal: 147.

Hymnus omnibus Sanctis eius, populo appropinquanti sibi. Anima appropinquat Deo, si Hymnum canit: Saluatori, si à se recedit, vicina fiet. Hymnum dilectum toties inculcat Christus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam post me, & sequatur me.* Quot dolores, fatigationes, suspiria, lachrymæ, comitantur crucem? nec Dominus Redemptor immunis fuit ab his omnibus symptomatibus; & tu Anima, suaui vità putas & credis, auicinari saluti, & Saluatori? Falleris. Psal: 148.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum. Exultatio propter exaltationem fit, quæ in gutture Sanctorum residet. Ibi cubile suspiriorum, ad instar graduum ascensus eorum ponitur, vt exalteris, Anima, suspirijs te eleua, & altitudinem conscendes altitudinum. Psal: 149

Omnis spiritus laudet Dominum. Digna cõclusio Cytharæ præludẽtis: Quid suspirium, nisi spiritus? Omne ergò Psal: 150.

pœni-

pœnitens suspirium, ex amore filiali ad Creatorem emissum, laudat Deum, & hîc, & vbi sine fine laudatur Deus.

Origo Suspirij, & lachrymarum.

CAPVT V.

PRælibauit succinctè Regius Psalmista, materiam suspiriorum; ô Anima, libertate donata es, elige in quali subiecto suspiria corde mouebis. Habes amplissimum campum: vberiùs præcantata Regio sono, intellectu versa, memoriâ comprehende, voluntate comproba. Assume, tanquam cibum, panem suspiriorum: nosti vitam humanam lachrymis incipere? Fassus est sapiẽtissimus mortalium, in libro accommodato eruditioni Sapientiæ: *Ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem, similem omnibus, emisi plorans.* Qualis illa vox? vox

Cap: 7.

clarè denotans miseriam natiuitatis. Ipse Christus natus in terris, eidem subiacuit lugubri voci, adauxerat nuditas frigore denudata lachrymantē clamorem. Salomon ideò : *Nemo ex Regibus aliud habuit natiuitatū initium.* Ergo nec Rex regum excipi voluit. Tale initium vitæ, qualis finis : Suspirio abrumpitur vltimo. Iterùm ad Redemptoris exemplum appello: *Et hæc dicens, expirauit.* Experientia docet ipsa, suspirio concludi dies humanos: si ergo initium & terminus lachrymæ, & suspiria decursus humani, quale erit medium ? Sed adhuc audi Anima, lachrymæ originem ætatis transigendæ in mundo innotant; suspirium concludit mortalem vitam, & inchoat æternitatem : aperitur suspirio vel cœlum, vel infernus. Valido vento sæpè fores benè clausæ patent; si rima apparuerit, & assuescet venti ingressus, difficulter impetus continebitur. Hyems ingratos introducit vētos palatio, & domui. Æstas leni susurro inuitat iucunditatē ven-

Ibidem.

ti: Cor humanum glacie & frigore erga res Diuinas còágulatum, relinquens vltimum motum per animæ recessum, suspirio extremo ad inferos vsque penetrabit: Cor charitate Dei superinfusum, suaui emisso non redituro spiritu, cœlo importabitur. In portâ tuâ, anima, corde videlicet tuo, facito rimas per bona opera, tribulationes, ieiunia; suspiriorum vento aperi fores Deo, qui stat ad ostium, & pulsat. Fores vicissim oculorum exterge lachrymis, ne stridor & repugnantia mandatorum audiatur, ne creatura, Creatoris loco occupet sedem cordis; ne magis placeat bestialis voluptas, infinito luenda supplicio, quàm resistentia virilis æterno coronanda præmio: inde dictum: *Delectet mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Scimus procellas ventorum pluuiâ sedari: si ventus concupiscentiæ irruat, & opprimere præsumat oculum, lachrymis compescatur, fiet, vt placidus ventus suspirio consolationis su-

Gregor: Hō: 37 in Euā.

pernæ adiutus, recreare faciet terram commotam, vel ſummâ tranquilitate requieſcere, à tempeſtate inordinatâ vanitatum euincet. Oppones Anima, lachrymas, non tuæ relictas diſpoſitioni; aliquando ſiccitate prædominante è petra, citiùs hauriretur aqua, quam ex ſaxeo corde: optata denegatur lachrymarum copia, receditur vacua prece à cœlo, fruſtraturq; ſpe impetrandi doni defluentis ex oculis fletus. Ne turberis, Anima, ſatis fuit petere candidâ oratione, & peccatis non impeditâ; dabitur ſine lachrymis veniâ ſicco ſuſpirio. Melius quidem expurgatur domus à ſordium inquinatione, polluto aquâ pauimento, & feneſtrarum inter clauſura: ſi non adeſt humor, apertæ feneſtræ, licet tardiùs, educunt puluerem inſipidum, aëriq; cõmuni tranſmittunt. Ergo Anima, oculos aperi etiam non madidos, & expande paratos lachrymis, ſolo ſuſpirio puluerem huius ſeculi excutient, reſtituentq; aëreis & voluptarijs mancipijs.

Quærimonia ob defectum lachryma rum accepta cœlo, ſuſpirium excuſatione caret, vbi, & quando volueris, vti, abuti permiſſum, etiam millies in die omni occupationi ſe offert, & abundè non deeſt materiâ ſuſpirijs. Tota vita hominis contexta, ex ſuſpiriorum & lachrymarum varietate apparet. In conuiuijs, vel verba lædentia, vel faſtus alienus, vel inuidia prædominans concitat ſuſpiria; ſi æmularis, vitioſum ſuſpirium. Monet Cythara Dauidis: *Noli æmulari in malignantibus.* (Pſal: 36.) Si contemnis propter Deũ, gratioſum ſuſpirium. *Spera in Deo, & fac bonitatem.* (Ibid.) In aulâ, quanta occaſio ſuſpiriorum? Si, vt aranea, texis tibi reticulam vindictæ reſeruandæ, venenatum ſuſpirium: Si, vt apis, dulcedinem cõtemptus ad imitationem Chriſti, in apiario recondis cordis, mellifluum ſuſpirium. In templo, ſi à Cõcionatore veritatem ſcelera redarguentem, pungeris, & horres vocem; deteſtandum ſuſpirium; Si tibi applicas, & emendationi te ſubijcis,

Angelicum ſuſpirium. In proſperis, ſi oblitus Dei, viuis vt bibas, & bibis vt viuas; Epicureum ſuſpirium: Si verò recordaris, à quo accipis, gratumq; te oſtendis; Christianum ſuſpirium. In aduerſis, ſi voluntati Diuinæ recalcitras, & incuſas Creatorem; infernali pœnâ puniendum ſuſpirium: Si autem accõmodas te Superiorum diſpoſitioni, & pro peccatis condignum iudicas flagellum; coronâ immarceſcibili dignum ſuſpirium. Quòd ſi lachrymarum gemmis adornaueris, ex amore Dei procedẽtium, placebis ampliùs ei, quem diligis. Replicabis, Anima, contra lachrymas, eas eſſe proditrices pœnitentiæ, inde vanæ gloriæ bullâ aliquando intumeſcit cor: Diſſipabis hanc ſuſpirio, quæ eſt decipula mundi, & Inferni, in vaſtiſſimis delicijs, in opiparâ menſâ, in turbâ ridentiũ, irridetur liberè ſuſpirio mundus, & Infernus, aliſq; pœnitentiæ promotum, citiùs intrat cœlum, quàm animaduertitur: Et tunc Creatori cor-

dis probatur suspirij, & de mundo, & de Inferno, triumphus. Agnoscũt Spirituales cœlestes potestates, suspirium dolorosum, acceptissimum Altissimo. Humana natura in Saluatore, cœlum suspirijs, in terrâ viuẽs, impleuerat: simile simili gaudet. Mantuæ extra vrbem, in palatio Ducis quodam, meis oculis attestantibus, ostenditur Camera, fornice clausa desuper, in qua si vni angulo quis tacitè loquatur, è diametro anguli alterius applicata auris exaudit: astantibus in medio, nec clamosâ garrulitate impedientibus, nec summo silentio strepitum oris percipiẽtibus; ecce suspirio totius mũdi fabrica propria, in angulo cubiculi, & cuiusuis loci, confabulatur cum cœlo quis suspirio, licet longè dissitâ distantiâ: tamen neque circumuoluti conuersatione sodales persentiunt, neque tacentes, mysterium notant. Assuesce, Anima, pœnitenti suspirio, & qua libebit methodo, delibera.

Cibus,

Cibus & potus, Suspiria & lachrymæ.

CAPVT VI.

GVstâsti cibum, & potũ spiritualem, suspirium & lachrymas, Anima, quomodo vti eis volueris? Dices, vellem scire, qua ratione potus lachryma; cibus, suspirium nominetur? Salomon ait: *Ante obitum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum.* Operari iustitiam, nemo potest nisi immunis à peccato: quis autem hic? *Solus Christus*, & *Mater Maria.* Nihilominùs ille omnibus iniungit operationem, non aliâ viâ, nisi per pœnitentiam, quæ exonerat se lachrymis, & suspirio. Anima spirando viuit, suspirando hic, in æternum viuet: male in tormentis, benè in patria fælici, accommodatus cibus spiritui: & quia Deus est spiritus, à quo suspirium, spiraculum vitæ parenti nostro inspirando, & quia igne charitatis in fornace pœnitentiæ deco-

ctus cibus, & hic nutrit animam, & roborat in vitam æternam. Lachryma humida per se à natura, sitientem cælestia satiat animam. Quid mirabilius? solum suspirium, & solas lachrymas esse & cibum, & potum. Suspirio refocillatur anima, tãquam cibo, & tanquam potu dulcedine spirituali repletur. Dicitur in Psalmo:
Psal: 35. Deum *torrente voluptatis potare* electos; verè communicat suspirantibus charitatem, in terris, veluti torrentem, nam citò transit: in cœlo torrentem, nam impetu suaui decurrens consolatione, nõ desinit. Narratur in Prussiæ Ciuitate Brunsbergensi, latronẽ dignum morte, immissum turri profundissimæ, illum nono die viuum, absque esu inuentum, & extractum, cùm nemini ante priuilegium cõcessum tale, omnesque sepultura extraxerat: interrogatum, confessum publicè, humori terræ os bis in die applicuisse, attractoque fortiter per aliquod spatium, saturitatem quandam inuenisse. Potest ergo suspirium &

cibus,

cibus, & potus esse; nouit & attrahere in se spiritum, & cœlo repletionē confortationis aduocare. Lachrymæ cibus, sunt vicissim copulatę charitate cœlesti: non mea verba, sed B. Irenei recito: *Vt enim ex multis granis vnus panis efficitur, quia aquâ, veluti quodam glutino, inuicem copulantur, & multa pulueris grana, si humor aquæ accedat, vnum laterē faciunt; alioquin verò sicca grana, sine humore, in vnum coalescere quomodo possent? Ita quoq; & nos, qui terræ ac pulueris grana sumus,* [*Puluis es* (ait Dominus) *& in puluerem reuerteris*] *nunquam per nos, vel nobiscum coniungi, vel cum Deo possemus, sed descendit humor charitatis (per lachrymas scilicet) & ita nos cum hominibus cæteris copulat, vt Apostolus dicat, vnus panis, & vnum corpus sumus.* Fit etiam, vt panis immissus potui, simul edentibus, vtrumq; gustui exprimat: sic suspirium mixtum cum lachrymis, spiritualem gustum animæ & cibare, & potu recreare consueuit. Et contra impugnare cœlum, & famem inducere suspirio indignationis, lachrymis vin-

dictæ cõiuncto. Paulus, qui ante Saulus, nonnè bellum mouebat cœlo suspirio? *Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis, &c.* Idcircò in Inferno erunt suspiria, erunt & lachrymæ, quæ non in cibum, sed in venenum conuertẽtur. Caninus appetitus perpetuò voluetur, vel hydropisis nunquam curata: semper sumptus cibus hic & potus excruciabit, materiamq́; siti & esuriei porriget. Nunc, Anima, operare Iustitiam cibo & potu, suspirio & lachrymis te conforta: grandis enim superest tibi via, subcinericio pane iter tale, exemplo Eliæ, conficitur, in cinere planctuque coquitur. Verùm quæres, Anima, cur suspirium, quod est spirituale; lachrymis, quod est corpori proprium, societate non separatur? Scias coniunctionem corporis, Anima, tecum delinquere: propterea vtraque pro sua parte satisfacere cogitur. Cadauer, nec suspirium, nec lachrymas emittit: dum viuitur, armis his duplicibus defendas te; lachrymis ignem infernalem

Act: ca: 9.

extin-

extinguendo; suspirio nubem per peccatum, inter offensorem & offensum enatam, dissoluendo: Apparebit sol misericordiæ per consolationem in terrâ, & in cœlo per sui communicationem repræsentabunt viuum membrum Ecclesiæ te, Anima, Deo reconciliato. Nosti ex quatuor Elementis omne viuens componi: si ea iunguntur proportione seruata, viuitur; deficiente aliquo, extinguitur quod viuit. Terra est Cor, Aqua lachrymæ, Ignis amor, Aër suspirium, cõgregata ab Artifice supremo inuicem, viuum viuens æternitate non moritura manebit. Prorsus suspirium est secretissima apud Deum animæ Audiẽtia: liberè deponit arcana amoris in sinum Creatoris, non excluditur supplicans: Linguâ suspirij etiam mutis concessum loqui, qui signis tãtùm demonstrant voluntatem, eleuatione oculorum, contractione humeri, manuum extensione suspirium notatur. Secretiùs etiam potest esse suspirium, absque vllo motu, ore clau-

ſo, & illo non aperto, & cœlo propter delicta occluſo: ſeratis oſtijs ſuſpirium ex homine egreditur, & comparet conſpectui Dei. Magna efficacia ſuſpirij? Non mirùm, eò redit, vnde initium eius; ſumitur ſuſpirium ab inſpirando: *Spiritus Domini vbi vult ſpirat*: dum animam peccatricem inſpirat, ſpiritu condolētiæ ſpirare docet, è cœlo gratiâ, abſque miraculo neceſſe eſt vt remeët in patriam. Lachrymæ, cōſobrinæ ſunt ſuſpirij; cōſtructio aquę ductus per ſecretos formatur canales, tanta contra naturam aquæ attractio, quanta fontis, vnde deducitur, eleuatio. Neſcitur ſæpè vnde lachrymarum copia occupat oculos, fluunt vberrimæ: è fonte cœleſti, Anima, ſcias ſumi. correſpondenti altitudine cœlos attingit: omni hora quidem tales canales noſtris offeruntur oculis, & cordibus, impeditur terrenâ glebâ, defluitatio libera. Inuentæ ſunt Meditationes & Exercitia: datum fuit deſuper noſſe Diuo Ignatio Patriarchæ Societatis IESV,

hic, a-

hic, apertè dicam, fontifex & Inuentor eorum. In eius Schola enutriti, & assueti suspirijs & lachrymis, quanta effudêre volumina Librorum? Suspirium enim, Laconica vox est, summam verborum imbibens, vti spongia aquam. Quidã Alphabetũ tãtùm dicere præsumpserat, Deo literas permittẽs cõponẽdas: breuius suspirium est; vnicum, totam vim orationis longissimæ interpretatur intellectu Diuino comprehendẽdã. Philippus Macedo, literas dederat ad Lacones prolixiores, vellentnè aduentum eius præstolari, vti amici, aut inimici? vno verbo rescripserant: *Neutrum*; Scriptura, lectio, extraxerat tamen tempus: Deus instillat animæ, velitnè vt veniat Sponsus, vel Iudex? nõ atramento, non chartâ; opus, suspirio breuissimo protestatur bona anima, sententiam Dauidis exprimens: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine.* Psal: 142. De S. Ludouico Rege Galliæ, legitur in transitu Romam, B. Eugenium S. Francisci socium, voluisse inuisere: In vita SS. Diui

non in-

Fran
cisci
Ord.

non inuento, rogat Superiorem in reditu alloqui eum cupere: exequitur mandatum Superior, aderat Eugenius reuertente Rege, absente Superiore, exit ad Regem, nulla cæremonia exhibitâ, in amplexum ruêre mutuum, taciti, statimque inuicem separantur: astantes Fratres inurbana offenderat simplicis Eugenij salutatio: Superiori redeunti, enarrant successum congressus. Ille metuens, ne offensa Regia Ordinem à gratia separaret, propellit gressum, Ludouicum assequitur; deprecatur culpam Fratris, aulicæ comitatis ignarum. At Rex: O si scires, quanta in amplexus mora aulæ cælestis, colloquia fuêre? etiamsi multis annis verbalis concertatio intercessisset; potiùs aures fatigatione abscessissent, quàm materiam attigissent peractæ collocutionis. Per suspirium ergo, similis confabulatio cum Deo, effusio videlicet cordis pœnitentis vnica, infinita delet peccata, misericordiam impetrat, exhilarat cœlum, Angelis præ-

Wszystkim Białego
Grosz podwodnika nie
Srawie. y pana Anta Les
Przyjaciela Ogrowskiego

9
1

---

2 7 1

ludit gaudium, æternæ fælicitatis adſcribitur calculo. Licet autem, Anima mea, ſuſpirare potes multas ob cauſas, ob timorem inferni; ob amiſſionem rerum temporalium, & ſimilia, fronti contractæ inducendo: Ne feceris, S. Auguſt: te inſtruit: *Qui timet, amet, quoniam amor foras mittit timorem.* Res tranſitoriæ amittentur tẽpore aſſignato, Ezechias Rex præuidit: *Præciſa eſt velut à texente vita mea,* & quid ſupereſt, infert: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Amaritudo in agone hæres diuitiarum. Suſpira potiùs, Anima, ob beneficia à Deo accepta, amor, gratitudo, ventilent ſuſpirio tuum ad gratiam reditum Dei, æquè in proſperis, vti in aduerſis, age Conditori gratias, & quidem perfectiùs in tribulatione. In proſperitate gratitudo mercenaria videtur, conducit Deus quaſi hominem ſolatio, ſolario quodam exoratorem. Perſecutio filiali hæreditate ſpe cõprehẽſa, cõtemnit minas ſeculi. Ingẽtia Dei occurrũt be

Iſa: c. 38.

neficia. Propono tibi, Anima, numerum acceptum Omnipotẽti quinquenarium, expressit sibi fuisse à delitijs in corpore cruci affixo, non errabis, si assensum præbueris; comitare suspirijs, fauore lachrymarum conducto orbiculari gyro comprehendes, non relicto ductore tuo Dauide, ex Psalmis pro themate assumptoversu. *Primum beneficium promerens Suspirium, Creationis erit*: Applicabis vulneri Crucifixi manus dexteræ. *Secundum beneficium, cogẽs Suspirium, Redemptionis*: Applicabis vulneri Crucifixi pedis dextri. *Tertium beneficium, promerens Suspirium, Conseruationis* : Accommodabis vulneri Crucifixi pedis sinistri. *Quartum beneficium, impellens Suspirium, Iustificationis* : Æquabis vulneri Crucifixi manûs sinistræ. *Quintum beneficium complens Suspirium, Glorificationis*: Adaptabis lateri aperto Crucifixi, hac oratiuncula inuitante.

ORATIO.

DEVS, qui animam humanam infinitis circumuallasti benefi-

cijs: da gratitudine suspiriorum, & lachrymarum consequi, vt cor & oculi, immersi tuis laudibus, in mortali vitâ, æternâ perfruantur, vbi exilium vtriusque incomprehensâ tuâ misericordiâ inuenitur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.





IESVS, MARIA, ANNA.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS.

Ex Beneficio Creationis.

LIBER II.

Psal: 99. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

De Creatione.

CAPVT I.

COncionatoris, aut pręconis vocem, agit REX, proclamat beneficium Creationis: At Cui? rebus omnibus creatis: non omnes auditu percipiunt, carentes eo. Quid magis simile prodigio? auritas creaturas contemnere hoc monitum, destitutas exequi nutum Creatoris: *Cœli enarrant gloriam Dei*; motu mouentur as-
Psal: 18.

signato.

ſignato. Sol circuitum lucidum per-
agit, non occupatus: miraculo quidẽ
ſemel ſtetit, obediens Ioſue: ſtupore Ioſu:
retroceſſit inuitatus lachrymis Eze- 10.
chiæ, non plus paſſus eſt interturbari Iſa:
à commiſſo ſibi curſu. Luna mutatur 38.
gratiâ variante, communicatione à
ſplendore ſolis. Stellæ nocturna lu-
ce greſſum viatoribus monſtrant, ſo-
mnum Mathematicorum curioſitati
eripiunt; variegata multitudinis cõ-
poſitione in laudem factoris oculos
admirantium compellunt. Terra, cõ-
tra naturã etiam, aliàs immota, trãs-
fertur, moueturque mandato Dei.
Aqua cuſtodit terminum propoſitũ,
ſecundùm Pſalmiſtam: *Terminum po-* Pſal:
ſuiſti, quem non tranſgredientur, neq; con- 103.
uertentur operire terram. Diſcurras, A-
nima, per proprietates omnium crea-
turarum animatarum, & inanimata-
rum: reperies mirabilem concordiã,
& Heliotropia eſſe voluntati Diuinę
ſeſe accommodantia: Solus homo
auditu percipiens, & à Dauide, & à
natura, & ab inſtinctu interno, & ab

experi-

experientia, & à palpabilibus beneficijs, denique ex ore Dei, natura humana appropriata. Tamen est, qui non credit, est qui contemnit, est qui blasphemat, est qui leuiter tractat tam ingens beneficium: est & fortè omnis qui peccat, Creationis finem vertit in æternitatem maledictionis. Tu talis es, Anima mea, in sorte offendentium Creatorem: Suspira, caussa ingens gemitûs & planctûs: Considera ingratitudinem Creationis. In paradyso aliquot verbis alloquij astutiæ serpentinæ, dubitat mater vniuersalis nostra, & generando, & peccando de præcepto Diuino: *Ne fortè moriamur.* Porta omnium Hæresum, & offensarum Dei, necessaria exceptio, ligni vitæ abstinentia ab Altissimo iniuncta, in fluctuationem mutationis, aut hæsitationis, transmisêre seris nepotibus, nec aqua diluuij abolere valuit irradicatam recalcitrationē voluntatis Diuinæ: flamma æternitatis, remedium & flagellum inuētum obduratæ menti in pœnam. Excita-

Gen: 3.

te, Anima, è Lethargo ingratitudinis, per ſpecies oblatas oculatas, aſſume pennas ad recognoſcendum beneficium Creationis. Quid nobilius eſt, à non eſſe tranſire ad eſſe? Pueritia affectat adoleſcentiam, adoleſcentia iuuentutem, iuuentus virilitatem, virilitas ſenectutem, perfectionem exiſtentiæ ſibi perſuadens. Hæc omnia à Creatore profecta. Parentibus quantis alligamur beneficiis, quorum medio, eſſe mundi huius accipimus? Quanta pœna in parricidas, multo tempore ignota, horrore ſancita? Regibus, Dominis, quomodo obligamur acceptione beneficiorum? Creaturarum nomine vocitari gloriamur, calamus Benefactoris titulo appellare non erubeſcit: genua demiſſa reuerentiæ inclinatione gratitudinem conteſtantur: machinari noxia contra Reges vetamur: ab aliis vel cogitata, vel perpetrata, publicâ animaduerſione exquiſitarum pœnarum damnamus: ſeueris legibus audaciam frænamus: placitis eorum

aliquando contra conſciētiam (quod pudeat) applaudimus, blandiciei occaſionem quærimus: obductum nube iracundiæ vultum, madidâ deprecatione ſerenamus. Deplores, Anima, ignorantiam ruditate velatam, non
Pſal: 75. mitigatur ille, qui ſpiritum Principũ educit, qui eſt terribilis apud Reges terræ, dum ipſemet inexhauſtâ bonitate procurante offerat, non petitus, pluribus vijs abſolutionem. Digiti
Dan: c. 5. inſcripſêre conuiuio Balthazaris Regis verba parieti, minùs intellecta efficacia ſcripturæ, non inuitatus pallor faciei, & tremor Regis hoſpites aduenêre, aduexereq; nocturnos executores explicationis Danielis, vitā ſceptro conuinctam eripientes. Quis dextram non verebitur, cuius digitorum potentiâ opera cœli, ſol, luna, & ſtellæ ſunt fundatæ? Iſtius dextræ Rex Cytharædus confirmat magnitudinem creationis: *Dextera Domini*
Pſal: 117. *fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me*: (vt ex nihilo factus Homo entitate donaretur) *Dextera Domini fecit*

virtutem.

virtutem. Duplicis dexteræ commendat virtutem, nec aliter: Dextera creatione vniuerſitatis fecit virtutẽ: Dextera paſſione, & clauis penetratione, fecit virtutem: Ingratitudo primæ Dexteræ eò commiſeratione flexit amoris Diuini incendium, vt ſuperinductâ pelle humanâ, inuincibilis ante iam vinceretur, & affixa cruci, pœnam executioni ſubtraheret, imò promeritam dolore incomparabili reſarciret. Et tu, Anima, fide cõprehende; contemplatione etiamſi frigidâ conſiderans, gemitu gratitudinis effuſum ſanguinem dexteræ nõ abſterges? Exhorruêre alligatam ferro dexteram, Sol, & Luna, lumenque licet irrationali mærore occultauêre: tu lumen oculorum lachrymis non conteges, & virtutem vtriuſque dexteræ non extolles? Tuam ille dexteram abutentem beneficijs, dexterâ propriâ ſanguinem pretioſum offerente, dexteram iratam Altiſſimi placauit: tuam enim, Anima, dexteram vibrâras cõtra Creatorem, quod

ſcelus

scelus in tantùm læsit, vt Creator eādem carnem assumens, dextera clauo penetrante rubore sanguineo cogeretur expiare ausum; & adhuc tamen tu, Anima, retinebis lachrymas, & gemitus ore reijcies? Dissimulatur nunc ira Diuina, quæ die Domini mēsurâ plenâ comparebit, mitiora flagella nunc experimur, postquam Deus moribus humanis assueuit: at præteritis sæculis rigiditate Disciplinæ Diuinæ mundus implebatur. Arphaxad Rex, extructâ Ciuitate forti,
Iud: c.1.2 gloriabatur (dicit Scriptura) quasi potens in potentiâ suâ, & in gloriâ quadrigarum suarum. Quid? ergonè totus in superbia? optimè additur: *quasi potens*: vel imperfectam, vel derisoriam potestatem innuendo, nam cessit in campo magno in prædā Nabuchodonosori. Et hic imitator factus, à Creatore humiliatus, explica-
Dan: c. 4. tum somnium à Daniele: *Eÿcient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisq́, erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cœli infunderis.* Consona punitio am-

bitioni, ex ocio & delicijs tales aſcē-
ſus, itaque rectè in laborioſum anj-
mal conuerſus: rectè, abiectiſſimo ci-
bo fæni paſtus: rectè pungens ingra-
titudine Deum, cornibus inſtructus:
rectè ſuſpiriorum ignarus, mugitus
edere edoctus: rectè lachrymarum
vſum neſciens, rore cœli ſuperinfu-
ſus: rectè Creatorem non agnoſcēs,
ſeptem annorum numero (includens
requiei ſeptimum diem à creatione
conſecratum) ſuperficie beſtiali ſen-
tire vires Creatoris adactus. Babylo-
nicæ turris vani conſtructores auri-
bus ſententiam poſitam Dauidis:
Scitote, quia ipſe Deus fecit nos, & non ipſi Pſ:99
nos: non attendentes; meritò confu-
ſis linguis haud conſummatum ædi-
ficium reliquêre. Parentes noſtri, vni- Gen: 11.
câ inobedientiâ contra Creatorem
commiſsâ, & mendaci perſuaſione Gen: 3.
Deitatis creditâ, è paradyſo extruſi,
miſeriarum pelago ſeſe inuoluêre.
Angeli, ductore Lucifero, cogitatio-
ne ſolâ æqualitatis cum Creatore, cē-
tro fœtido terræ æternùm incluſi,

exemplum seueritatis Diuinæ extitê-re. Et non contremiscis, Anima, gemitusque, vel lachrymas, audiens exempla formidolosa, non promis dolenti corde? vt tamen maiori exurgas affectu gratitudinis in Creatorē, licet diuersa sit multorum Patrum sententia (nec ego impugno, scopus est vrgere egressum suspiriorū) posse dari rationes, peccatum primorum parentum, grauiùs conspectum Dei affecisse, excessu prauorum Angelorum. Qui contra mandatum facit, grauiùs puniri solet: homo latæ legi inobediens inuentus, non Angelus. Deinde homo causa culpæ, insimulâ-

Gen: 3. rat quasi Creatorem: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Explicat S. Gregorius: *Excessus sui vitium, Adam in Auctorem latenter retorquet.* Ac si diceret: Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Hinc est, quod huius erroris ramus, in humano genere ex illâ nunc vsq; radice protrahitur, vt quod malè agitur, peiùs etiam defen-

Li: 4. Moral. c. 23.

datur.

datur. Verebatur idem Dauid, & rogat: *Non declines cor meum* (Deus) *in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*: aggrauans hominum peccantium circumſtantia; Angelus nihil tale legitur commiſiſſe. Homo tempore pœnitentiæ à Creatore conceſſæ, dum interrogatur: *Adam vbi es?* non vſus ad deprecandum, at ad abſcondendum: denegatum id Angelo, peccati interſtitium, & pœnæ *momentum*. Voluntatis breuis lucta, executio fine carens. Fælicior natura humana, dexteram paſſiuam filius, dexteræ furore accenſæ paternæ, iunxerat; inde peccandi licentia vix animaduerſa: *Iniquitates meæ* (dicit pœnitens Rex) *ſupergreſſæ ſunt caput meum*: Pſal: 37.
& ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Quomodo depoſuit ſarcinam ponderoſam? vnico verbo: *Peccaui*. Cœleſte Echo, per os Prophetæ: *Tranſtulit* 1. Re: 13.
à te Dominus peccatum: abſoluit reatu. Iam arrha deſcendentis, ſecundùm terrenam generationem futuræ humanitatis Dei, impetrauerat diſpen-

am; ideò dexteram facientem virtutem, duplicatâ præuisâ celebrat laude. Verè placatus est dexterâ Christi Creator, vt quasi obturatis auribus, linguis, & cogitationibus impuris, laceratus conticescat; considerâte in spiritu Dauide: *Mei autem penè moti sunt pedes, pacem peccatorum videns.* Eò deuenit abusio benignitatis Diuinæ, vt homines iniuriam, scilicet, Parenti primo à Deo illatam, sciscitando: *Adam vbi es?* vlciscantur, vicissimque simili vsi vocatione, blasphæmâ interpretatione quærant: *Vbi est Deus?* At de tali ingratitudine, sequenti capite afferetur.

Psal: 72.

De Dei existentia vbiq.

CAPVT II.

Psal: 99. MVltorum fortè voce, verbis in frontispicio, *Scitote*, &c. Dauid inclamauerat, vel lapidum duritiam imitatoribus, vel omni sensu ingratitudinis exutis; conqueritur enim non
Ps: 41 auditus: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die*

nes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie; vbi est Deus tuus? Regẽ, non lachrymis, gladio responsum ferre decebat : fatigatus fuisset impossibilitate debellandi, & erant quibus sæuitiam Regiam experiri non licuit; supplet lachrymis defectum mœroris, nam quotidie circuitu meditationis lustrabat, quærendo Deũ, Propheta; spiritu eum interrogante : *Vbi est Deus tuus?* Omnia, perlustratâ pulchritudine innatâ, comparata, statuunt excellentiorem splendore horum Factorem, colloquium Regiarum cogitationum tale, vituperio exemptum. At etiam impiorum ora aperta nouerat Monarcha, ideò laxat suspirijs, & lachrymis, habenas. Quot terra sustinuit, sustinetque, qui abominandâ linguâ non sunt veriti sciscitari. *Vbi est Deus tuus? vbi?* Ignorantes Creatorem vbiq; præsentem adesse, capacitate infinitâ omnia circumdantem. *Deus tuus*: alienum faciunt, & iam nõ Deum, vniuersalem Dominatum subtrahentes, illiusque protectioni nol-

le subesse profitentes, sola veritas in verbo, *est*, etiam in aduersarijs re ipsa essentia eius veritate firmatur generali. Anima, communicat tibi Psalmista eundem cibum, & porrigit Regio pugno lachrymas, & suspiria : tu quoque audis sæpiùs, dum dicitur: *Vbi est Deus tuus?* Pagani, Athei, Iudæi, Arriani, negantes indiuiduam Trinitatem, nonnè idem euomunt? S. Paulus affirmat, prædicans Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus fore stultitiam. In hoc verè omnes consentiunt, quod *Deus tuus*, noster est, non illorum : qui dexteram humanam, Diuinâ Maiestate occultatâ, clauorum cruciatui porrigendo effecit, vt & ille noster esset Deus, & nos illius creaturæ, sanguine eius emptæ. Si ergo quis te interrogauerit, Anima, *Vbi est Deus tuus?* responde : In cruce: ibi certò inuenitur, & Deus, qui te creauit, & Deus tuus, qui veste mortali similis tibi apparuit, simili mortalitate futurâ ab æterno te exaltaturus. Vlula ergo quod sit tu-

Ad Cor: 4.

us, &

us, & non omnium creaturarum: tamen quòd tuus, àge gratias. Adhuc dicitur ab Hæreticis, & Schismaticis: *Vbi est Deus tuus?* Hi bona opera, arctã viam cælestem, Primatum Petri, oppugnant: non illorum, tuus, Anima, Deus, quæ doctrinam Christi non intellectu proprio, sed fide & testimonio SS. Patrum fulcitam, amplecti consueta es. Catholici quoque signo baptismatis tantùm initiati, vitâ imitatores Sectatorũ Epicuri, inter symphonias, Bacchiq; solatia obstrepunt: *Vbi est Deus tuus?* Ecclesiam cæremonialiter nôrunt; Confessionẽ semel, pudore cogente, absoluunt; vt absoluant, occupationibus vanis tempora decurrunt, Constitutionem Diuinam inuertunt, noctes in dies candelatas, vicissimq; dies, oppilatis fenestris, tenebrosis cameris contegunt: campanarum sonum inuitantem ad pietatẽ, scyphorum resonantia occludunt: preces distractis labijs perstrepunt, luminum vibratam iactantiam continuo motu huc illûc dirigunt, quan-

doque cantus Psalmorum inconside-
rata aure lasciuæ choreæ textum in
terpretantur, appetituiq; vesano o-
bediendo, Ædes sacras in lupanaria
commutant. Quid in lusu variæ Dia-
bolicæ inuentiones non excogitant?
Solus Deus exulat: si lucrantur hila-
ri fronte, siti vlteriore, pecunijs alie-
nis transferẽdis laterali marsupio in-
hiant; si perdunt, iram in Creatorem
educunt, blasphemoq; gutture Deo
improperant; non est prorsus Deus,
vel potiùs tunc adest solùm, vt petu-
lanti palato infinita bonitas eius tur-
betur. O misera creatura, certo cer-
tiùs extenderet vltionem, ferentem
manum dexteram omnipotentiæ suæ
ille, nisi clauo affixa foret: dolor a-
cris violentam extractionem comi-
taretur (melius dictum) amore è san-
guine manûs dextræ egressæ, vindi-
ctam differri. Nec aulicorum pom-
pa immunis ab eadem voce: *Vbi est De-
us tuus?* Excluditur spes Diuini auxi-
lij, fiducia subsidij humani occupat
mẽtes, si eâ fide & obseruantiâ Crea-

tori ser-

tori seruiretur, qua Regi, vel Domino, omninò præmio non exiguo, cælesti, coronarentur. Summa obedientia, patientia, perseuerantiâ, assiduitas, silentium, præsentia Monarchicâ non absente, dominatur: licet proprijs stipendijs militatur, incertam mercedem venando expectat, etiamsi aliquot vicibus oblata præda transilit; querimonia, eaque tacitâ, solatur animus. Præbenda, Episcopatus, bona Regalia, distributioni Regiæ subiacentia, olfactu aurium attracta, quomodo laboriosos reddunt pedes rogantium, pulsando ianuas importuno accessu sæpè eorum, qui validi gratia Regis consensum eius facilè inclinant, exponunt appetitui aceruum numerosum aureorum: linguâ demissa gratitudinẽ, iuratoriâ genuflexione spondent. At si frustrentur petitione, iniuriam illatam, Deo adscribunt, & tunc primùm recordantur Creatoris ideò, vt culpæ occasione illum inuoluant. Pudeat nos Catholicos, tẽpore felici obliuisci Dei,

appositè nobis applicando: *Vbi est Deus tuus?* aduerso verò, semper adesse non propitium Deum infensis creaturis, vt ore illorum incusetur. Eximunturnè Religiosi, zelosi Catholici, quin prohibeantur interrogari: *Vbi est Deus tuus?* Dubito; memoriam firmam Diuinæ præsentiæ aliquando subtrahi, fortè diuinabo. Quis enim peccaret, si Deum adesse verè intellectu cognosceret? Septies in die cadit iustus; non caderet, Dei conspectui innitendo: si cadit, fugit ergo ab oculis Deus. Nullum omninò dubium, esse Deum vbiq;, & stare nos ante illum; hoc ipsum & S. Bernardus asserit: *Magna custodia tibi est adhibenda, quoniam ante oculos stas Iudicis vniuersa cuncta cernentis. Si ergo tecum non est per gratiam, adest per vindictam; sed væ tibi, si ita tecum est: imò væ tibi, si ita tecum non adest; illi namq; irascitur Deus, quem peccantem non flagellat: nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat.* Cito recedit à memoriâ humanâ Deus, etiam in perfectissimo statu: pedisequa virtu-

Bernar-S. in Moral.

tum im-

tum importuna præsumptio, vel infatigata adest mala intẽtio. Animaduertit Drexelius: *Tam subdolæ nequitiæ est mala intentio, vt nonnunquam per ipsam vitæ austeritatem delicias quærat: & illic indulgere velit genio, vbi omnes seruiunt Christo.* Complacentia bonarum actionum propria, remouet assistentiam Dei; si Christi actio est nostra imitatio. Non absque mysterio Saluator noster, post ieiunium quadragesimale, tentabatur à Diabolo; *Fac, vt lapides isti panes fiant*; potest quidem exponi: Tẽtare nos Dæmones eo quo maximè indigemus: in fame quid magis amicum, quàm panis? vel tentationẽ immittere, vt imaginationi nostræ contraria appareãt, quàm sint omnia: peccata, existimamus panem, comedimus illa suauiter. Voraci gulam, instar necessarij panis, proponithostis Animæ: voluptate libidinosi, tanquam dulci pane, reficiuntur. Ebrij vino saturitati prospiciunt, & sunt non panes, sed lapides offensionis: nos lupino appetitu in panem cõuer-

Drexel: de recta intẽtione, l. 2. c. 8.

Mat: 4.

timus lapides, qui vulnerant, quando impingimus, viamque ad cœlum obstruunt: Ideò Christus noluit satisfacere Diabolicæ machinationi. Neq; verò ratio illa reijcienda, homines deuotos multo tempore seruitijs Diuinis occupatos, esse lapides stabiles; minimâ præsumptione, vel ambitione, vel delectatione mundi accedente, factos veluti panes morsui infernali expositos. Legimus Anachoretas, Religiosos, probos viros, spirituales & sæculares, rigiditate vitæ neglectâ, illectos escâ carnis mundi, molles effectos Diabolicæ sectæ mãcipatos. Assumpsit Diabolus Christum in pinaculum Templi, ne in lubrico statu Ecclesiastico, præeminẽtia ruere ex alto, malâ intentione & præsumptione persuaderet. In altissimo monte constituit Redemptorẽ, ne nos illecebræ mundi, mutandi dominium leue, in arduum diabolicum, inuitarent. Quàm multi animas orco consecrauêre, vt fastigio, aut purpurâ, prælucere eis concederetur?

procidētes vere adorant Dæmonem, eius ſuggeſtionibus, & inſufflationibus, morem gerendo. Omnibus abſolutè poteſt Rex cytharâ inſonare: *Vbi eſt Deus tuus?* Tantò magis tibi, Anima; calculum tecum ineas, quoties conſcientia tua reprehendit inculcando: *Vbi eſt Deus tuus?* Surgendo mane, negotiorumq; multitudinem ruminando, non recordaris Dei, turpium cogitationũ intromiſſione expellis Deum, conuerſatione amicâ ſæculi recedis à Deo, in Templo orationis diſcrepas à lingua: illa Deum, tu tua, vel peccata, vel vindictam, vel aliquid impertinens verſas animo; tempus quaſi deuotionis eligẽs, quo cõmodiùs ea quæ Dei non ſunt, peragas: ad menſam (cuius gratia comedis) ſubtrahis memoriæ Deum: Et fit, vt benedictione Spiritualibus relicta, inſtar porci cibum ori offeras, pudoreq; aſtantiũ, admonitore vſus, cæremoniam benedictionis effugias: prorſus hoc agis, vt Creatoris tui ſtudio nunquam recorderis. Ergo admonita,

nita, assiduè repetas cum tuo ductore Rege: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*; dum conscientiæ interrogante remorsu, impetor: *Vbi est Deus tuus?* Scias eum semper adesse in omni loco, & te expectare pœnitentem cum amplexu. Edocta mater Ecclesia, prolem suam ignorare Deum, multis modis, varijsque medijs inculcat memoriæ, tot festa, tot deuotiones, tot Sacrificia quotidie celebrando: inuenies Deum in Templo, in Matutino, in Concione, Vesperis, Completorio, Processionibus, Litanijs, Hymnis, Psalmis, Prophetis, Sacrâ Scripturâ, lectione spirituali, Euangelijs, omnia incessanter indicant: *Ecce Deus tuus*: à quo singulis momentis beneficia, largâ eius dexterâ, depromuntur. Et hoc tempore Aduentûs horribilia Euangelia proponuntur, de Iudicio, de Signis, de Ioanne pœnitentiam occinente, vocem clamantis in deserto se ipsum appellante, vt nobis constet Deum, cuius Natiuitatem annuâ reuolutione coli-

mus, quamuis paruulum, inopē, præ-
ſepio algido incluſum, hoſpitio ex-
cluſum, eundem eſſe, quem terribilē,
planctu omnium Tribuum, Iudicem
experiemur. Imaginare ergo Deum
Creatorem, vel natum, vel circumci-
ſum, vel à Regibus adoratum; vel in
Ægypto exulantem, vel pauperrimo
munuſculo oblatum, vel in templo
diſputantem, ieiûnantem, tentatum,
prædicantem, ſanantem, docentem,
orantem, patientem, crucifixum, mo-
rientem, ſepulturæ concreditum,
è lymbo patres educentem, Reſur-
gentem, cum diſcipulis glorioſum
& tamen conuerſantem, aſcendētem,
ſedentem in Patris gloria, & vbique
videbis eum. Hoc ipſum exprimere
voluit Chriſtus, præſentiam ſuam v-
bique apparere vt Dei, cum humanâ
carne aſſumptâ, omnibus in locis de-
ſcribitur comparuiſſe, in ſtabulo, in
horto, in palatio, in Templo, in pi-
naculo Templi, in monte, in colle,
in planitie, in ſylua, in campo, in do-
mo, in camera, in conuiuio, in nu-

ptijs, in vrbe, in flumine, in mari, in littore maris, in carcere, in cruce, in sepulchro, in lymbo; edocendo nos, vti sacratissimis humanis vestigijs incarnatione locorum peragrasse vniuersa, sic capacitate suâ occupare omnia creatione. Nunc, Anima, collige manipulum præsentiæ Creatoris, & suspirijs, lachrymisque intenta, dicas: *Semper est Deus meus*; & alijs exemplo proferas: *Vbiq; est Deus noster.* Ne forte in Iudicio extremo audias: *Vbi est Deus tuus?* carebis illo in omnẽ æternitatem, quem viuens inuenire negligebas, absit à te, vt insanatione damnatorum Angelorum obiurgeris; *Vbi est Deus tuus?* Est in cœlo, & tu in omni cruciatu absque illo: vel ipse Deus, retorquendo iniuriam, alloquatur: *Vbi fui Deus tuus in vita?* Delere studuisti præsentiam Dei? vel mei? Ego quoque, Iustitiâ decretante, irridebo, interrogando te: *Vbi fuisti, & vbi eris, Creatura mea?* non ad eum finẽ creaui te, vt cõsors esses in pœnis, reprobatis Angelis: tua memoria labi

lis, be-

lis, beneficij creationis abusa, eò te præcipitauit; eris in æternum absque me, qui fuisti in terra sine me. Excita te ipsam lachrymis, suspirio, ô Anima, & impera voluntati, ne vnquam omnimoda occupatio tollat, & transire faciat cogitatione Creatorem tuum: infige clauum dexteræ manûs Christi intellectui tuo, dolore, & amore compassiuo, firmiter stabilietur. Dices, Anima, noxam à te remouendo, cor & oculos præcipuè obuiare resolutioni piæ; cor suspiria, oculos lachrymas abhorrere: opus est, vt vtraque instruãtur, & compellãtur, accõmodatâ gratitudine Creatori sese conformando. Fiet quod petis, Anima, attentâ meditatione, instrumenta hæc duo retardantia meliorari, non despera.

De Corde.

CAPVT III.

NIhil maiori admiratione dignius in homine, quàm creatio cor-

dis: nihil verò magis ingratum corde peruerso, planè è diametro resistit Creatori; vt quò ampliora beneficia decerpsisse videtur, eò acutiori aculeo ingratitudinis eundem transfigere conetur. Non satis est cordi, vt oblitum Conditoris compellatur sæpiùs effari: *Vbi est Deus tuus?* respuit omninò essentiam Dei: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; re ipsâ nunc talia, stupente aure Catholicâ, audiuntur. Temporibus ferè nostris recedens qu dam duri cordis è vitâ, valedictoriai talia, Deo & mundo, effutiuit verba: *Infernum eiuro, cœlum non curo: possessa, non à Deo, meo habui labore puro.* Quid pestilẽtiùs excogitare Cor valuit? Interpres enim linguâ cordis, quod intus concluditur, linguâ propalatur. appositè D. Bernard: *Sicut manus sui corporis edocta frequenter palpat dolorem: sic lingua Cordis amica, celare non patitur ipsius cordis amaritudinem; & quod interiùs mens concipit, in dolore lingua exteriùs parturit in apertione.* Mercator anonimus (vtinam non cœlo) mori-

Psal: 52.

In cœna Dni. ser: 6.

bundus, cumulo aureo ſuperincumbens, mori ſe nolle vociferabatur: cadens ſpiritu deſtitutus, inſatiabile cor deſiderio ibidem ſepeliuit. An non reperti voratores auri in tranſitu vitæ? Cor ſatiari niſi auicinato auro aliter non paſſum. Prouocat paruum Cor Deum ad certamen quaſi, hinc exardeſcit vt ignis ira Altiſſimi: exiguitate ſuâ audet iacere lapillos iniuriarum in frontem Creatoris, inuertendo Pſalmum: *In capite libri ſcriptum eſt, vt facerem voluntatem tuam, Deus.* Cor autem ſcribit reſiſtentiam. Maior offenſa, ſi à minimo offeratur: minimum cor, & præſumit Omnipotentiam Dei laceſſere. Magnâ ſimilitudine quidem cor exprimit potentiam Creatoris, in medio corpore ſitũ, principatu membrorum ſuperbit, motu continuo motorem omnium adæquare contendit, æternitatis ſpeciem ambitione inexhauſtâ imitatur: hinc æternitas cruciãs, oppoſita cordi fundo vacua, cùm ſaturitatem peccandi Cor ignoret. Vitam hominis Pſal: 39.

guber-

gubernat Cor, primum viuens, vltimum moriens, resurgendo nunquam moriens. Ipsum nomen typum SS. Trinitatis exprimit, COR. C. Creatorem Patrem designat vniuersalem. O. Omnipotentem Spiritum sanctũ, in medio, tanquam ab vtroq; procedentem collocat, cuius omnipotẽtiâ gubernantur omnia. R. Redemptorem notat Christum, quo mediatore ereptum genus humanum à laqueo venantium. Circulus litteræ mediæ ab æterno, æternitatem omnium trium confitetur. Figura triangularis naturæ assignata, Trinitatem clarè demonstrat: Intellectu, Memoria, Voluntate, tres personas Diuinas coniunctas, penicillo quodam depingit. Amatur à Trinitate adeò, vt delectatione instigante expetatur Cor: *Fili, præbe mihi cor tuum.* (Cãt: Cantic.) Auersum Cor, potiùs inimicũ Animæ præfert Deo, repellendo à petitione Creatorem. Christus adstat ianuæ Cordis: *Ego sto ad ostium, & pulso.* (Cãt: Cantic.) Non audit maleuolum Cor, reijcit rudis Ianitor tam

gratum

gratum hospitem, occludit portam gratiæ cœlesti aduenienti: quæ tali cordi merces, annotat Ecclesiasticus: *Cor durum habebit malè in nouißimo. Cor nequam grauabitur doloribus, & peccator adyciet ad peccandum.* Frustra medicina malo cordi: nō mouetur neq; supplicijs, neque præmijs, neque Oratoriâ persuasione. Obcœcatū cor Pharaonis nominatur in Scriptura, signis cœlestibus castigantibus non paruit: O quantitate infinitâ, similia corda! Aduertit Granatensis, & exclamat: *Non inuenitur in mundo quidquam tam durum, quod non aliquo artificio molliatur; metalla igni liquescunt; eodem ferrum fit tractabile: adamantis durities, hirci sanguine frangitur. Tu, ô Cor humanum, durius es omni petrâ, durius adamante, durius ferro: cùm nec ignis infernalis duritiem tuam frangat, nec artificium pientißimi Patris te molliat, nec sanguis Agni immaculati, te facere queat tractabile.* De Corde humano disputatur à Deo, & Lucifero. Deplora, Anima, cœcitatem, sæpiùs illecebris vanitatū sequeris Deceptorem,

Lib: 1. parte, in duce pec,

rem; non desitura solatia offerentem spernis Creatorem. Refertur artificio fallaci vsus, quondam Dæmon simplicem hominem voto impulisse, rogans Lunam, Solem, tertiam rotæ partem sibi concedi: mysterio occultato insidijs callidi Dęmonis circumuentus, Cor donârat. C. Lunam, O. Solem, R. partem rotæ tertiam, versutiâ interpretans. Locus cordi sinister, iuremerito attributus in corpore humano, digitusq; cordialis leuæ manus, grandiori digito vicinus, designat sinistræ ductus sectam, altitudinem proximè supremo cuiquam ambientem. Permitte, Anima, oculorum lachrymis, apertoque suspirio lustrare Cor; cognosces inscrutabile illud esse in homine. Euersionis Regnorum, oppressionis viduarum, coarctationis pauperũ, effusionis sanguinum, causam esse, appetitum cordis alieni boni. Inter *meum*, & *tuum*, nemo Iudex nisi Cor, & iniustus; post mortem vlnæ tres, vel quatuor, implent Cor non viuum: Corpori con-

iunctum

iunctum viuens Cor imperat, quasi Creatori plures fabricare mundos; hinc fit, vt Magnatum corda seorsiuâ sepulturâ honorentur, quæ viuentia extra Corpus, si potuissent, mundos integros absorbuissent. Inuenta corda, à corpore mortuo separata, miraculosè in scrinijs nũmis plenis palpitantia, ne Euangelio contradiceretur: *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum* Mat. 6.
Exẽplo D. Antonius Patauinus, palpare Auditores effectu, concione funeri Diuitis habitâ docuerat: Nunquam satis est cordi, si amat malè vel benè, simplici offa non contentum, esurit ampliùs; tot Martyres Christi, auditui, horrendas sustinuêre, pœnas: Martyres Diaboli, nec illi absq; martyrio, secti, vsti, constanti quâdã cordis pertinaciâ, tolerarant verbera. Si oditur malum vel bonum, superlatiuo gradu execratur; fugiunt mala corda, præcepta mansueta Creatoris, pestem reputantes: oderunt peccata, bona corda, viperinos morsus existimantes. Duplex aliquando

Cor,

Cor, viamne laboris, an voluptatis ingrediatur, deliberat; quandoque vtramq; imperfectè amplectitur, nõ considerans Ecclesiasticum minantem. *Cor, ingrediens duas vias, non habebit successus, & prauus corde in illis scandalizabitur.* Mirum, quid Cordi prosint Diuitiæ? quid honor? quid voluptas? quid res caducæ? carens oculis, quomodo intueri poterit diuitias, voluptates palpare, honoribus gloriari? tamẽ thesaurizat sibi iram in die iræ, cœco appetitu, per fas & nefas, onerando conscientiam mole peccatorum, non probat quantum oneris imponat humeris, vt, *Baiuli, seu dorsarij, quoties ad onus humeris vectandum vocatur, ante omnia inspiciunt illud, alleuandoq; probant, an humeri pares oneri sint, & an poterint portare.* *Et nos miseri,* (vel tu Cor miserum) *quibus peccata sic allubescunt, mancipamus nos pro exigua voluptate, ad portandum onus peccati. Ah insane! proba onus, quod est pœna æterna quæ sequitur. Intelligamus ergo,* (& tu Cor) *si vires habemus:* Audi Prophetam, grauitatem

Eccl. 3.

Ex duce pec: Granat.

oneris

oneris annunciantem : *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isaię 33.
Somnia reputat asperum Cor, tumor eius extenuat infernales pœnas, minuit cælestia præmia; non percipit ea, quæ Dei ore loquuntur Concionatores, Sacræ literæ: fit eiusdem Isaiæ maledictio cordi insano : *Excæca cor populi huius, ne corde intelligat, & sanem eum.* Isaię 6.
Eius humoris Cor vesanũ, vt & mundus, & cœlum, parum ambitioni eius videatur. Et quod magis portentosum, naturam exuere humanam videtur Cor, & bestiarum, imò ferocissimarum, crudelitatem amplecti. Capri cor, nonnè deuio saltu iuga montium transire cupit, strictissimaque semitá ruinam libero passu euadit? Alexandri Magni cor, similitudine saltandi contracta, maria, Persiam, Iudæam, Ægyptum, Indiam ipsam peragrauit; vt diceret Scriptura : *Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertransijt vsq; ad fines terræ,* 1. Machab: c. 1.

& accepit spolia multitudinis Gentium, & siluit terra in conspectu eius, & congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis, & exaltatum est, & eleuatum Cor eius? Vnius cordis eleuatio, obmutescere fecit Orbem: totque ora stupor felicitatis vix auditæ occlusit. Simiæ cor, nonnè assumpserat Hærodes? dum Magorum adorationis dolosè socium se fingeret; *Vt ego veniens, adorem eum*: tegens similitudine facti, astutiam. Vulpinũ Cor, clarè Antiochus ostentârat, correptus morbo malo, odore totum exercitum complente. Et, *Qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fætorũ portare.* Pœnitentia haud sincera, non intellecta linguâ cœlesti, nec bona verba placuêre Altissimo: *Iustum est, subditum esse Deo; & mortalem non paria Deo sentire*: reiecta petitio à Creatore, falsiq; cordis cognitus timor displicuit. Suinum cor, Cômodus apprehendit; stercora mensæ conuiuiorum apponens, delicias esse voluit, gutturi inuitantium persua-

2. Macha: ca:9.

ſoriè imponens. Aſini Cor, Heliogabalus repræſentârat, aurigæ coniugem ſe mancipârat, verberibuſq; lubens aſſueuerat. Puduit naturam Monſtri, decimo octauo ætatis anno putidum cadauer relictum, quod viuens ſordibus aërem, nareſq; Romanas infecerat. Iam ad cruentarum beſtiarum corda, Anima, te conuerte. Diocletiano, Vrſi Cor cõgruum, qui appetitum ſanguinis Chriſtiani extinguere multorum millium internecione haud voluit. Neroni, Cor Viperinum non denega: ſicut vipera à ſuis filijs intra ſe poſitis interimitur; ita hic Agrippinæ matris mortis iuſſor, & ſpectator. Domitianus, Baſiliſci cordi vicinior, flatu optaſſet interimere mortales, qui muſcis, ocio aſſuetus, parcere noluit. Draconis Cor, Iulianus Apoſtata ſibi adoptârat; vulnerato pectore, ſanguinem vnguibus veriùs, alatâque blaſphemia proijciens extulerat verba: *Viciſti Galilæe, viciſti*; at reſiliens ſanguis, in abyſſum maledictionis æternæ,

animam comitatus corruit. Tygridis Cor in Pharaone aduerſum, veloci curſu Iſraëlem aſſequens, rubroque ſanguini inhians, digniſſimè rubro mari circumuolutus perijt. Caligulæ Cor, neſcio cui beſtiæ comparem? prædam captam apud Lupũ, & Gryphum, ſeruat aliquando poſterior fames: Ille vnam ceruicem Romanum populũ habere præoptabat, vno ictu demetere cupiens. Cõtremiſce, Anima, & bonitatem Creatoris admirare: educ ſuſpiria, lachrymaſque, lõgiſſimâ oculorum ſerie, ſi alienum Cor tuum creauit, quàm vt beſtiarum cordibus compareris, prona in terrã gratijs adora: ſi inclinatum Cor vitio alicui animaduertis, ingemiſce, immutariq; inceſſanter precare cum
Pſal: 50. Inſtructore tuo Rege: *Cor mundum crea in me Deus.* At dubito, an non creationem incuſârit Rex, dicto? nonnè omnia creata bona ſunt, ipſo Conditore approbante? quomodo ergo iteratam creationẽ expetit? Ah! difficultatem renouationis exprimit,

vt qua-

vt quasi nouũ Cor formet Deus, eij-ciendo habituatum multis actibus peccatum. Itera, ô Anima, cum Da-uide: *Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Dexteræ vide-licet Sanguinis Christi: nec immeri-tò Latro dexter saluatur, Cor dexte-ræ Christi applicando. Sinister verò Latro, sinistra parte naturæ constitu-tionis retentâ, vlteriùs recedẽdo Cor-de blasphemo, damnatur cruciatu. Tu, Anima, si potes, saltem affectu exime Cor; dextræ, rubore sanguineo madidæ, porrige: laua illud, coope-rando lachrymis & suspirio; super niuem dealbabitur. Visa imago, re-præsentans Redẽptoris è latere san-guinem fluentem (manu applicatâ dexterâ) in fonte, eoq; grandiori, fi-dem Corda lauantem, hoc addito Disticho:

Vera fides tetros contrito corde reatus
Tollit, & in Christi sanguine viuificat.

Ecce præstantissimum lauacrum. IpsumCor purpureo creatum colore, fatetur se sanguine Creatoris intin-

 ctum.

ctum. Inde tantus affectus Dei erga Cor. Consentit D. Bernard: *In omni creatura, quæ sub sole mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similius reperitur: Quapropter nihil aliud quærit à te, nisi Cor tuum. Munda ergo illud per veram Confessionem, & assiduam Orationem; vt mundo corde Deum videre possis, per continuam Dei circumspectionem.* Christus, inter octo beatitudines, mundis Corde, Diuinam visionem pollicetur: Lachrymis, & suspirijs, accommoda, Anima, Cor tuum, vt complaceas specioso inter filios hominum, eiusq; visione beatificâ frui queas: compungaris memoriâ aggrauantium commissorũ hactenus peccatorum; affligaris recordatione inexplicabilium pœnarum futurarũ; occuperis meditatione transitoriæ, instar venti, peregrinationis dierum tuorum; accendaris desiderio æternitatis beatæ patriæ, quæ tibi debetur. Certò scias, Creatorem visitare Cor tuum, cùm resolutionem sentis lachrymarum, & suspiriorum:

In Medit: c. 2.

procumbas, petasque, transfigi Cor tuum amore eius. Hieroglyphicum quidam erexerat, in aëre Corde constituto, manus tenens sagittam, eadē desuper scripserat Cordi: *Amor.* Supra manum: *Vulnerat, sed suauiter.* In fronte cordis: *Sagitta infixa est mihi, & confirmata est super me dulcis manus tua.* Ex parte dextra: *Anxiatus est super me spiritus meus.* Ad sinistram: *Defecit virtus mea.* Sub Corde: *Formido mortis cecidit super me, & contexerunt me tenebræ.* Inferiùs, manus atrâ face accensâ, fumo inficiens inscriptionem Cordis: In limite manus; *Lucet, sed inquinat.* Anima, sis ipsa interpres: deuotioni tuæ relinquitur sensus. Retine *Amorē Dei,* & inscribe illum Cordi. Typographiæ instar, Cor apparuit in monte Falcone B. Claræ: oculis meis lustraui, partim ibi, partim Parisijs, insignia totius passionis Christi impressa, relicta in hunc diem. Prorsus cordi præparatum Cœlum, vel Infernus si semita sæculi gradietur. Titij exēplo (nota fabula) à vulture subter-

raneo non satiato, perpetuò rodetur Cor morsu: si spinosum Creatoris imitabitur gradum, lucebit incomprehensibili gloriæ splendore; non dimitte Cytharædum tuum purpuratũ,
Psal: dicendo: *Cor contritum & humiliatum*
50. *non despicies Deus.* Contere reuocatione memoriæ, futuram tuam carnem puluerem, illic sumpsisse exordium, ibique desituram. Attrita aromata, esui apta, & odore recreant: Cor cõtritum, dapibus æternis inseruiet, ac odore suauissimo thurificabit cœlo. Humilia te, Anima, proposita esca (vitâ peractâ) subterranea delicatis ossibus tuis: pedes cinereos intuere, demittas alas superbiæ, respiciet humilitatem humilis Deus, eamq; non aspernabitur: reproba Corda, indignationis oculo Creator præterit: placita, inclinatione visitationeque eius
Eccl: inclinantur. *Sapiens Cor, & intelligibile,*
3. *abstinebit se à peccatis: & in operibus iustitiæ successus habebit.* Sapienter à Sapiente dictum propone imitandum, suspirio fletuque adnitaris, vt in illa dissipa-

tione vitæ tuæ, corde præparante se ad transitum futuræ regenerationis, Crucifixi manus dexteræ, (si non corpore, mente saltem) adhærendo, consono organo Cordis ipsius, omniumque sensuum, spe viuâ proferre valeas: *Domine, non est exaltatum cor meum.* Psal. 130. Deieci, quantum potui, arrogantiam, demisi ambitionem, detrusi fastum, obstiti erectioni, obuiaui contra Creatorem ingratitudini. Si adhuc versus sequens concini poterit: *Neq; elati sunt oculi mei*; Ibid. fælicitate præditam te agnosces. At hoc donum Capite vicino impetrare, Anima, instrueris.

De Oculis.

CAPVT IV.

NObilissimum, munitissimum organum visûs à Deo creatum, attestatione anatomistarum: *Nudus egressus sum* (dicit Iob) *de vtero, nudus reuertar.* Iob c. 21. Ipsi oculi tot tunicellis, tot cutellis obuoluti, & in morte pupil-

larum demissione occlusi, munitionis, vel Castelli, speciem referunt. Dispar prouisio hominũ ab alijs animantibus: absq; veste, verecundiam non nôrunt. Peccato pudor apertus rationali Creaturæ, oculi æqualiter omnibus distributi, non teguntur, nec ab homine ipsis iudicium pudoris relictum. Speciosissima res creata, supereminens omnibus sensibus, præcipuè trium rationum examine. *Primò.* Potissimam causam meritorum, & demeritorum, oculos inueniri. *Secundò.* Cœlum & terram, propter oculos creatam. *Tertiò.* Nullum membrum Deo, vt Deo attribui: solos oculos, propriâ quadam ratione, Deũ habere, persuasum omnibus. Anima, attende internis & externis oculis, lachrymisque rigare præsume: acceptum holocaustum gratitudinis, Conditori rependes.

Primò. Nemo inficias ibit, ianuam, clausuramque omnium peccatorum esse oculos. D. Bernard.: *Oculos, primam sagittam fornicationis*, vocitat. His

De mo-

apertis

apertis fenestris, intrant omnia vitia *Superbia*, in oculis proprijs inficit alienos: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*. Christo ipsi, ausus est pater Superbiæ, oculorum complacentia, adorationem præscribere Superbia, non nisi oculis cernitur, & statim repercussione dupliciter offendit superbientes, actiuè & passiuè, inuidiam in obiecto generante. *Ambitio*; Oculorum suauitati inseruit: delectatur altiori semper gradu; multa dũ patiatur, contemnit; oculorum dominationi inseruiendo, ita vt ausus fuerit author insignis charitati coæquare. *Ambitio, est quædam simia charitatis: Charitas enim patiens est pro æternis; Ambitio omnia patitur pro caducis: Charitas omnia suffert pro veritate; Ambitio pro vanitate*. Præuidit Dauid, rogatque: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*; timuit succũbere tentationi ab oculis abductæ. *Auaritia*, cõgregat oblectationi oculorum: quid habet auarus, nisi vt oculos aceruis aureorũ pascat? alligat te diuitijs, vel potiùs

do bene viuẽdi. ser. 23.

Psal. 118.

illis alligatur, fortunā existimat benigniorem, cui magis muneribus fauet, & nescit Philosophi dictum: *Omnes cum fortuna sumus alligati: aliorum aurea catena & laxa; aliorum arcta & sordida.* Liberalitas soluit nexum: Auaritia labyrintho Thesei inuoluit custodem. *Inuidia*, perstringit quasi aciem oculorum. *Quis enim tam grauis pruritus oculi, quàm inuidia est? nec verò magis liuor inuidus, quàm aliorum gloriâ & felicitate torquetur.* Immittunt venenum menti oculi, vt assiduè cogitatione Inuidiæ crucientur; consumuntur ætates, insomnes ducuntur noctes; aliquando iugulo proprio finitur Inuidia. *Luxuria*, Lenones oculos concludunt: quãdoq; specie placita adeò exulcerant, vt tortores veriùs appellentur: quãta mala secuta animæ deceptione oculorum luxuriantium? Creatos se ideò credunt, vt longiùs ab amore Creatoris recedant, creaturas præferendo: creatioq; ipsa oculis reprobetur, cùm fine creationis in pulchrâ creaturâ, ad offensam Condito-

Sen: de tranquil: animi. c. 11.

ris abutantur: si hoc vitio implebitur Infernus, ergo oculis imputandum, quorum persuasione Cœlo aberratũ. *Ira*, Legitur quasi ex oculis. Stultorum oculi extinguuntur: Sapientum nonnunquam turbantur, dicẽte Psalmista: *Turbatus est* (præ irâ) *oculus meus*. Psal: 6.
Notatur oculorum inspectione sæpissime, Ira. Hinc Virgilius: *Æneas voluens oculos, dextramq; repreßit*: Circuitu quodam commotos affectus interpretantur. *Gulam*, augent oculi. Proverbium, Non me vinces Gula: vincitur absentia oculorum, præsentes taciti sunt persuasores ventri, vt potum, & cibum, lautiori mensurâ intromittat. *Acedia*, procuratione oculorum mentes, pedesque, dissoluit ocio: at contrario, non. oculorum desiderio, nulla requies datur acquisitioni: Mercator, sulcat maria: Arator, sudore laboris consumitur: Eloquentia oculorum perorante, argumentoque cõmodi necessitate: Oculos Censorem, si quis appellet, Causidicum, Persuasorem acerrimum, Vir: Æn: 12.

Promo

Promotorem amatæ rei, ab errore alieno confirmabit nomine. Quid de alijs vitijs? Hystoriæ, Sacra Scriptura, Conscientia, accusant oculos: cōcupiscentia oculorum, fames saturitate inexplebilis. Imperia quis subijcit appetitui, nisi oculi? facilitantur difficultates oculorum appetitu; vt ad rem S. Gregor: *Complures se scelere contaminârunt imperij cupiditate: & quantò altius quis erigitur, tantò casibus grauioribus occupatur.* Si placet oculis, sequuntur omnia membra, veluti Domino serui obtemperantes: voluntatem frenat adeò, vt nolēs volens, moueatur eius ductu. Inexcusabilis erit voluntas: Oculorum rationes suo die claudentur timore. *Coram Deo nemo poterit excusari quasi voluerit, & non potuerit: cùm constet eum idcircò non potuisse, quia noluit; vt nolens volentis exemplo damnetur; & volens, quia impleuit, quæ voluit coronetur.* Decem præcepta, impugnāt oculi, ijsq; perpetuum indixêre bellum; Sacram Scripturā lectione peruersâ transponentes, mentes errori

In Moral: 18.

Sanctus Chrysost: Ser: de Zachar.

subiugant: inde tot Hæreses merè ex libera oculorum dispositione. si Ambitio honorum pungat oculos, Creatorem abnegant: si voluptas accendat oculos, pudorem dispensant: si fama, relinquẽda posteris, iubeat, oculi fideiussores offerũt se certissimi. Hamburgi, Lutherus in Ecclesia Organorum extremitatibus depictus, præsentatur aspectui omnium, infra scriptũ versum memoriæ cõmẽdans:

Pestis eram viuens, moriens ero mors tua, Papa. O quàm fallaces oculi? Multorum risui exponitur Lutherus, qui mortuus inferno non moritur: & Põtificem viuũ, successione stabili, Catholici vultus venerantur. Erasmi Roterodami ædificium residuum visitatur oculis peregrinantium, remanet lapideus character:

Ædibus his ortus, mundum decorauit (Erasmus
Artibus ingenuis, Religione, fide.

Si (fœdauit) Scriptura immutasset, verior sententia apparuisset. Anima mea, aduerte, an tui oculi, sint du-

ctores tui ad malum? Si reperies esse ianuas peccati, inquinatas scias, abstergat copiâ lachrymarum: commodè in speculo obijcientur maculæ, facilè tolli poterunt. Speculum est ipse Deus. *Quatuor requiruntur ad speculum: Vitrum materia, pix nigra sub vitro; lignum, cui inhæret pix; suspensio in camera. Sic etiam ad æternum speculum requirebatur:* (quæ omnia inueniuntur) *per vitrum, Diuinitas illa infinita & pura intelligitur: per picem nigram, humana natura Christi cum Diuinitate coniuncta: per lignum Sanctissima Crux, in qua suspensus Deus: Camera illa SS. Trinitatis visio perpetua Electorum.* Speculum si rariùs vsurpetur, puluere obsolescit, indigetque lauacro mundatorio: pudore oculi, Anima, tui verecundentur; vix aliquando intueris teipsam in hoc speculo, meditatione, & recognitâ gratitudine, laua lachrymis, suspirio expolire contendas: simul & oculi limpidiori visu se ipsos intuebuntur, & speculũ illustrius obtutui reddetur. Commẽdat luciditatem oculorum Christus:

In lib: Marg: Euãg: lib: 1. c. 38.

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Explicauit D. Franciscus. qui incessanter digerere vix potuit: *Nouerim me, nouerim te.* Agnitione propriâ noscitur Deus, vt verè D. Bernardus: *Frustra erigit quis cordis oculum ad videndum Deum, qui nondum idoneus ad videndum seipsum.* Oculorum cognitione assecuta Dei, quæ est lux, splendescere corpus & animam: distortis oculis intueri, summū naturæ vitium, simplici aspectu delectari in Creatore, eiusq; mirabilem dispositionem admirari, candore repercussionis lucidatur corpus, & omnes sensus: si apertè oculi solem creatum nebulâ non intermediâ videre cupiunt, lachrymis conspergentur. Anima, nebulâ peccati libera, sole increato oculis conspecto, lachrymis etiā madefiet. Tempore nubilo cœlum liberè aspicitur, solis cursum non attendente: Peccator remoto scrupulo & verecundiâ, Solis supremi directionē non curat, oculis ingratis contemnēdo factorem; *Peccator cùm in profundum*

Luc: 11.

In Moral.

venerit,

venerit, contemnit. Fusiùs mentali scripto lamentare, Anima, in demerita oculorum; suspira illorum eleuatione cum Rege: *Leuaui oculos meos in mõtes: vnde veniet auxilium mihi.* Concordia, à naturâ, oculorum semper; separari visu non possunt, si in montem illum excelsum, & Creatorem montium eleuentur. At fit, vt & Creatoris, & Dæmonis, sæpiùs dispari, voluntati obtemperent: factum deuitandum, pejus si mancipantur iussioni infernali. Tiberij Cæsaris oculi, catorum similitudine, noctu optimè intuitu vagabãtur; Tales Animæ perditæ, tenebroso visu putant se intueri accutissimè, decipiuntur; noctuarum exemplo, ortâ luce obfuscantur, perpetuisq; tenebris animam condemnant. Nigris oculis, non terra tantùm, cœlum quoque ipsum delectatur: *Memorare nouissima, & in æternum non peccabis*: Anima, *Respice funera mortalium, proficiscere ad sepulchra: Ostende mihi patrem, ostende vxorem tuam; vbi est, qui purpuram induebat? nihil video,*

Psal. 120.

Diuus Chrysost.

præter

præter putrida ossa, & vermes. Conside-ratione Inferni, & Iudicij, tali nigre-dine decorabuntur oculi, & place-bunt oculis increatis : *Lachrymæ nobis deerunt, antequam causæ dolendi.* Oculi rubent post lachrymas : Sanguinis Christi emissio afficiet oculos fructu-osè plorantes. Nullum remedium oculis, qui Basilisci flatu quodam in-terimunt animas proprias, & alienas. Gallum portes, Anima, quo Basilisci visum subterfugias. Euigila D. Petri exemplo, fleuit ille, Galli cantum reuocans; canit & Ecclesia: *Gallus ia-centes excitat: Gallo canente spes redit.* Ma-nè assuesce pietati: considera opera Dei. Præceps solis ortus, signum pluuiæ: si orietur Creator solis in o-culis tuis, sequetur pluuia lachryma-rum. *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum*: pulsis vaporibus, & hu-moribus crassis, resolutisq; in suspi-ria, & fletum, tenui visu ipsum Crea-torem attingent. At dices, Anima? Si oculi deficiant, etiam hic in terris recreantur viridi obiecto, vel perspi

Sen: de Cõs: ad ro lib: c. 3.

Isa: 39.

cilijs applicatis. Ita est: Spiritualiter ergo vtere ijsdem medijs, ad conseruandos oculos, Anima, viride velum erit dictum Saluatoris in passione: *Si in viridi fit, in arido quid fiet?* rumina virorem passionis, meliorabuntur oculi. Assume perspicilia, alienas videlicet orationes, quæ iunctæ tuis, grandiorem Characterem legis Diuinæ conseruandæ impetrabunt. Merita etiam cōsidera oculorum Diuæ Virginis MARIÆ, quibus ipsum Creatorem allicere præsumpsit, vt non deserto cœlo carne indueretur. Apostolorum, Martyrum, quorum oculis placuerant magis vestigia non delicata Christi, præ omnibus pompis & vanitatibus mundi. Iob: *Pepigit fœdus cum oculis, ne cogitaret de Virgine.* Iob c. 31.
Et si volumine peccatorum grauaris, fac aquam similem, quæ in papyrum effusa, delet scripturam; vel ita poluit, ne legi possit. Catalogum, annotatorum delictorū manu inimici, lachrymis oculorum perfunde; euanescent ex conspectu Iudicis æterni:

cœcutient Dæmones, lectione non perlectâ. Oculos contine, Anima, vt effugias pœnas secuturas: præmia oculorum obtinenda, anhela suspirio & lachrymis.

Secundò. Terra, & Cœli, oculorum gratia creati: non prodest cœco pulchritudo, nec solatium. Angeli gaudiosa salutatio, non accepta Tobiæ: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Christus nulli sensui benedictionẽ publicam attribuit, nisi oculis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Sæcularibus oculis lustrantur omnia: peregrinationes oculorum voluptatibus suscipiuntur: desiderium restituendi patriæ, oculorum consensu acceleratur: oculis palatia, Emporia, Vrbes, Prouinciæ, fabricantur. Maiestas Regia, veneratione oculorum celebratur. Amor coniugalis oculorum iudicio solidatur: oculis, signo lachrymarum dolor & compassio, propalatur. Oculorum directione pugiles decertant. Oculi amabiles, Dominorum alacri-

Tob: 5.

Luc: 10.

tate recreant famulatum: filiorum consolatio, affabilis aspectus parentum: vicissim summa acerbitas, si obducatur auersione oculi Genitorum. Absolon mori elegit, præ tædio, orbatus visu Dauidis. Pœnitens Anima, affirmando non se dignam aspicere cœlum præ multitudine peccatorum, restituitur gratiæ Diuinæ. Oculis Sol lucet; Luna, ductor viæ noctu; Stellæ multitudine, & lacteo circulo ornatæ, exercitium oculorum ruminantur. Oculorum regimini, membra cætera subiecta: testimonio oculorum indubitata fides. Seneca eiusdem sententiæ: *Homines plus credunt oculis, quàm auribus.* Gressum pedum formant Oculi, casum euitare docent; manus ad nutum oculi circumferuntur; caput ipsum attendit inclinationi oculorum, operationesq; suas mandato illorum exequitur. Lectione memoria proficit: Intellectus concipit. Voluntas determinat arbitrio oculorum. Os offæ vicinum aberrat, conductoribus oculis non at-

Seneca Epist: 6.

tenden-

tendentibus. Auditus visu confirmatur: odoratus materiam redolentem oculis agnoscit. Gustus, oculorum approbatione sibi applaudit. Tactus, differenriam contactûs visu assequitur. Oculi inueniunt gratiam apud homines, & Deum. Mater Dei inuenit gratiam apud Deum, oculorum desiderio videndi Messiam. Nec linguâ carent oculi. Credendum Regi; *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?* Oculi cœlo inhærentes, anxiè videntur deficere, & dicere Creatori: Quando veniet auxilium de cœlo promissum? Anima per oculos loquitur, quasi quærēdo consolationes, deficientesque attrahendo, & expectando. Gloria cælestis, propter visionem Dei, (vt est Redemptor) commendatur: Oculorum exultatio infinita, præmium præmiorum. Pœna enim contraria in inferno, quæ est Damni, carentia vultûs Cōditoris, oculos inexplicabili lacerabit dolore. Demum, Trinitatis SS. speciem aliquo modo de-

Psal. 118.

linea-

lineamentis adumbrant. Duo oculi similes, ijdem affectus ab vtroque, & visio æqualiter procedens, definit illud inaccessibile cognitioni Mysterium Trinitatis. Itaq; oculorum tuorum perpetuam visionem, Anima, procures frequenti detersione, fletu & suspirio, impedimenta emittendi radios virentes. Oculi non flentes, aut peruersionem naturæ, aut moribundi hominis indices. Caue, Anima, naturam indisciplinatam, ne moriaris morte non moritura Orco, assiduâq; omni tẽpore meditatione æternitatis, contrahe habitum lachrymarum: grauiter enim affligit conspecta miseria: statue sempiternam ante oculos; afflictione transitoriâ euades cruciantem, apprehẽdes consolantẽ.

Tertiò. Deum, oculum habere passim colligitur. Ego, Anima, ex tuo
Ps:30 solito Rege intimabo: *Ecce oculi Do-*
32.33. *mini, super metuentes eum.* Iterum alio
34. Psalmo: *Oculi Domini super iustos.* Re-
84. spicere affirmat: *Iustitia de cœlo prospexit.* Isaiæ sensus conueniens: *Ruit enim*

Hierusalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum, contra Dominum, vt prouocarēt oculos Maiestatis eius. Isa: 3.
Laus oculorum ingens, pauor vehementior: si oculi non correspondent oculis Supremi, omnia videt oculo Deus. Lynx visu dicitur præcedere, cedunt ei terni parietes: Dei oculis Cœlum, Terra, Infernus, aperta: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Psal: 138. Trepidat coram præsentia Dei, Rex cordialis; in oculis Dei circumspectè age, Anima: Est spectator Deus, vt Homo, & vt Deus; duplicatos, plenos Maiestate, reflectit oculos. Epicurus optabat, dicens: *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus; vt sic tanquam illo spectante, viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Apud Sen: Ep: 11. Reuerentia, contineret oculorum intemperantiam. Ecce Christiana Anima, inferior virtute Ethnico Helluone, Dei oculum non veretur; liberè absentiam eius imaginans, ingurgitat se voluptatibus. *Certatur* (prorsus) *ingenti quodam* Sen:

de Ira. li: 1. c. 8.

nequitiæ certamine, maior quotidie peccandi Cupiditas, minor verecundia est. Similitudine Creationis quodam modo reuisio fit, ab oculo Dei, nostrorum luminum. Experientia nouit, oculis alterius non visa imago, aspicientis in ægro, desperationi vitæ subscribitur. Creator dissimilitudinem Imaginis creatæ aduertens, arcet ab ingressu vitæ æternæ. Oculi infirmi, immissi profunditati Capitis, Medicos licentiant. Oculi, terram & profunditatem absq; fundo adamantes, valedicunt Medico Animæ. Imago depicta, non mouetur, nisi aliena, vel pictoris manu: Animæ oculi colorati, dextrâ artificis cœli, nunquam firmi. Oculi morti destinati, columnâ stabiliores: damnatorũ visus, ad quæuis horribilia iudicia Diuina, stipite tardior. Noua inuentione imaginum oculi mouentur, retro puluere, instar clepsydræ decidente, fit compulsio. Raro exemplo, mortis adueniente nuntio, defluente horâ vitæ, primò oculi commouentur suspirio, & la-

chrymo-

chrymoso affectu, vtinam non falso. Certè oculos Deus imitatur humanos, leuissima obstacula non patitur, acutissimi doloris lima. Tria præpedientia visum à D. Bernar: recensentur: *Tenebræ, humor concretus, puluis iniectus: Hæc ipsa sunt, quibus interior oculus impeditur, sed alia nomina sortiuntur; nam quod hic tenebræ, ibi peccata dicuntur: ipsa verò peccata confluunt in memoriam, quasi in quandam sentinam, & hic est ille humor concretus: quod autem hic puluis dicitur, hoc ibi cura terrenorum actuum nũcupatur. Hæc igitur tria sunt, quæ oculum intelligentiæ cõfundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: Tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorundem, cura terrenorum actuũ. Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta, cùm diceret:* Dereliquit me virtus *mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Cùm enim luce iustitiæ destituimur, nil aliud, quàm peccatorum nostrorum tenebras inuenimus. Item, secundo se grauari sentiebat, cùm diceret:* Conuersus *sum in ærumna mea, dum configitur spina: peccatorum scilicet recordatio. Tertio,*

Diuꝰ Ber: in Assum: B.V. Mar. ser: 4

occupari se conqueritur, cùm dicit: Quia cinerem tanquam panem manducabam: Cinerem scilicet Orationis, pro pane Contemplationis. Triplici morbo, triplex Remedium coniungit. Primus, per Confessionem. Secundus, per Orationē. Tertius curatur, per quietem. Longiora verba, ac compunctiora. Dauidis ergo querimonia, obnoxiū se reputando, impedimentis, pleno suspirio, & apertis lachrymis, solitarius
Psal: 30. in tribulatione loquitur: *Ego autem dixi, in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Vellent impij obfuscare intuitum Diuinum, vt liberè grassari in peccatis permittātur.
Sen: de vita bea. c. 15. Arguuntur criminis à Seneca: *Deo parere, libertas est.* Repercussio in sano oculo obiecti verissima: Lumine perfecto coloretDeus effigiem propriam in oculis tuis, Anima. Horrenda mōstra, sine Creatore, oculorum inficiunt palpebras; sonat prouerbio communiter: *Oculus Domini saginat equum.* Oculi Diuini, iactationem cogitationum in eum, enutrient: *Non dabunt in*

æternum fluctuationem iusto. Accipe, Anima, medicinam, oculorum conseruationi, imminenti periculo, opponitur naturali motu potissimùm manus dextra: si hebetantur oculi peccato, & concupiscentiâ, velociter dexteram Christi vulneratam clauo, attolle, & contege vultum; fortitudine repellet insidiatorem; armata clauo penetrabit laqueos Diaboli; ferrum acutum, manum Diuinam ausum perforare. Commendatur ab antiquitate, & labore, ferrum. Clauus Christi, Mille Sexcentis triginta sex annis, confectus labore permissiuo, ob peccata mundi (contemplatiuâ audaciâ ausim proferre; *Omnipotentia Dei*) est gladius Goliath, factura Diaboli instrumento, caput eidem præcisum; vtere imitatione Dauidis: fugiens hic à facie Saul Regis ad Achimelech Sacerdotem, accepit ab eo panem Sanctum, simul & gladiũ; cui dixit Sacerdos: *Ecce hic gladius, Goliath Philistæi, tolle*; (& ait Dauid) *non est huic alter similis, da mihi eum.* Anima, 1. Regum c. 21.

 si pre-

si premunt te peccata, accede ad Sacerdotem, secundùm ordinem Melchisedech: accipe Panem Sanctum, Venerabile Sacramentum, consumẽdo (gladius Goliath, clauus dexter Christi, non est huic similis) dicito; da mihi eum, Creator mi, sanguine tuo rubet Diuino. Amplectere, lachrymis riga, & conserua: propone oculis sæpiùs intuendum, cum Rege

Psal: tuo repetens: *Si habitauero in extremis*
139. *maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; non timebo casum, fortis vt mors, & dilectio, & directio tua. Creationis beneficio obligatum te declames, & in prosperis, & in aduersis: quod luculentiùs Capite altero describetur. Nunc ple-

Psal: nè confitearis: *Domine, non est exaltatum*
130. *cor meum, neq; elati sunt* (dupliciter) *oculi mei*. Cauterio, oculorum debilitas, retrò appositâ vesicâ attrahitur. Elationem securturæ mortis dolore deprime, audeas quoq; dicere: *Neq; elati sunt oculi mei*: non efferas eos ad res creatas, ne efferaris in vrna extra cæli

sedem:

ſedem : purifica compunctione lachrymosâ, & ſuſpiriorum dēſa emiſſione, inuenies Creatorem, perpetuòque aſpectu iucundo frueris.

Proſperæ, & aduerſæ res, beneficium Creationis poſtulant.

CAPVT V.

DIuina bonitas, non creauit niſi omnia benè : *Deus enim non tantùm eſt aliquo bono bonus, ſed bonum omnis boni.* Agnoſcunt tacita voce omnes res creatæ. Homo, cuius gratiâ ſinũ aperuit Miſericordia Dei, improbat Creationem : ſi proſperis munitur, amnyſtia perpetua Conditoris. Inuēti, qui æternitatem transferre in terram cuperent, omninòque affluentia dona ſibi deberi, blandienti iudicio concludunt. Si aduerſis titillatur, ira in Deum ſolum inſurgit, eum verbis & affectu proſequitur; doloris leuamen contumeliâ illatâ ſentit. Dauid S. Auguſt.

 euiden-

euidenter confundit talium insolentiam: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliásti; annis, quibus vidimus mala.* Nõ dimitte sequelà Regem tuum, ô Anima: cor, & oculos, in recognitionem gratitudinis Diuinæ, suspirio, & lachrymis, conforma cum Iob: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* Pater eadem manu consignat hæreditatem filio, quâ excessiuum vapulare consueuit. Dextera Dei creauit hominem: Dextera manûs crucifixa Dei, vt homini Creatione, bona fecit; passione mala emẽdauit. Timenda correctiua manus: *Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Tangit in hoc mundo, & vociferamur: percutiet in altero, & silebimus: ideò tangit, ne percutiat: ad contactum fuge delictum, Anima, & euades pœnas percutientes. Filium suum Deus percussit, propter peccata populi, & populus peccans, immunis existet? Negabis iustitiam Diuinã; pro pomo, exilium tot annorum, maledictio con-

Psal: 89.

Iob c. 2.

Iob 14.

uersionis in puluerem. Pro stupendis peccatis, quæ ipse Infernus exhorrescit, si aut Domus cineribus commisceatur, aut pars thesauri mutet Dominum, aut dens pruritu ieiunet; aut pes peristromate plumato, securè nō inuoluatur: aut lapillus rodat vesicam; aut caput humoribus repletū, reijciat puluinar: aut ventriculus oderit offam: aut Cor, morte delictoderit contrahatur: aut libertas diuagandi carcere coërceatur: aut vsus Bacchi, febriculâ dissuadeatur: aut merces, lusu marino, euanescant: aut ira Domini faciem obnubilet: mille detestationes, iniustèq; salaria à Deo immissa, latissimo gutture proclamātur. An non aduertis, omne genus humanæ constitutionis, prosperis, aduersisq; plantari? vt quò amplior dignitas, eò densiorem horum comitatum non solitum, assistentem habeat? Frumenti, vini, & aliarum rerum caritas, sæpè videtur afflictionum plena seges: plurima namq; semina vbique, tribulationum; quæ

non immerito disperguntur. Innumera sunt numero. Quinque, ad iuhcturam quinq; vulnerũ Christi, proponentur causæ angustiarum.

Prima. Vt exules nos, Deus digito commonstret: Omnis peregrinatio sordida, mundi sordidissima. Breuissimè illam Sapiẽs definit: *Tanquam memoria hospitis, vnius diei prætereũtis.* Reflexio oculorum, in tot Domitores orbium, vaporẽ euanidum depingit. Quis Patriæ restitui cuperet, si peregrinatio molli lecto, & saturo stomacho, conficeretur? Accidit vni in via montium, vt artus debilitatos, caupona fumosa, & abstemia, exciperet hospitis; rogat conductorẽ, velit aptiori prospicere; non inuẽto, replicat: Visnè commodè quiescere? annuente fatigato, Domi tuæ, & in patriâ, conueniens te expectat requies: à peregrinatione tractari commoditate, despera. Quis immutare ergo Patriã vellet, si inoffenso, & immaculato pede, expedire dies vitæ, mente volueret. Incitamenta sunt, aspe-

Sap: c.5.

ri casus, ad desiderium Patriæ, & admonitores, nè pax in substantia mundi stabiliretur. Desiderio suspiriorum aspira, Anima, ad illam æternam mansionem, ad quam cōdita es. Maior cura de te Dei, quàm parentum, de vno hærede relinquendo. Vnde laudabiliter S. August: *Qui habuit curam tui, antequam esses; quomodo non habebit curam tui, cùm iam hoc es, quod voluit vt esses?* Homo verò cupiditate transcendit voluntatem Dei. Gradus altior, etiam illicitis quandoq; conciliatur modis: è paupere, diues factus, vlterius Gazæ pondus aggregat. Redarguit Seneca crescentem appetitum: *Nemo nascitur diues: quisquis exit in lucem, iussus est lacte & panno, esse contentus: ab his initijs, Regna nos non capiunt.* Cogita ergo, Anima, in aduersis, de Patria, peregrinationem transitoria velocitate percurre.

De prouid.

Ep: 20.

Secunda causa. Vt Deus, sui memoriam, pectoribus inscribat nostris. Inter Prouerbia: *Bona, diu omnes recordari: mala diutiùs.* Abripiuntur prosperitate

ritate, Anima, senius tui: cœli Dominum, amnistia delet cordi: cogitationes variæ mũdanæ, obruunt memoriam Creatoris. Dauid fatetur se

Psal. 76. meminisse: *Memor fui Dei, delectatus sum, & exercitatus sum.* Explicat D. Bernard: *Delectatus per voluntatem, exercitatus per rationem: nè ergo à memoria repellat Dei, irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere, tanquam vilis plebs in atrium: ponatur ad eius portam ianitor, cuius nomen Recordatio propriæ professionis, vt cum turpibus sese cogitationibus senserit animus prægrauari, increpet se, & dicat sibi: Tunè hæc debes cogitare, qui Sacerdos es? qui Clericus es? qui Monachus es?* (sic in omni statu applicandum) *Cultor iustitiæ, debet in se quidquam iniquũ admittere?* Quando admonitio D. Bernardi efficacia priuatur, Deus ipse est Admonitor, aduersitate: vt cùm nolis spõte eius recordari, coactus ipsius non obliuiscaris. Hinc tot vota, tot suspiria, depromit Anima, quæ obsoleta puluere secundæ fortunæ, iacuerant neglecta.

Tertia. Vt caducam instabilitatem mundi, contemptu agnoscamus. D. Gregor: optimè: *Si in constantia mundi amatur; quid fieret, si firmitas suauis promitteretur?* Cui fidendum? Prospera, citò, vti matura poma, marcescunt. Aduersa, longitudine mæroris extensa, excrescunt. Prospera, vt D. Bernard: *Suauitate suâ incautum faciunt: Aduersa, quidquid amaritudinis habent, velut potiones amaræ, suspectum, & inuidum faciunt.* Prospera timentur, nè amittantur: Aduersa timentur, nè aduenian. Remedia Dei sunt, aduersa; vt ipsa execrando mundũ, cum pompâ eius vilipendamus. Prospera enim, sæpiùs æterno compensantur supplicio. De C. Mario Plutarchus attestatur, postquam varices vnius pedis sibi secari, magnâ constantiâ passus esset: alterum Crus curari noluit; sed aiebat: *Non est dignum tanto dolore remedium.* Tu contra, Anima, in aduersis profer: non est condigna doloris promeriti pœna; maiora merui à Creatore. In tribulatione fastidium sui,

In Med: c.14.

deliciæ mundi pariunt. Si corpus infirmitate corripitur, ſanatur amaro pharmaco: ſi Anima decumbit afflictione, conualeſcit eiuſdem ſtabili perpeſſione.

Quarta. Vt pœnam in hâc vitâ, leuiùs exoluamus. Sine vlla comparatione, mitiùs, ac remiſſiùs, cum Debitore, Anima, Deus agit in hoc ſæculo, quàm in futuro. Illuſtrat Bellarm: ſimilitudine: *Sicut noſtri mercatores, multò viliùs merces ſuas vendunt, ſi prompta, & parata pecunia numeretur, quàm ſi in longum tempus ſolutio differatur: Ita & Deus multò clemẽtiùs agit, ſi hic dum viuimus, alacriter patiendo, ſatiſfacere velimus; quàm ſi poſt obitum, in futurum ſæculum differamus ſolutionem.* Multa ſunt, quæ minuunt rigorem iuſtitiæ Diuinæ, Sacrificia, Eleemoſynæ, Orationes, Ieiunia, peregrinationes, fundationes, propoſita firma bonarum actionum: morte ſubſecutâ, alienæ voluntati relicta, frigidiùs exequuntur. Raymuudus putat: *Plus valere vnam Miſſam auditam in vita, quàm cen-*

Bell: Cõc: 4. de Trib.

tum poſt

tum post vitam: sicut per diminutionem pœnæ, & augmentum gratiæ, vt etiam pro remißione culpæ, quam meremur. Hic immissiones Tribulationum, Anima, oppone Iustitiæ Diuinæ, satisfaciendo pro peccatis. Vocantur quædam pira in Italia, *Brutæ bonæ*: quod significat, turpes, sed bonas. En afflictionũ vocabulum; pulchritudine carent, bonitate abũdant: quia à Bono Deo, in bonorum finem, ad præmium æternum assequendum, (si patientia condiat) immittuntur.

Quinta. Vt Deus maiora stipendia meritorum, Electis suppeditet. Philosophus Seneca: *Quantò plus tormenti, tanto plus gloriæ.* Militi, numerus amplior cicatricum, largiorem manum Ducis bellici meretur. Si vim Regnum cœlorum patitur, violentia illata, & repulsa, non fit absque labore, sudore, mœrore. Regnum cœlorum, dignum vt vi occupetur, tali nimirum precio, quo cœlũ caret. Aptè Bellarm: *Merces non benè venduntur, vbi earum magna copia. Quocirca in hoc sæcu-*

Sen: de prouid. c. 3.

Bell: in Côc:

lo, vbi

8. de Tri-bul. *lo, vbi nullus est, qui domi suæ non abundet tribulationibus, ipsæ vbiq; paruæ fiunt, nec vllus in eu emen lu, obulum vnum expenderet, etiamsi totius mundi tribulationes afferentur. At in cœlo, vbi nunquam toto anno vllæ conspiciuntur tribulationes, sine dubio, magni fiunt.* Christus immensis tribulationibus, & aduersitatibus, Cœlum aperuit. Apostoli, & Omnes Sancti, eadē claue immissi: quò maiora perpessi, eò vberrius præmium accepēre. Appete ergo, Anima, aduersa; suspirio, lachrymis, recorderis Creatoris tui: illi enim, qui impatienti animo perferunt aduersa, similes sunt pisciculis; qui dum friguntur in sartagine, & ardorem olei tolerare non possunt, de sartagine saltant in ignem, de temporalibus afflictionibus, ad sempiterna properantes tormenta. In prosperis, voluntariè sacrifica: deducat te dextera Creatoris, inclinatione infima. Deo gratitudine læta respon-de; terminum, limitemque Ambitionis, tibi constitue. In aduersis, ex necessitate fac virtutem: dextera Re-

demptionis te recreet: in congruũ, membra delicata esse sub capite spinoso. Vtaris D. Pauli verbis: *Si vtiq; nos iudicaremus, non iudicaremur.* vel Hannibalis: *Res aduersæ, & prosperæ, ita me exercuerunt, vt rationem sequi, quàm fortunam, malim.* Summa ratio, Voluntas Dei; Fortuna vaga, mundi inconstantia. Quid? perfecti sanctitate, ardebant desiderio aduersitatum. Ibãt Apostoli, *gaudẽtes à cõspectu Concilij, quia digni habiti sunt, pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Dauid tuus expostulat à Deo tentationem: *Proba me Deus, & scito cor meum.* Impetrauit, & quo fuit probatus, non celat: *Probâsti cor meum, & visitâsti nocte: igne me examinâsti, & non est inuenta in me iniquitas.* Accedit Demetrius Æthnicus, similitudine dicti: *Nihil mihi videtur infeliciùs eo, cui nihil vnquam euenit aduersi.* Hoc exornat aduersitates, Deum præsentem adesse patienter tribulatis. Fatetur Rex afflictus: *Cum ipso sum (dicit Deus) eripiam, & glorificabo eum.* Rex Dominus, non inuitatus

S. Paul.

Liu: Dec: 3. li: 8.

Act: 5.

Psal: 138.

Sen: de prouid. c. 3.

Psal. 90.

à seruo, veniens in domum, affligit illum quodam modo expensa vltra morem: cursitatio versatilis, nec caret damno, multo ore comeditur Regum aduentu; libenter nihilominùs sustinet mercedẽ excessuram calculũ, occasione oblatâ, tractationum spe promittente sibi, persuadet: Deus si adest, in aduersis rumorem affectuum quidẽ concitat: at posteriori consolatione, duplicat annonâ calamitatis, præcedentis iacturam. Anima, suspira, & oculos ad fletum conducas, vt & prosperæ, & aduersæ actiones, non displiceant Creatori. Ad eius similitudinem creata es, cõforma te voluntati Diuinæ. Vt verò meliùs exprimas similitudinem Cõditoris, breuissimo Capiti secuturo, aure attentâ assistere te promitte.

De similitudine Creationis.

CAPVT VI.

SImilitudo alicuius personæ Regiæ posturæ, laudi ducitur. Creator ho-

tor homine ad similitudinem formato, persuadet persistere in repræsentatione sui: Et homo, in quantum potest eradere, satagit. Hoc ipsum deflet Rex, Cytharâ: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal: 48.
Nabuchodonozor, visibili oculo Diadema in cornua transmutârat. Idem oculus, sæpiùs non errat, si imitatione hominem, bestiæ figuram, assumpsisse credat. Sit exemplum, Ebrietas: *Ebrietatem esse voluntariam insaniam,* Senecæ testimonio confirmatur. Insania opponitur rationi, quâ amissâ, homo non homo relinquitur. Nec abs re aliquis, Ebrium, quinque bestiarum habitu, ordinariè comparere asserebat: si saltatoriâ lætitiâ, & Psalmodiâ Bacchi, occupatur: Caper vocitari inuitatur. Si obfuscato liquore cerebro, altique somni ingrato roncho, aures verberat: Asini stuporem induisse præsumitur. Si rixis, feroci clamore, ac cædibus, potus euaporat: Leonis truculentia adscribitur. Si risu, &

ſu, & geſticulationibus alienis imitandis, commenſalibus inſeruit; Simiæ effigiem exprimit. Si volutatione luti, & emiſſione ore, nimij humoris terram deturpat; ſuis, æquali munditie, conſanguinitatem, vel potiùs ſpurcitiem æmularur. Cuidam Nobilis filio, inſigni potatore genito, cum omni cura, Pater, abhorrere à vitio Ebrietatis, ſtuduerat: non obtẽto effectu, ſollicitum caput Genitoris, aſſiduâ cuſtodiâ detinebat, vt ea ratione, occaſionem potûs intercluderet: Secretâ viâ, guttur filij madefiebat nihilominùs: Ecce ſimul vtroque ſpectante, non ſobrius ciuis tranſit, aberratoq; ſicco itinere, profundum lutum, corpore, & facie ipsâ lambebat; lucta cum fœtoribus, in cachinum omnes erumpere coëgit. Tum pater ad filium conuerſus, hunc eſſe fructum ebrietatis intelligat, abominabilem oculis rẽ deteſtetur: ſimili caſu, eũ ſæpiùs impegiſſe ſciat, vtq; vltimum dicat vale crapulæ, hortatur. Filius interim famulo ali-

quid inſuſurrat. Pater, reputans eum pœnitere facti, interrogat ſeparatim ſeruitorem, quæ verba auriculæ eius impoſuerat filius: cui famulus; apertè ſe iuſſum à Domino meo, tuo verò filio, inquirere, vbinam loci, Ebrius ille, caput oppleuerit; omninò ſapidiſſimo vino recreatum ſe gaudere, ſocietatiq; eius ſe iungi cupere. Fortior aliquando Conſuetudo, ipſâ Naturâ. Idem de alijs vitijs intelligendum. Pulchrè Bellar: *Quid aliud impudicæ mulieres, quæ ſolo aſpectu venenum in corda Adoleſcentum iaculantur, quàm truculenti Baſiliſci ſunt? Quid ſunt obtrectatores, niſi canes? Quid arrogantes, niſi tauri? Quid verſipelles, niſi vulpes? Quid luxuriæ dediti, niſi ſues? Quid rapaces, niſi lupi? Quid auari, niſi Talpæ? Quid verò crudeles, niſi Tygrides?* Suſpirio & lachrymis, Anima, inſipientiæ Mortalium compatere; & adnitaris ſimilitudini Creatoris conformari. Tribus præcipuè modis ſimilitudo agnoſcitur: Facie, Staturâ, Moribus. Applica faciem Deo Patri: Staturam Redempto-

Bell: in Cōc: 3. Ad uers. tiones.

ri: Mores Spiritui Sancto. Facies nō tam externa, quàm interna, assimilatur Patri, creata vtraq; ab eo, & formata; magis internam concupiscit.
Psal: 18. *Omnis gloria eius ab intus.* Sponsa Dei, Anima, intus splendore creationis eluceat; & concupiscet Rex speciem talem. Potentiæ tres, Creatione, subsecutâ æternitate, repræsentant Cōditorem; vt S. Bern: *Per Memoriam, Patri similes sumus: per Intelligentiam, Filio: per Voluntatem, Spiritui Sancto.* Intellectu varia cognoscuntur, præcipuè Deus non relinquatur ignotus. Voluntate, amantur multa: Deus præ omnibus diligatur. Memoriâ, plurima recordantur: non obliuioni tradatur Deus. Vas fictile, absque voce, figulum commonstrat. Anima voce prædita, formatorem celat. Ioannes Baptista, titulo vocis gloriabatur. Homo vocibus implens terram, mutescit occasione Dei: quod magis, vt Bellarm: dicit, condolentia prosequendum. *Qui voces esse non volunt, vt clament benè; vtinam multi essent, nec clamarent*

S. Ber: in meditati: de Anima. c. 1.

Bell: in Cōc:

marent

marent malè. Filio Deo Statura, con-
forma te, Anima, ad mensuram æta-
tis plenitudinis Christi: in virum per-
fectum plenitudinem staturæ adim-
ple, perfectione remissionem offen-
sæ Christi obtine: si exiguitas longi-
tudinis impedit, Zachæi more, arbo-
rem Crucis ascende, eleuatione spiri-
tûs à rebus terrenis, inuitantẽ te Sal-
uatorem, in Cor tuum exaudies. Stã-
do, mensura altitudinis oculis obijci-
tur; Christus raro sedit: sessio appel-
latur requies ociosorum. Circumam-
bulabat Prouincias, & stabat Filius
Dei. S. Ioannes, in medio stare Chri-
stum promulgat, quem Pharisæi ne-
sciebant. Mensura illius est: *Cœpit*
IESVS *facere, & docere*; arduum opus,
mundus contra Medææ, subscribit
versui: *Video meliora, proboq́, deteriora*
sequor. Malunt homines alios instrue-
re, quàm experientiâ propriâ, doctri-
nam facto comprobare: imò aliena
vitia redarguunt, ipsi maioribus ine-
scati. Quid? ipsâ scientiâ docendi
abutũtur, applausus linguarũ notant

3. Ad uen. S. paul: c. 4. ad Ephe.

Act: 1.

Bernh:

Bernh: de Garzon, in discursib⁹ suis, quatuor metas ponit illorum, qui pro scientia adipiscenda laborant: *Sunt quidam qui scire volunt, vt sciant, & Curiositas est. Sunt quidam qui scire volunt, vt sciantur, & Vanitas est. Sunt quidam qui scire volunt, vt lucrentur, & Cupiditas est. Sunt quidam qui scire volunt, vt ædificent, & Charitas est.* Postrema scientia amplectenda. Statura Christi, fuit à monte Oliueti, ad cœlum pertingẽs; Anima, nisi simili extolleris, baratro, nani formâ, perpetuò occluderis. Pluma, vento impellitur facilè: depone sarcinam vitiorum, suspirio altiùs innocentiam vitæ perfice; attinges cacumina cœli, ipsumque Dominum staturâ assequeris. Romæ, Staturæ Christi, æqualis porta visitatur: nõ inuentus, qui planè impleret spatium; aut minori, aut maiori quantitate transitur: si non totaliter imitatione Creatorem, attinges, studeas aliqua ex parte adæquare. Spiritum Sanctum indue moribus: Ignota nostris sæculis essentia, vti terræ appa-

ruit meditare, Anima, Colũbæ specie simplicitatem, puritatem, gemitum docet: pennas Columbæ deargentatas, Dauid præcepit induere; solitariam vitam, si non actu, desiderio suspirij, non reijce. Linguæ instar, visus ab Apostolis Spiritus Sanctus: Tuam linguam Spiritui Sancto offeras, vinctam corde. Rarum hoc in vitâ mortali, gladius biceps, acutus, lingua. Æsopus optimam, & pessimam rem, linguam, iocoso proposuit cibo. S. Bernard: describit linguam: *Tenera, mollis, & exigua caro, hominis Lingua: quis Sapiens magni pendat? Leuis quidem res, Sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit: leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit: profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur: facilè volat, atq; ideò facilè violat Charitatem.* Eâ de causâ, ignita lingua Spiritus Sancti, Charitatem linguæ commendat: accende linguã amore Dei, Anima; viuas soli Creatori. Audi Senecam: *Sic viuẽdum cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquen-*

In Ser: de triplici custodia.

Episto: 10.

dum cum Deo, tanquam homines audiant. Et fit, vt lingua à corde, distantiâ cœli ab inferno, dissideat: Lingua Psalmizat; cor ineptijs immersum, residet. Scito, Anima, te dexterâ Creationis illius æterni pictoris depictã: at tu deturpare picturam contendis. Est in propatulo, si pictura puluere tenebratur, vento oris, vel scopâ
Psal: 37. mundari. Executus Dauid: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Leonis ferociam adhibuit, vt suspirio extergeret maculã, puluere mundano contractam.
Psal: 76. Nec scopæ defuêre: *Meditatus sum nocte cum Corde meo, & exercitabar; & scopebam spiritum meum.* Si adhuc pictura non elucidatur, lauatur. Idem Rex:
Psal: 50. *Laua me ab iniquitate meâ: & à peccato meo munda me*, Deus. Iam si colores vix apparent, iterũ penicillo melioratur, præcipuè facies; fatetur Psal-
Psal: 118. mista: *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* Obsoleta imago similitudinis Dei, emendari postulabat. Fecit Deus dextrâ manu, terẽto clauo dextro, quasi penicillo, rubeo sanguine illu-

ſtrauit corruptam picturam. Adhibetur aqua coloribus: affer, Anima, Saluatori lachrymas; perfectiùs illuminaberis. Mirandum magis, effigiem clauo affigi ad parietem: Paries, Christus. Applica te, Anima, clauo dextero, firmiter hærebis, vel ferro, vel corio, iunges picturam parieti. Sic Rex tuus Cytharædus: *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Psal. 76. Circulari ferro, clauus & pictura cohærent. Meditatione ferreæ Æternitatis, conglutinaberis clauo, cum eodem Cytharizante: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pungas te, ô Anima, memoria Dei, & dicas tibi: Scias, quia Deus fecit me, & non ego me; vt ad eius imaginem, æterna gloriá, accedere possis, exora. Hac, vel simili Oratiuncula.

ORATIO.

DEvs, in quo non est mutatio, & qui ex infinitâ misericordiâ, hominem ad tuam formâsti similitu-

dinem: per opus Creationis tuæ, obnixè rogo te, Creator meus, non te pœniteat creationis meæ, nec ego obliuiſcar in æternũ formationis tuæ; ſed vt ſimilitudine illâ fruar, quâ tu Electis tuis te communicas conſpiciendum. Qui in Trinitate perfectâ viuis & regnas, in ſæculorum ſæcula.

AMEN.



IESVS, MARIA, ANNA.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS.

Ex beneficio Redemptionis.

LIBER III.

Redime me Domine, & miserere mei: pes meus stetit in directo. Psal: 25.

De Redemptione.

CAPVT I.

VIrga Moysis percussit fluuium Ægypti, & versus est in sanguinem: Vtinam atramentum, calamus, & lachrymæ, percussione virgæ cœlestis compunctionis, conuerterentur in sanguinem; si non, ad minimùm in confusionem, & ruborem, ob ingratitudinem tuam, o Anima, Redemptionis IESV. Antequam pateretur Dominus, horrore futurarũ Genes: c.

pœnarum, teneritudine complexionis iuuante, sanguineo sudore iecit semina passionis; messis velox die sequenti adfuit, crescentiâ spicarum rubentium, altissimam Crucem adæquando; vel eâ pondus vberrimarũ segetum sustinendo, multiplicatione effusionis copiosâ sanguinis. Ne mireris, Anima, celerem Messem. Partes mundi calidiores, anticipant Mẽsibus collectionem manipulorum. Intensus calor charitatis, excoxerat semina horti sanguinea, inde abundantem vindemiam properè accelerauit. Ipsemet sol æstu supernaturali adustus, nigredine mundo comparuit; luna ab eodem, non lumen, at tenebras, participante. Hominum ingenia, caniculâ operante Diabolicâ, dementata, nec signis, nec obscuritate luminum cælestium moueri, timore vel dolore, poterant. Noë vino inebriato, pudenda detecta Cham irridente, duo reliqui filij pallio contexêre. Christo amore Animarum repleto, in Cruce viscera non tantùm

dete-

detecta, imò dilacerata: Nepotes Cham impij, nõ irriſêre tantùm, ſed magis inſultauêre. Inanimata ſydera, Sol & Luna, pallio lugubri, ſplendore creato reſeruato, operuêre: Sem & Iaphet vices obeuntes, malitiam mortalium non ferẽtes, caliginemq́; duriſſimorum cordium repræſentantes. Benè poti vino, facie rubedinem, & corpore maculas ſanguineas erũpentes, celare non poſſunt. IESVS tuus, Anima, vino dilectionis nimiæ ebrius; facie, & corpore ſanguineo eleuatus in ligno, omnibus apparuit. Sponſa atteſtatur de Chriſto: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Candidus innocentiâ, rubicundus amore. Mirabilis illa dies ſine luce: Nec Sol ordinarijs illuſtrauit cœlum radijs: nec Sol Deus, vt homo, recreauit mundum. Horreat mundus, recreationem ſibi feciſſe ex morte Dei. Diem ergo, vel noctem, apellem? vagari cogitatione confiteor. Maledixit diei ſuæ Iob: *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox, in qua dictum, conceptus eſt*

In Cãt: Cantic: c. 5.

Iob c. 3.

homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustret lumine: obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Pereat illa dies, in qua mortuus est Deus, & nox (tenebris ignorantiæ, solis lunæq; occlusâ luce) in quâ dictum: Condemnatus est, Iudicio decretante, Deus. Dies ille versus iam, re ipsâ, in tenebras. In hoc diuersitas, requiret eũ Deus desuper, in Iudicio terribili, an fructuoso effectu Passio successerit: vel si non requiret à Damnatis, perpetuo lumine non illustrabuntur. Obscurârunt tenebræ incredulitatis Iudæorum, illum diẽ Passionis; vmbra mortis aderat; & verè vmbra, respectu mortis æternæ, quam vmbra mortis Christi, in vmbram meram conuerterat; vt Sapiens agnouit: *Visi sunt oculis insipientium* (iusti) *mori: illi autem sunt in pace.* Vel vt quidam in Epitaphio inscribi versu curârat:

Sap: c. 3.

Nil trepidate animæ, Christo qua creditis, Vltra
Mors nulla est, tantũ mortis imago manet.

Caligo

Caligo vndique occuparat diem Passionis; nec verbera & Crux, commiserationem; nec verba mitissima absolutionem; nec Innocentia merebatur veniam. Inuoluta dies amaritudine, Deus enim totius consolationis amaro potu reficiebatur. Quot occasiones habes, Anima, lachrymarum, & suspiriorum? cohibere potiùs studerem excessum amaritudinis, quàm persuasorio calamo materiam insufflare. Conditio peruersæ naturæ humanæ, sicco supercilio, vaporeque carnali repleto ore, trāsit spoliatum, vulneratum Deum à latronibus peccatorum. Samaritani compassionem indue, Anima, oleo, vino, videlicet compunctionis, ad minimum depositum de Cruce inunge Redemptorē. Eleemosynâ cōducas Chirurgos, qui vulnera obuoluant: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* In hospitiū Cordis introducas cum Dauide: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatásti cor meum.* Dilatabitur Cor vsque ad Cœlum, nec Infernus capiet te, si pœ-

Apud Mat: c. 24. Psal: 118.

nas Christi percurres, mandataque sine voce, quasi Dei patientiâ ipsâ dictâte, virtutes reuolues cogitatione. Dies passionis, dies magna, & amara valdè. At dices, Anima, illum diēnè aut noctem, nominare magis libebit? Controuersia digna disputatione Catholicâ: Quomodo dies fuerat sole increato, & creato extincto? quomodo dies, in qua nihil animaduertebatur à Iudæis, & plebe vniuersa, variarum gentium, ex maximis operibus, quæ à Domino fiebant? vt Bel-

In Cōc: 7. de tribul. larm: appositè: *Videbatur Christus in cruce pendens, nihil agere: sed nunquam tanta egit, quāta tunc; mouebat terram, scindebat lapides, frangebat velum, obscurabat solem, aperiebat cœlum, mortuos excitabat, & quod maius est, peccatores ad pœnitentiam conuertebat; ita, vt à cruce multi redirent percutientes pectora sua.* Impletum est

Psal: 113. Dauidis in Iudæis: *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient.* Quomodo dies? in quâ concessum

Psal: 30. est, secundùm Psalmistam, operari: *Exibit homo ad opus suū, & ad operationem*

suam,

suam, vsq; ad vesperum. Fuitnè opus humanum tunc, interficere vitæ auctorem? (vt S. Petrus exprobrat) & vsque ad vesperum, in Cruce pendere permittere? Nox veriùs: vt idem Rex: *Sol cognouit occasum suum*: maximè, occidente eo, qui ascendit ad occasum morte pretiosâ. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant escam sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Nox altissima, dum bestiæ Iudaicæ rugiebant, & querebant, permittente Patre æterno, tãquã escam, dilaniare Christum. Quid? Crudeliores bestijs. Eadem opinio Bellar: *Constat ipsas feras à nonnullis hominibus feritate superari. Quis nescit, tempore nascentis Ecclesiæ, vrsos & leones, à Sanctorũ Martyrum corporibus lacerandis, abstinuisse: à quibus tamen crudelißimè transfodiendis, & in frustra concidendis, homines feris truculentiores non abstinebant.* In ipso Capite Martyrum, Inferno promouẽte, qualem non exercuerant impij ferociam?

In Cõc: 3. Aduentus.

Pilati ipsius commouebantur oculi, vtque eos ab irâ implacabili auocaret, flagellatum obtulit conspectui, dicens: *Ecce Homo.* Quasi dixisset: Iam filius Dei non est, subiectus tot verberibus; iam nec Homo, amittẽs decorem vultûs humani: conquiescite furiâ, Iudæi, concedite vt dimittatur: non permiserat inenarrabilis crudelitas mentium; nox certè summa, non dies, illa dies. Quando post resurrectionem ortus fuerat sol, illa vera dies, congregati furere, stupere, & timere, in abditoq; bestiæ Hebraicæ collocatæ, pudore & pœnitentiâ facti sese occultantes. Nox omninò in passione; soli Deo dies, sed dies patientiæ: nobis sit dies memoriæ, dies pœnitẽtiæ. Inscribe semper hũc diem recentem cordi, Anima, in Calendario vitæ tuæ. Ecce Mater Ecclesia, feriam Sextam quàlibet Hebdomadâ iterat, vt redeat reuocatio passionis in mentes mortalium, mortem Domini ruminando; vt mors nesciens finem, nesciatur. Et inueniuntur,

qui non tantùm aſſiduè annos Intercalares, Calendario maleuolo, celebrant; ipſas Septimanas, vno die excluſo paſſionis, abbreuiant, vel in lætos transformant; vt in Polonicam Parabolam abeat: Feria Sexta, ne immuteris in diem Dominicum. Gaudium, & Muſica, aſſidentibus cibis & poculis, excludit diem venerandum Dolorum Chriſti; choreis, lautoque prandio, auertit à cōſideratione tanti Myſterij. Quocunque te vertas, Anima, ſine labore, materia ſuſpiriorum & lachrymarum te comitabitur. Paſſio Chriſti, eſt mare, in quo liberè vagari huc illûc, cōtemplatione, poteris. Meo conſilio, littus attende huius maris: inopia, debilitaſque ingenij, & admiratio, arceat te ab ingreſſu. S. Petrus exiliens è naui, periclitabatur: ſi tamen vis ſulcare hoc mare, nauiculam Petri intra, meliùs littus, vel finem paſſionis conſpicies. Caue nauigijs illis, plenis velis emiſſis, tuam concredere ſalutem; qui ſolam paſſionem ſatisfacere abſq; meritis

ritis nostris, vēto aquilonari reboante decantant. In Petri nauicula legis: *Exemplum dedi vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis.* (Ioã: 13.) Passus Christus, ergo & tu pati non dedigneris? Mare quatuor donatum proprietatibus: salsedine, motu continuo, eiectione rerum iniectarum, cadauerum intolerantia.

Passio Domini, sale abundat: ingratum gustui carnali, at si sal ex aquâ eius conficitur, condimentum ciborum, vel quintum Elementum conseruationis Humanæ. Passionem meditando, Anima, lachrymis efficies salem iucundum, cum S. Paulo: *Superabundo gaudio in Tribulatione.* (2. Corint: c. 7.) Vel cum S. Bernardo: *O* IESV *mi dilectissime, spes suspirantis Animæ; Te quærunt piæ lachrymæ: Te clamor mentis intimæ.* Omnia tua opera bona, conspersa sale passionis, sapidissimo cibo nutriunt te, Anima, & conseruant vitæ æternæ.

Motus continuus in mari. Deuita ocium, quod est puluinar Diaboli: non transeat vlla dies, qua vel suspi-

rio, vel lachrymis, passionis memoriam non reuoces; mouebit Cor tuũ, & liquefies, tanquam cera ab igne, charitate reciproca.

Mare, eijcit res proiectas ex se. Reiecit in passione Christus: inops, & nudus affigi voluit; & tu, Anima, terrenas diuitias, saltẽ animo repelle, non immergaris delectatione earum, neq; decipiaris, existimans necessarium, quod verè est superfluum: & si quidpiam defuerit, gaude ex animo, ob amorem, & imitationem pauperrimi Christi.

Cadauer, si mari portetur, tempestas insurgit valida. Peccatò lethali offendere verearis, Anima, Deum: si incides, concita tempestatem intus, fluctibus lachrymarum, Orationum, flagellationum, Confessionum, expelle cadauer peccatorum, & terrenis asseclis relinque: venialia delicta, purga eodem actionis modo. Passione Christus eiecit vniuersa cadauera flagitiorum; dignè mari cõparatur. Noueris, Anima, è mari omnia

flumina sumere ortum, ibiq; iterum se dulci aquâ exonerare: è passionis Domini dolore, lachrymæ, & suspiria Christiana, initium accepêre. In exitu vitæ, suauiter secundò redeũt, pręmium immortalitatis, redẽptionis merito, consecuturæ. Ingredere ergo viam Contemplationis, Anima. cõmuniter, vt feliciùs intretur domũs; dexter pes priùs immittitur. Conductorẽ hunc habeto: si deuiabis, cruor emanans, clauusq; pedi infixus, vestigium erroris excludet. Dignitatem primò passionis, interno oculo gratitudinis, Capite sequenti, intuere.

De Dignitate Paßionis.

CAPVT II.

VInciri, verberari, non est liberi, sed serui salarium. Refert S. Bernard: *Benè quidam Rex, cùm percussus humanâ sagittâ, peteretur, vt se ligari permitteret, donec excinderetur: quia leuißimo motu mortem poßit incurrere. Non decet,* inquit, *vinciri Regem: Libera sit Regis, &*

Cap: 4. de passione.

semper

semper salua potestas. Exclamat inde: *O Deus Deorum, quantùm fuit derogatum libertati, & potentiæ tuæ?* Cùm Deus à facinorosâ plebe captiuus, & constrictus funibus, & fustibus, duceretur. Mirum hoc; excedit miraculum, Deũ hæc passum: & tamen mortem, & crucem, in dignitatem & libertatem, vertisse. Quamuis Seneca dicat: *Liber nemo est, qui corpori seruit.* Epi: 92. Deus summam libertatem docuit, corpori humano inseruiendo: Ita minùs fuit, Deum assumpta carne mortuũ, quàm induisse corium mortale. Proprium est hominum, ignominiosa pati. Vsus Deus verbis illis: *Homo sum, nihil à me alieni puto.* Patibula, gladij, & mortis instrumenta, maximè propter Homines. Christus, vt Homo, crucem & mortem sustinuit: vt Deus, ignominiam Crucis & mortis, in gloriã vertit. Si enim, vt Philosophus argumẽtatur: *Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & cuicunq; horrenda, cùm ad Sapientem perueniunt, mansueta sunt:* Epi: 85. in fine Sen. Tantò magis, si ad ipsam Sapientiam, & De-

um, lau-

um, laudabilia, & orbi imitanda exiſtunt. Dignitas ergo ſumma in paſſione declaratur, tribus præcipuè modis.

Primo. Conditione patientis, ipſum fuiſſe Deum.

Secundo. Verſo genere tormentorũ Crucis, in trophæum.

Tertio. Cœlum, decreto Diuino nõ potuiſſe aperiri, niſi per mortẽ Crucis. *Ad primum* Paſſionis dignitatis gradum: Deum paſſum, infinitâ Eloquentiâ paſſionem commendari: cauſamq; aduentus in mundo non fuiſſe

Luc: c.24. aliam, ipſo patiente propalante. *Nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ita introire in gloriam ſuam?* Rudis mundus, omninò reprobaret, falſo iudicio, patientiam, ignorans naturâ ipſa commendari. Miſeria generat paſſionem, & patientiam: quid miſerius vitâ Hu-

In ſer: 4 Heb: paſſ. manâ? Teſtis eſt S. Bernar: *In ſordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur, ante exitum miſeras oneramus matres: in exitu more viperæ laceramus; mirùm, quod non ipſi laceramur?* S. Paulus docet: *Patientiam eſſe neceſſa-*

riam,

riam, vt reportemus repromissiones. Mundus contrà, summæ indignitatis patientiam, calculo erroneo, condemnâ-rat. At ab exemplo quando commẽdatur passio, & patientia? cùm Deum pertulisse totâ vitâ varia, & in morte crudelemCrucem, ab Ecclesia solenniter publicatur. Sapientiæ æternæ inuentum; vt passio remedium esset indignationis, inter Deum & hominem. Fortè hoc agnouerat Salomon: *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* & S. Bern: *Quiquis patientior, probatur esse Sapientior.* Qui ergo incusat passionẽ Dei, Sapientiam impugnat. Accidit sæpè, vt exemplo Regis, excitentur animi ad facienda opera Regia. Si in conflictu acerrimo, Rex ipsemet furentibus sese offerret armis: nonnè Aulici Regij, & milites obliti periculi, non tantùm sequi, sed anteire Regem cuperent; maximique decoris iudicarent, auicinari telis hostium. Vides, Anima, Regem, & Deum tuum, certamine cruento certare cũ mundo, & carne, & inferno: & non

Prouer: c. 19. De trib9 Ordinib9 Eccl.

duces

duces gloriæ, ei assistere, si non dorso, saltem lachrymis, & suspirio? Mulieres effæminatæ, belligerantibus luctu: & tu ne talibus armis quidem passioni Dei tui cooperaris? Ideò Deus passus, vt maiori compassione, dignitatis personæ respectu, ad compatiendum inuitaret. Quemadmodũ enim oculi sanitas, digiti curationi anteponitur; & si mendicus vapulat, nemo se opponit; si Rex, vel filius Regis leuissimè tangitur, Regnum totum turbatur: Ita cùm oculus ille Diuinus, & Rex, & Deus verberatur, & cruci affigitur; totum regnum hominis, vel Microcosmos, moueri cõpunctione deberet: at nos vertimus folium; Deo passo insultamus, nihilque curamus: si nostra cutis percutitur, vel etiam minimo dishonore afficitur, affectus omnes in lamenta, & vindictam, resoluimus. Laudatur Vriæ factum, cui cùm imperâsset Dauid, vt ascenderet in domum suam, respondit: *Arca Dei, & Israël, & Iuda, habitant in papilionibus: & Dominus meus* (Lib. 2. Re)

Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, & comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Eodem tono tu, Anima, dicito: Deus meus, & Mater Dei MARIA, & Apostoli, Sanctiq; omnes, habitant in luctu doloris: Elegerunt, Dauidis voce: *abiecti esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*: Et tu voluptatibus indulgebis? per Deum abiura facere rem hanc. Dignitatem passionis admirare, ipsiusque Capitis tui, Christi præcipuè, quæ ipsum Deum ideò cœlo detraxit, vt illam perfectissimè decurreret. Constantinus fundamenta templi cũ Iubileo Christianitatis aperiens, ipsemet Cophinos duodecim, manibus eiecerat proprijs. Certatum imitatione à Proceribus: nil vile Monarchicis operibus, quid Dei? Meditare ergo, Anima, frequentiùs, dignitatẽ passionis, quæ in corpore Christi eminebat. Sequitur Crux Sacrosancta, Instrumẽtum,

2. Reg. c. 11.

Psal. 83.

quo passionem compleuit Deus. Ex preciosâ materiâ aliquid sublime elaborare, non tàm oculorum admirationem rapit, quàm si contempto artificio superet magnę æstimationis facturam. Palea, res parui momenti, in nationibus exteris Galeri, subtilitate elaborati ex palea, capitibus Principum fœminarum imponuntur, ac in Archiuio gemmis ornatorum pileorum, societati affiguntur. Reuisoresq; Heroum, supellectilem magis lustrare inuitant paleæ, præ purpureo Indumento. Ita planè Cruci euenit. quid abiectius fuit tormento Crucis? ipsa denominatio à cruciatu secuta. Prouerbio Romano repellebantur à consortio: *Abi in malam Crucem.* Nunquam auditum ante, bonam fuisse Crucem. Artifex cœli immutauit, manibus & pedibus affixus, vt Crucis ignominia, fieret credentium Gloria. Iam quanto honore & reuerentiâ, colitur? S. Bernardi referam verba insculpenda animæ: *Certè & Crux preciosa est, & Crux amari potest, &*

In festo S.

Crux

Crux habet exultationem. Ita est, si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum: non est syluestris arbor, lignum vitæ est, apprehendentibus eum. Arbor fructifera, arbor salutifera est; alioquin quomodo Domini occuparet terram? illam dico preciosissimam glebam, cui clauorum infixa est radicibus? Si non esset hæc preciosior cunctis, fructuosior vniuersis; nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. S. Andreæ, Crux fuit desiderabilis. S. Petro, Crux fuit perspectiua, per quam è terrà, capite inuerso, cælestis via rectà ostensa. S. Paulo, Crux, mundi delitiæ: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV *Christi.* S. Francisco ornamentum corporis, impressio Crucis. Constantino, Crux, victoriæ signum: *In hoc signo vinces.* Mauritio, Crux, absconditi thesauri index. Diademata resplendent Cruce. Templa, aureis, argenteis Crucibus condecorantur. In turribus & apicibus templorum,

Andr: De piscibus mũdis. ser: 1.

Ad Gal: 6.

Cruces, Domos Dei denotant. Crux visa, deponit coronas regum; Ducales pileos Principum: Fastus & prærogatiuas Monarcharum, sæpiùs ad similitudinem Crucis allidit. Et quidē ab omni æternitate præuisa Crux, corpore Christi nobilitanda, induxit Creatorem; vt Crucis quadripartita forma, multa fierent in mundo, sine quibus actiones peragere creatæ res non valerent. Quatuor partes mundi: Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, Crucem formant. Alites, volatu Crucem exprimunt. Homo, charitatis amplexu, crucem declarat: natando, crucem aqueam ostendit: deprecationem humilem, cruce demonstrat. Gladiatores, initium pugnæ, cruce inchoant. Lucta mutua, cruce peragitur. Dæmones, quid magis cruce horrent? nec exemplis, nec testimonijs opus; quatuor angulos crucis illos, velut cornua timent: dextra, sinistraq; manus Domini cōfixæ, tenent hostem animarū, ne nocere possit: pes vterque, vim eius re-

pellit, allisoq; inferno, carcere detētum catenat. Faciem, placantem iram Dei Patris, expauescit Diabolus, neque comparere audet: Crux, est honor laboris Christi. Antiquitas Romana, Honoris Templo, proximum exstruebat Laboris, ex hoc in illud transitus concedebatur: *Sic vbi vber, ibi tuber; vbi fel, ibi mel; vbi Honor sine onere? Si onus desit, verus honor non erit.* Grauis quidem labor, at præmium æternum. *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Ii, qui in cursu brauio potiri cupiunt, arduum sitnè iter, an non, minimè laborant; metam oculo blando aspicientes, eleuant solatio pedes. Redemptor noster, metam, quæ est salus nostra, intuēs, cursum peregit durum: in ligno Crucis pendens, eleuârat pedes ad clauos infigendos, motu charitatis, dexteræ præcipuè dexteram, & carni resurrecturæ propriæ, Patris præparans, & nobis suam dexteram communicans. In cruce salus nostra, quomodo ergo illam non extollemus, dignitatem

Drexel: in Gym: Pet: lib. 1. ca: 3.

non deprædicabimus? imitatione nō amplectemur? Benè D. Paulus: *Crux pereuntibus quidem stultitia: his autem qui salui fiunt,* (id est nobis) *virtus Dei est.* Cōtumeliâ affectus Saluator in Cruce, & Crucem, & nos, ab æternâ liberauit ignominiâ. Dicito ergo, Anima, iubilo corde: *Fælix contumelia, cuius finis gloria* Non considera quid portârit Christus: sed quis ille, qui Crucem baiulârat, est? Simile accipe à Bellarm: *Si Reges, & Principes mundi, omnes vnâ die purpuram, & sericum exuerent, & pannosis, & rusticanis indumentis vestirentur: nonnè id omnes homines, atque Aulici inprimis, imitari vellent? Nonnè tā pluris Rusticus pannus, quàm holosericum fieret? At nunc Sūmus orbis Monarcha, Princeps Regum terræ, id fecit: induit vestem tribulationis,* (& Crucis maximè) *& quod antea rusticum sagum, nunc Regia chlamys effecta est: cur igitur nos seruos, & famulos, tantoperè pudet, Principem nostrum imitari? cur nobis gloriosum non ducimus, aliquid pati, & in paupertate, & labore viuere, cùm id tantoperè in nostro Rege, atq; Imperatore,*

1. Corint. c. 16

In horol: prec: ca: 1.

In Cōc: 8. de tribulat.

laudemus? Et si Rex præciperet sub pœnâ, veste rusticâ vestiri, nonnè omnes exequerentur? Christus clamat, distribuitque omnibus Crucem: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Vestis Aulicorum Christi, Crux (Italicè, *Liurea*) est cælestis, portantibus vitam æternam; despicientibus, gehēnam promittit. Christus fuit Rex, Corona eius Crux. Christut fuit Doctor: Ecce Epomis, vel pallium Doctorale, (Crux) humeris eius portatū. Sunt qui gemmas ad latus, decoris causa, iam apponunt: Christus Crucem lateri imponendo, ad montem Caluariæ baiulauit. Hac de causâ, Ecclesia extollit laudibus lignum Crucis: *O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi; dulce lignū, dulces clauos, dulcia ferens pondera.* Maledictio Crucis, pondere Christi benedictionis nomen meruit, amaritudo in consolationem immutata. *Vti Moyses, per præceptum Dei, ponendo lignum in aquas amaras, conuertit in dulcißimas:*

 sic imi-

S. Hieron. ſic imitator Chriſti, per medium SS. Crucis, quod lignũ ſignificat, & memoriam paſſionis Chriſti, oportet, vt conuertat ſuas lachrymas pœnitẽtiæ, in gaudium, & ſuauitatem ſpiritûs. Doctrina pro te, Anima, propter dignitatem Paſſionis Chriſti in cruce, quæ, vt iam veniamus ad tertiam Dignitatem, aperit cœlum. Quis cogitâſſet tali morte, in ſtipite infami, ſublato Creatore, cœlorum portas patefieri? Verè Abacuc: *Cornua in* cap: 3. *manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors.* Cornua Crucis abſconderant fortitudinem, Clauorum detentione, manuum & pedũ: ſed fugit mors ante faciem eius, vel præceſſit, vt mortuos in Lymbo æternùm viuere permitteret, omneſque mortales. Romanorum Aries, muros obſeſſorum quaſſabat, multarumq; manuum curſu, addito impetu, portas effringebat. Cæleſtes portas ob turatas, Aries Chriſtianus, Crux Redemptoris confregit: non tantùm Pſ:75 portas, verum, *potentiam arcuum, ſcu-*

tum, gladium, & bellum. Centomanus appellari potuit ille, qui vir dolorum vocatur: Cursum addidit, processione illâ longâ, cum hoc ariete, ad montẽ Caluariæ. Grauissimus aries, quem nec *Giganti egresso ad currendam viam*, portare soli concessum; fortè, vt nos omnes, exemplo Cyrenæi, ferre humeris, & cõportare doceremur. Crux, est Arcus triũphalis Christi, quo cœlum cum gaudio excepit Triumphatorem. Crux, est gladius Goliath; illo enim caput inimici insultantis præcisum: ideò apud Abimelech Sacerdotem asseruatur in Templo cælesti. Consuetudo recepit, vt arma Principum conseruentur pro thesauro. Caroli Magni, Aquisgrani custoditur Ensis; Scanderbergij similiter gladius obuoluitur. Crux ergo pro ingenti Thesauro, in Archiuio cordis asseruetur, ab Animâ Christianâ, quæ efficit, quod caro humana altius omnibus Angelorũ Choris ascenderit, vacua loca eiectione superbiæ, humilitate compleuerit. Innumerabilem

Psal: 18.

à D. Ioanne turbam in cœlum intulerit. Crux, eſt ſtemma altiſſimi, quâ teſtamentum vltimæ voluntatis obſignauit. Lectus, in quo vita vitam amiſit, & mors mortem condemnauit. Cathedra, in qua ſuccum virtutum, Concionator Chriſtus prædicauit. Oratorium, in quo confidentiùs Patrem iratum pro nobis mitigauit. Suggeſtum, in quo, facundia cruenta vindictam Diuinã mollificauit. Altare, in quo Sacrificium, tanquam ſupremus Pontifex pacificationis, Deo Patri obtulit. Patibulum, in quo, Iuſtitiæ Diuinæ decreto, abundanter ſatisfecit. Vehiculum, in quo peregrinationis curſum, Deus, vt Homo abſoluit. Puluinar, in quo Chriſtus puriſſimam animam à mundiſſimo corpore, hoſpitio ſeparauit. Suſtentaculum, in quo ſupina Maieſtas Humanitatem reclinauit. Scabellum, in quo fatigatus amore nimio requieuit. Prætorium, in quo Iudicium, de abſóluendo reatu Hominum, peregit. Porta, in quâ promulgationem

Iubilæi consequendi, affixit. Asylum, in quo refugium peccatoribus promeruit. Arx, in quâ tutelam cõfugientibus construxit. Medicina, in quâ venena infernalia, ab infectis cordibus depulit. Thesaurus, in quo emendi cœli precium cõstituit Phe-retrũ, in quo preciosum corpus Christi tumulo deuectum est. Extolle ergo, Anima, dignitatem passionis & Crucis Christi, vt in vltimo Iudicio, non cedat tibi in æternam confusionem, cùm Iudex eo stipatus apparuerit: sed vt particeps posses fieri meritorum vtriusque. Hoc autem faciliùs obtinere confide, si uirtutes in passione eminẽtes, licet non omnes, saltem aliquas assequi imitatione assuesces, quæ inferiori Capite, tuæ proponẽtur, (Deo adiuuante,) Meditationi.

De quatuor virtutibus Paßionis.

CAPVT III.

ABique numero varietas, & excellentia virtutum, in passione Christi enituit: non præsumas comprehendere, Anima, cogitatione (minùs atramento,) extra hominis captum assequi conceptu; sed ingratum relinquere intactas. Sequaris D. Bern: consilium, (omnium enim succum exprimere, faciliùs foret Oceani aquam vno poculo contineri; quàm splēdorem virtutum Christi, ad paucarum linearum angustias contrahere) Hic quatuor præcipuas in Cruce Christum ostendisse, enarrat talibus verbis: *His virtutum gemmis, quatuor cornua Crucis ornantur: & est supereminentior Charitas; à dextris, Obedientia: Patientia à sinistris: radix virtutum, Humilitas, in profundo. His ditauit trophæum Crucis, consummatio Dominicæ Passionis, cùm ad Iudæorum blasphemias, Humilis; ad vulnera, Patiens, intus linguis, clauis exteriùs pungeretur: nam & Charitas in eo perfecta est, quod pro inimicis animam posuit: & Obedientia consummata, cùm inclinato capite tradidit Spiritum.*

In festo Pasch: de 7. Signis.

Prima

Prima virtus, *Charitas*, quæ ſupra Chriſti Caput in Cruce eminebat; & ipſum caput Saluatoris, Charitatis prototypon: vti capite omnia membra inferiora; ita Charitate reliquæ virtutes. Capiti debetur corona: Charitas, Regina virtutum eſt, ideò coronata Coronâ non aureâ, reſeruata illa præmio æternitatis, ſpineâ meritoria, Laurea perfectiſſimæ charitatis. Non ſatiabatur in capite Charitatis Charitas, niſi in Cruce. Crux, menſura eſt Charitatis: ſi nocẽs quis Cruci affigatur, Innocẽtia generatur: ſi innocens, exuberat ſe Charitas: quid, ſi ipſa Innocentia? ſatiſnè fuit teneri clauis charitati? non, ideò quidem pedibus & manibus diſcerpebatur, vt tandem modus exceſſiuus cohiberetur. Verùm, os liberum â clauo clamabat: *Sitio*. Iudæorum truculentiã nõ imitemur, qui felle putârũt reficere Charitatem. Nos cum Bel: exclamemus: *Quis noſtrûm ita ingratus, ita immitis, ita crudelis erit, vt Domino aquã ſalutis noſtræ ſitienti, fel amariſſimum pec-* Cõc: de paſſ

 catorum

catorum propinet? Salus nostra, magis quam tormẽta excitârant sitim Charitati. At Iudæi fortè existimârant fel, potum charitatis? non errârunt, hucusq; tali pharmaco potatur Charitas. Anima, peccata tua, sunt fel: estnè aliquis dies, quo non porrigis vinum amaritudinis tale, Saluatori? non puto: temperes, & veluti suaui Iulepo, lachrymis distilla fel, ne acrimoniâ offendat mellifluum os charitatis. Aliquot paria, miraculi instar, Amantinm, vetustas deprædicat: vnum exemplar supereminet omnibus illis, Christi, cum, Anima, ibi quidẽ Amicorum, mutua reddebatur Charitas; hic Ingratitudo crudeli lance, & lanceâ, certat cum Charitate. Cõuerterat plebs furiosa ferrũ: in Christum: Inuentusnè fuerat, qui dice-
Æneid. 9. ret: *In me conuertite ferrum, ô Barbari, nil iste nec ausus, nec potuit.* Contraria aures notârant: *Crucifige, crucifige eum.* Anima, detestaris vocem, imitaris effectum: quid aliud sceleribus tuis quotidianis facis, nisi millies cruci-

figendo Redemptorem? Christus, vt odium Dei contra peccatum ostẽderet, odium in se Iudæorum concitaret, odium in se Iudæorum concitaret: Tu, vt amorem peccandi publicares, odium Dei, contra te exasperas? desere tandem peccata, victa, & vincta à Charitate, Anima. Propone Crucifixum, hoc Distichon tibi inclamantem:

In Cruce sum pro te, qui peccas; desine pro me
Desine, do veniam, dic culpam, corrige vitam.

Rectè comparatur Charitas Igni, sursum magis ac magis fertur; non contenta Charitas Christi, loco inferiore eam exercuisse: exaltatur in Cruce: & sicuti ignis omnes sordes extrahit, ita ille, qui locutus est: *Et ego, si exaltatus fuero, omnia ad me traham.* Traxit peccata, traxit præmia; atque demersis illis, Cœlo coronas mortaliũ intulit. Modica aqua, igni infusa, maiorem excitat: magna copia eiusdem, extinguit ignem. Res caducæ huius vitæ, sunt aquæ decurrentes: si Ioã: c.12.

parum eis applaudimus, & cor non apponimus, Charitatem fouebimus: si verò illis immergemur, omninò euanescet Charitas. Ita in Euangelio:
Mat: c. 19. *Vade, vende omnia*: Suadet Christus iuueni. Quid ille? *Abijt tristis.* Difficilè est, corde humido appropinquare Charitati. Ignis, arida ligna consumit; ligna stridentia, vel non tam facilè ab igne superantur, vel illum obruũt potiùs: Animæ siccæ; (vti Dauid: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*:) recipiunt charitatem, & consumuntur Amore Dei.
Psal: 101.
Vti S. Franciscus Xauerius Societ: IESV, successor D. Thomæ, Indiæ conuertendæ: *Satis est Domine, satis est*: rogabat voce extaticâ; ne absorberetur à nimia Charitate. Sub Cruce MARIA, & Ioannes, & Magdalena, talia signa fuēre, quæ nisi miraculo conseruata fuissēt, ignis charitatis delicioso impetu deuorâsset. Sol & Luna, eodem igne calefacta, nigrum colorem contraxerant. Stridentia ligna, linguæ multæ blasphemantium, ad compun-

ctionem, & concoctionem rediêre charitatis. Idem ignis, forcipe Lanceæ, in Camino Crucis, à Longino commotus; scintilla eius adussit approximantem, interno, & externo oculo sanato. Mirabilis efficacia ignis charitatis, pro toto mundo incendiũ excitatum, idcirco totum incendit mundum. Hoc ipsum innuit Saluator: *Veni ignem mittere in mundum, & quid volo, nisi vt ardeat?* Ardeas & tu, Anima, eodem igne amoris Dei, cum D. Francisco: O IESVS *amor meus, & nil amplius* Redigeris quidem tali igne in cinerem pœnitentiæ: at scis, ex cinere fieri preciosa vasa, Mensis Regũ inseruientia. Ille idem Artifex subtilissimo artificio efformabit, vti S. Paulum vas electionis elaborauerat. Attende, & credas verbis Euangelij: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum, vt edatis & bibatis, super mensam meam in Regno meo.* Igne cibus & potus coquitur: sine Charitate omnia cruda. Facias quid velis boni, Anima, nisi ad ignem charitatis ap-

Luc. c. 12.

Luc. c. 22.

plicue-

1. Corint: c. 13. plicueris, rectudeſcent. S. Pauli experientiam propone tibi: ille omnia fruſtrà fieri, ſine charitate, aſſerit. Et ſuſpirium, & lachrymæ, ſi ignis charitatis Chriſti non excoquat, nihil tibi proderunt. Chriſtus ſanguinem, & corpus ſuum manducandum, propoſuit diſcipulis: fuitnè ad ignem appoſitum? Imò, teſtatur S. Ioannes, dùm vltimæ Cœnæ cæremoniam deſcribit: *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens* IESVS, *quia venit hora eius, &c. Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Ecce ignis Charitatis perſeuerans. Prouerbium Italicum: *Ferculum, bis calefactum, inſipidum.* Et tu, Anima, quoties redis ad calorem hunc Charitatis? excedit numerum reditus ad vomitum: Cum Imperatore tuo Redemptore, in finẽ diligas eum, ad vitę conſummationẽ, vti ille nos. Hoc idem imprimit S. Leo, verbis S. Ioannis: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos. Diligendo itaq; nos Deus, ad imaginem ſuam nos reparat; & vt in nobis formam ſuæ bonitatis inueniat, dat vnde ipſi quoq; quod operatur,*

Ioã: c. 13.

Ser: 1. de Ieiunio.

ratur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas; & igne nos suæ charitatis inflammans, vt non solùm ipsum, sed etiã quidquid diligit, diligamus. Terribilis dilectio Christi creaturarum. Dicitur: *Vt mors Dilectio*: Et Chtisti mors est Dilectio, & Dilectio, Mors. Excandesce, Anima, & rubore pudoris, & amore gratitudinis. Christus fatetur: *In Charitate perpetuâ dilexi te, & ideò attraxi te, miserans tui.* Et tu in charitate caducâ diligas Deum, & certè attraheris illuc, vbi sine fine diliges eum.

Secunda virtus, à cornu dextro Crucis, *Obedientia.* Primogenita filia Charitatis, idcircò dextra baiulata & ablactata: Cibus enim Christi, Obedientia. *Cibus meus est* (inquit S. Ioãnes) *vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Dextra pręcepit, dextra infixione claui obediuit, & Patri, & Hostibus. Magnum delictum inobediẽtiæ primorum parentum, expiari debuit, extẽnsio manûs ad pomum, extẽsione manûs ad clauum. Omnia æqualia & in Obediẽtia, & in Inobediẽtia. Duo parentes

rentes ibi, Adam, & Eua: Hic Christus omnium parens, Mater parens parentis omnium; lignum vtrinque, præsentia aspectûs vtrorumq; ligni, Hæc sola differentia inter Euam, & MARIAM: *Sicut enim Eua aspiciens cũ voluptate arborem mortis, nostræ ruinæ interfuit: Ita* MARIA *aspiciens cum dolore arborem vitæ, nostræ liberationi aderat.* Cõuersio, vti virgæ Moysis in serpẽtem, ita pomi in ferreum clauum. Dixerat Christus: *Melior est obedientia, quàm victima.* Victimâ, aliena caro mactatur: Obedientiâ, propria. Nescio, quid melius in passione; & Obedientiæ, & victimæ, preciosissima oblata eadem caro. De S. Venceslao legitur: in certamine singulari, cum Duce Curimẽsi Radislao, volens decurrere, perditioni subditorum obuiando: audit vocem inimicus Angeli: *Ne feri.* Cùm Deus decertat pro salute humanâ, voces acclamãtes resonant: *Crucifige.* Vtrobiq; obedientia, ille non percussus; Christus adeò excarnificatus, vt obedientiam, & Hostium in inferen-

Bell: in Dom: Pass.

do vulnera, & propriam in perferei-
dó, atteſtatione confirmârit: *Conſun-
ma:um eſt.* Inobedientia Adami, cla
uo *Obedientiæ* ipſius Chriſti, debuit re
parari. Francofurti ad Mænum, ſi re
us Capitis, elapſus è manibus, pôten
fugâ trâſierit, atq; aſſultu manûs fer-
ro affixo, portam ter ibidem percuſſe-
rit, immunis à periculo. Chriſtus fa-
ctus pro nobis quaſi nocens; pontem
vitæ humanæ pertranſiês, magno ni-
ſu ad ingreſſum Crucis, ter clauo fer-
reo, vel veriùs, tribus clauis manus
& pedes percutiendo, paſſiuè tole-
rans; non ſibi, ſed nobis omnibus vi-
tam amiſſam impetrauit. Stupore di-
gna Obedientia, è cœlo, propter cœ-
lum, in cœli Domino viſa; à creatu-
ris, inimicis, infimâ plebe, illata; à
Chriſto adamata. Extollit meritò
Paulus: *Chriſtus factus pro nobis obediens* Phil.
vſq; ad mortem, mortem autem Crucis. A- 1. c. 2.
ſcendit cum Chriſto obedientia in
ipſam Crucem: à iuuentute imbiberat
virtutem. *Et erat ſubditus illis*: MARIÆ Luc.
& Ioſeph, vt ſubditus, obediebat. 2.

Pudeat

Pudeat te, Anima: tu Deo, & eius sanctæ voluntati, refragaris? Suaue iugum, & tu intollerabile, tuâ nequitia, interpretaris: *Laborem fingis in præcepto.* Fictus labor certè, respectu laborum Christi, quos pertulit. Obediens, inspirationi eius dicas: *Audiam, quid loquatur in me Dominus.* Si obtemperaueris, loquetur pacem. Vtinam gloriaretur de te Deus, velut de populo simplici: [*In auditu* (inquit) *auris obediuit mihi*] innuendo: *vno momento processisse, & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multùm decorāt Obedientiam obsequentis. Propone fidelitatem Dauidis: Viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens, nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Hinc inter omnium Ordinum vota, Obedientia præcipuo ponitur loco: nullum maius remedium, vt à perfectis didici Religiosis, cōtra tē-

Psal: 93.

Psal: 84.

S. Bernar: de virtute obedien.

tationem

tationem Diaboli, quàm eandem reuelare Superiori, ex obedientiâ. Non patitur hoſtis Animæ hanc virtutem, quâ tot miracula confecta: abſq; pōte flumina tranatata; ignis calcatus nudo pede; ferrum ardens, manu intactâ geſtatum; mortui vitæ reſtituti: ipſi Dæmones non alio inſtrumento corpora obſeſſa reliquêre. S. Franciſcus, obediētiæ, beſtias & volatilia, aſſueuit inſeruire. E ſchola Crucis hæc virtus. Cornu obedientiæ dextrum, penetrat Infernum; mundūq; inobedientem, irremiſſibili rigore diſciplinæ, redegit ad Patris cæleſtis obedientiam. Ego, & calamo obedire volo; finem imponens, vt maiorem copiam Meditationi tuæ, ô Anima, ſilentio inſtillem.

Tertia virtus Chriſti, *Patientia*, è cornu ſiniſtro Crucis. Siniſtram tenuit non immeritò, Patientia, reſidentiā. Siniſter æternus, & reiectus à Deo, debebatur delictis nōſtris locus. Cogita, Anima, quales ſunt pœnæ infernales, & merita cæleſtia, vt ex primis

eriperemur, secunda cōsequeremur, indigna pati, secūdam Trinitatis personam, Iustitia Diuina coëgit. Tacita Crux, loquitur Patientiam, & enarrat illius multiplicitatem: è diametro, duæ naturæ in Christo tum affectæ: *Huius rei in veteri testamento illustrissima figura præcessit. Quid enim duo illi Hirci* (Leuit: 10.) *significabant, qui pro peccato populi offerebantur Domino; quorum alter mactabatur, alter in solitudinem liberè dimittebatur, nisi summum illud ac diuinissimum Sacrificium, quo Deus & Homo,* IESVS *Christus, pro peccato mundi totius oblatus est à Domino? Sicut enim vnus Hircus occidebatur, alter in solitudinem discedebat: ita in Christo altera naturarum eius, nempè Humana sola, cruciabatur; altera, Diuina videlicet, quodam modo abscedebat, & sociam suam, solam in supplicijs & tormentis, relinquebat. Hinc illæ voces: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: Factus sum, sicut Homo sine adiutorio, inter mortuos liber; & infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Patientia obturârat aures redēptoris, ne sciret quasi se esse Deum;

Bell: in Con.

um. & illi clamores : *Si filius Dei es, descende de Cruce.* Vacua Iudæorum tentatio, occultata fuerat potentia. Vt S. August : monet : *Christus in Cruce, quia patientiam docebat, ideò potentiam differebat.* Ex suggesto Crucis, verè, re, & verbo : *Pater, dimitte; non enim sciunt, quid faciunt* : prædicabat Deus patientiam. Ibidem mensura apparuit Patientiæ quadrata. Longitudo, tota vita, non nisi continuata durissima patientia, è stabulo, ad Crucem : persecutio, voluntariè assumpta, intollerabilis. Latitudo, quantum Deus vt Homo, brachijs extensis dilatare poterat. Altitudo, à cœlo egressus ad Crucem; patientiam exaltauit : ipse eâdem exaltatus. Profundum à Cruce ad sepulchrum, & ad limbum; vbi fine patientiæ imposito, præmij eiusdem exordium factum. Christus, acuto & vero visu, conculcans terrena Patientiâ, sublatus in cruce, despiciebat & conculcabat gaudia mundi. Quid tum mundum fecisse putas ? quomodo verecundia ipsa absconde-

In tracta: in Ioann: 37. in fine.

rit se more primorum Parentũ, agnoscendo Creatorem cœli & terræ, inexplicabili patientiâ defecisse. Inimica patientia mũdi, Vatiniano odio eam prosequitur. Hispanus quidam, dum tribulatione premeretur, atque ab alijs consolatione demulceretur, dicentibus: Amici sunt Dei, qui in mundo affliguntur. Respondit: Propterea tam pauci veri amici Dei numerantur. Verissimum: Patientia est Cos charitatis erga Deum. Martyrum omnium docet experientia: In patientia, tanquam in igne, probantur Christiani. Non alia & D. August: sententia: *Sicut sub vno igne, aurum rutilat, palea fumat: sic in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atq; blasphemãt; boni autem precantur, & laudant.* Ex hac doctrinâ Christi patientiæ in Cruce, multi laureati prodiêre. S. Iacobus inimicorũ plagas, oratione, pro conuersione illorum, retersit. S. Stephanus lapidum ictus, eodem tenore precationis, in Aduersarios reiecit. Imò appetitu maximo, Electi, flagrabant

De Ciui: ca: 8.

desíde-

desiderio patientiæ. B. Ioan: à monte Carmelo Reformatus, Christo sibi apparenti, & loquenti talia verba: *Ioannes, quid vis pro laboribus?* Respondit: *Domine, pati, & contemni pro te.* Argutiâ cælesti, nouerat alia loca esse pro præmijs laborum assignata: in vitâ, patientiam, stipendium esse laborum. Si ergo pro alijs tanta passus est Saluator, & pro te, Anima, quomodo delicias quæres, quæ peccatis tuis auges patientiam Crucis? Iustè patientia expiat delictorum copiam: *Patitur enim iustè quod nolit, qui non peccat nisi velit.* Eligas tibi aliquando malũ patientiæ, Anima: & Deus tuus, electionem Iudæorum, volens sequebatur. Crassa electio illorum: *A planta pedis, ad verticem capitis, non erat in eo sanitas*: Quia Infernus excogitarat vehementiam suppliciorum; necessarium fuit, vt cœlum inueniret fortitudinem tolerantiæ. Certamine vicit patientia dolores, Infernusq; superatus à cœlo, virtute patientiæ. Cōduxerat orcus ad dolores Christi, sum-

S. Bernar: de gratia, & libero arbitrio. Isa: c. 53.

mam

mam paupertatē, vt ab omnibus destitutus in Cruce, solâ vestiretur nuditate. Nouerca Synagoga, tali pallio Sponsum cooperuerat. At nuditas Christi, operit vestitas voluptates nostras, mortalesq; ijs indutos exuit, Infernū spoliat, denudataq; cælestia loca Angelorum reprobatorum, peristromatibus Animarum saluandarū contegit. Sed, vt apud S. August: loquitur Deus: *Creaui te sine te: non possum saluare te, sine te*: Iuua, Anima, tuam salutem, patientiâ propriâ. Leuamen singulare, post mortem, ex Christi latere sanguis & aqua effluxerat. Multa mysteria. Accipe vnum. Ad sanguinem illius, aquam lachrymarum compunctionis applica, compatere: si feceris, cedet tibi passio Domini in præmium vitæ æternæ; non frustrà effusum inuenies: si potes, & dorso sanguinem exprime: copula dorsum cum oculis, repræsenrabis sanguinem & aquam Christi simul. Quæcunque tribulatio immittetur, patienter sustine: recurras ad patientiā Heri tui:

dic constanter, Anima: *Auge patientiam, Domine, & auge dolorem.*

Quarta virtus Christi, *Humilitas*, in infimo cornu Crucis. Profunda Humilitas crucis, quam patiens Diuina humanitas depressit: & Crucem, & pondus corporis Saluatoris, sustinendo; foramen terræ, ingens concauum aperuit. Satis fuit Humilitati Christi, pedibus Sacrosanctis consecrare terram. Si hoc parum: satis clauorũ apertura, sanguine effuso inæstimabili, adornare Tellurem. Nec hoc sufficiebat: altissimæ Crucis impetu demittitur in foueam, vt & humilitatẽ Crucis excederet terra, & mẽbra discerpta clauorum dilatatione, magis humiliarentur. *Verè eleuans, allisisti* Benefactorem tuum, Ingratitudo: successerunt blasphemiæ immissioni humiliatæ, quæ Caput Christi, ad reddendum Deo Patri spiritum, inclinatione humiliârunt. Ita est, Anima, factum: sed ad erudiendum te in Humilitate. Multi, qui humiles sunt etiam ad verbera; nihilominùs, si vi- Psal: 101.

ſcera, vel dolore maiori, vel cõquaſ-
ſatione commouentur; vertitur Hu-
militas in Blaſphemiam: ſi detractio
accedit, vel in faciem, vel auditu co
gnoſcitur; humilitas cogitat vindi-
ctam: & quoad ſpiritus vitales regũt
artus, vltio coquitur. Vera, & ficta
Humilitas, cruce probatur. Religio,
nonnè Crux? & S. Bern: falſitatem
Ep: Humilitatis aliquando notàrat: *In*
126. *imo iacent, vident tamen omne ſublime: & in ſordibus ſatagunt, vt fulgeant.* Aula,
nonnè Crux? Quàm ſubtiliter Super-
bia coloratur Humilitate. Antequã
Honoribus, reditibus pingueſcit Au-
licus; quarti voti Humilitate putatur
eſſe obligatus: Vbi adeptus vtrumq;
experientia docet: *Honores mutare mores.* Aliquis, quatuor Euangelicis A-
nimalibus, Sectatorem aulæ compa-
rauerat. In acceſſu, Bouis formam,
oſtendit, labore, obedientiâ, aſſidui
tate ſeruitiorum, nunquam ocioſus.
Promouetur beneficio, dignitate, &
vtilitate eminenti; Leonis faciem in-
duit, parcus ſermonis & conuerſatio-

nis, ri-

nis, rigidus in commensales, & accusator quandoquè iniquus. Adhuc sedes altior, & dominium datur; iam, vti Aquila, omnia proprio rapit marsupio, vnguibusq; auaritiæ, etiam donata pauperibus, eripit, ac rostro insatiabili seorsiuo, reseruat. Tandem morte cõmuni, hominis reassumit speciem: & qui viuens aëreâ vanitate recreabatur; glebæ terræ, malo odore famæ relicto, nolẽs humiliatur. Christus veram Humilitatem apertè in Cruce aperuit: *Humiliando semetipsum vsq; ad mortem.* Nuda est Humilitas, si vera. Consuetudo Magnatûm, dũ ignoti prodire cupiunt, assumere vestes rusticanas, purpuramque tegere: qui stabili oculo considerat, vel superiùs eminens, vel inferiùs coccinũ deprehendet. Non aliter certè, qui Superbiam Humilitate inuoluunt: si aut altis gradibus intumescunt, aut contemptu deprimuntur; apparebit excessiua, caudataq; arrogantia. Ascensus in mente, descensus Humilitatis in ore, ordinaria hominis intẽ- Psal: 21.

tio. Aduertit in statu Ecclesiastico D. Bernard: *O peruersitas! ô abusio filiorũ Adam! quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum: ipsi & leuiter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores, & Celsitudines graduum Ecclesiasticorũ, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos.* Inde fit, vt & seculares, & Spirituales humilientur, supplicio humillimo, in centro terræ æterno. David Deum alloquitur: *Humiliásti sicut vulneratum, Superbum.* Vulneratus, nõ permittit tangi partem affectam, vicinitatem dedignatur: notatur defectus. Ab Chirurgis malè olentes liquores applicantur; sumptibus non parcitur. Proprietates Superbiæ sũt: *Noli me tangere*: minimã, etiam casualem trusionem, sæpiùs ferro, vel pugno vlciscitur. Si propè latus astas, fremunt, indignantur. Seneca definit Superbiæ attributum: *Est proprium Superbiæ, magno æstimare introitum, & tactũ sui liminis, pro honore dare, vt propiùs ostio suo assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in quâ deinceps multa sunt ostia, quæ*

De ascẽs: Dni.

Psal: 88.

De benef: l.6.c. 33 in fine.

receptos

receptos quoq; excludunt. Statim Superbia aperit oculos in se hominum, & nares oculatas tetro inficit odore. Expensas Superbiæ, quis calculo conscriberet? Humilitas in Christo, ex aduerso: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*: Latronibus intermixtus; nullus defectus nudo corpore, apertoq; latere detectus: leuissimam myrrhæ fragrantiam spirans, passione coniunctâ cum humilitate. Expensæ non visæ; ipsa vestis, militum lusui prostituta. Fructus secuti Humilitatis vberrimi statim: in Diuo Petro primùm; vt vbi caput Saluatoris in Cruce, ibi pedes Petri versus cœlum ascenderent. Pedes Christi, capita Sanctorum extollunt. Videtur in lusu pilæ: quo maiori vi terræ alliditur, eò altiori saltu aëra petit. Ita Humilitas, quò maiori imitatione Humilitati Christi sociatur; eò subliminori gradu cœlo inuehitur. Vti ferrum, pretiosa metalla, & crystalli, ex imo terræ eruuntur: Ita margarita, Humilitas Christi, ex Crucis atroci

Psal: 128.

illisione in terram, concipitur, lachrymisq; & suspirio expolitur, & conseruatur. Triginta annis, Saluator, Humilitatis habitum contraxit, antequàm miraculis, & semine Euãgelij innotesceret. Eo tempore gladium Humilitatis fabricauit, quo superbissimoGoliath caput amputaret.

Bell: Cõc: super Mis. Crux expressit Humilitate arborem: *Quæ quò magis fructibus oneratur, eò magis ramos suos ad terram inclinat.* Fac similiter, Anima, fructibus pœnitentiæ, Humilitate pondus addes. *Miseria est magna. superbus homo; sed maior Misericordia, humilis Deus: & ex tam immensâ misericordiâ, nondum nostram miseriam intelligimus?* Sequere, viâ Humilitatis, Christum, Anima, cum D. Gilberto: *Verè purpureus (* Humilitatis *) ascensus, quem Christi signauit Cruor, & passionis eius* Gillibertus. *colorauit fides.* Paulò inferiùs: *Quid tu dices, qui humiliationem seruitutem putas? Seruilis non est, quem Regalis nobilitat purpura. Ornamentum est etiam purpura Regium: hos si tu vel dedignaris. vel horres gradus, respice quòd purpurei sint. Humilitas*

ſuſcepta pro Chriſto, Regiam præfert dignitatem. Tu verò ſponſa Chriſti (Anima) *candido preme pede gradus purpureos : nobilis eſt ſemita, quam dilectus tuus prior inceſſit. Quàm pulchri etenim ſunt gradus purpurei, quos pede Sacro Chriſtus prior ſignauit! pedibus illis, quibus nullus puluis adhæſit : pedibus niueis, quos cruoris ſui ſignauit veſtigio. Et tu* (Anima) *ardenter veſtigia relege.* Pedem clauo affixum dexterum exoſculare, Crucifixi : affigas eidem te humilitate ; cum dolore quidem certo, calcabis Superbiæ faſtum : dexter pes, dexteram humilitate promeritã Chriſti, conſiſtentiæ æternæ immotam, promittit. In agone, æquâ lance, delicta & merita ponderabuntur. Indue nunc plumbum Humilitatis, lachrymis exprime Compaſſionem : ſuſpirio, opta Imitationem Ductoris tui Chriſti, vt exalteris in die Iudicij. *Sicut enim in librâ quantùm lanx deprimitur, altera eleuatur : ita quantò minùs homines ſibi tribuunt, tantò plùs tribuunt Deo : & quò ſe ipſos magis deprimunt, eò magis Deum extollunt. E contra Homines impij,* Bell: Cōc: 3. ſuper Miſſus.

atq; superbi, quantò sibi plùs tribuunt, tantò minùs tribuunt Deo: & quò se ipsos magis extollunt, eò magis Deum deprimũt. Quia verò Deus honorantes se honorat, & contemnentes se contemnit: inde verè, qui se vsq; ad profundum humiliauerit, vsq; ad cœlum exaltabitur: & qui se vsq; ad cœlum exaltauerit, vsq; ad profundum inferni demergetur. Has omnes Christi virtutes depinge memoria, ô Anima, & recentem speciem habeto. At fortè, vti imagines pretiosæ velo potissimum viridi teguntur: sic velo virentium voluptatũ, præcipuè velo obliuionis, & maximè Ingratitudinis, absconduntur consideratæ virtutes. Vt ergo ad oculum Ingratitudo passionis Christi virtutumque, & tua, Anima, & tui similium patefiat: quod sequitur Caput, non fucatâ veritate, mouente manu supernæ gratiæ, motori elucidabit.

De Ingratitudine Paßionis.

CAPVT IV.

POlitica Aulæ, ſi magnus Hoſpes præ foribus adſit, mittitur, qui excipiat nomine Hoſpitis Domeſtici, eumq; ignarum Hoſpitij, deducat, aſſignetq; debitum præeminentiæ locum. In Aula ſpirituali, videtur Eccleſiaſticus exprimere quid ſimile de Iuſtitia: *Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt Iuſtitiæ, apprehendet illam & obuiabit illi quaſi mater honorificata.* Sũmum aduentûs gaudium notatur, cùm materni amplexus, amplectantē filium comprehendunt. In Chriſto Domino, immutârat vtraq; Aula ſtylum. Miſit quidem mundus obuiam ſtatim, naſcenti Chriſto, Nuncium: at ingratum. Vicem legati obibat ingrata ipſa Ingratitudo, conduxit Deum in ſtabulum; Creatorem in præſepium; Benefactorem in egeſtatem; Regem in periſtromata paleata; caloris interni & externi Largitorem, in tremorem frigoris; Diuitem in nuditatem; Solem in noctis medium. Verè, quaſi nouerca expers honoris, introduxit: ipſe mundus reijciebat

Eccl: 15.

oblatam, volens, pacem. Conscribitur vniuersus orbis: signũ pacis. Mũdus, non inter homines, inter bestias, calculo inscripserat Christum. Angelorum resonat melodia, pacem in terris. Hærodis furor, etiam Innocẽtium vix gustatam vitam ferro, propter Natum è cœlo, præcidit. Planè impletur illud: *Pax, non pax.* Pax stabilis cœlo allata, turbat Hierosolymam. Ipsum nomen P A X, significat Mysterium Trinitatis: P. Patrem Æternum. A. Agnum Immaculatum, Filium ab æterno. X. Coniunctionem, vel processionem ab vtroque Tertiæ Diuinæ personæ, Spiritũ Sanctum, æterno signat indicio. In Iudæa triplex non pax: Hierusalẽ terretur, Bethleem cruentatur, Natus somnio pellitur. Febri acutâ Ingratitudinis torquebatur cor Hærodis. Regno exui timuit: non ea mens Christi in Mundo Regnantis. Retinuit Hærodes Iudæorum Regnum, æterno regno exulans: verùm cũ Infantilibus Christi membris, ludicra lucta ingra-

titudinis, vehiculo pedum Aſini tardo, fugam concedens. Maturuerat in Cruce Ingratitudo, pedes Chriſti ferreis clauis ligno imprimens, omnem euaſionem impediens. Ligno quidẽ ſolet mundus euehere æquè gratos, & inuiſos ſibi: humeris eiuſmodi ſeparat mundus mortales, quatuor pedibus ligneis in terram eijcit: Deum barbarè quatuor angulis ligni expandit, viuum, tractando crudeliter, mori indignè coëgit. Apage Ingratitudo, quæ naſcentem Creatorẽ inter beſtias, morientẽ inter Latrones poſuiſti; fortaſſe virtutem mediam nolens confitebaris, cauſam & effectũ aduentûs in Carnem Chriſti, figurabas. Ita eſt, medietatem virtutis in Redemptore, excuſando Ingratitudinem, verſiculo, agnouit quidam:

In medio Chriſtus latronũ quãdo pepẽdit,
Aut nunquã, aut virtus tũc fuit in medio.

Cauſa Incarnationis, erat labor totâ vita Chriſti, vt Bos aratro iunctus: *In laboribus à iuuentute mea.* Pro ſtulto haberi voluit Dominus, vt Aſini ſpe-

ciem imitaretur: à multis, & ab Hærode reputatus inter insipientes. Fructus passionis, nōnè vt Latrones, qui sumus omnes, cœlo inscriberet? Propter Latrones passus, ideò ab vtroq; latere assistentes; nec ibi vterq; saluatus, nec omnes Electi: non tantùm Misericordiam Crux trabea proclamabat; Iustitia quoque aderat, simili lance, bonum & malum Latronem, diiudicando. Mirabilis modus Ingratitudinis mundi cum Deo: osculo à Discipulo traditur, à Principibus Sacerdotum condemnatur; & quidem Barabbæ postponitur, scelus Innocētiæ præponitur. Impunitum delictū,ărociter affligitur puritas. Osculum Iudæ in Christo, falsitatem mundi a-
Mat: peruit. Verba Iudæ: *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Osculum
26. mundi, sunt Honores, Diuitiæ, & similia: qui in his complacet, & se delectat; traditur à mundo, in exitu vitæ, Iudæis Infernalibus. Vnde D. Bernard: *Plus concupiscentia mundi, quàm substantia nocet.* Cōcupiscētia, est osculum,

lum, tenet fortiter, ſimul cum vita ſeparatur: nec abs re quidam, comparat mundum perdici. Hæc, viſo Venatore appropinquante, nido exit, lentoque volatu ſeducit venatorem, fingens debilitatem volandi: dum verò lõgiùs abducit à nido, relinquit celeri volatu Venatorem deceptum vtroque, & nido genitorum, & ipsâ, quam capere voluerat. Eo modo planè mundus, diuitijs, honoribus, & habendi cupiditate, ſeparat nos à Deo, fingens nos ſemper comitari, donec ad mortem perducit, vbi omnia pereunt, bonis vel malis operibus remanentibus. Caue, Anima, mundum, & oſculũ: ſi Chriſtũ oſculo Iudas conabatur decipere, quid tu expectas? Decipias mundum relicto eo, antequam relinquaris, præuenias ſpirituali aſtu. Deteſtare Ingratitudinem mundi contra Redemptorem: omni creaturæ refugium conceſſit mundus, Creatori denegauit. Ipſemet conqueritur: *Vulpes foueas, & aues nidos habent: Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* Mat. c. 8.

Crux

Crux propter tormēta tantùm Christo concessa; nec ibi caput quieuit, in aëre inclinatum, emisit animam.
Sen: de benef: l. 1. c. 1. Seneca dicit: *Beneficia nemo in Calendario scribit*: propter Ingratitudinem hominum, summa beneficia Dei, Ecclesia in Calendario ponit, ponit & Ingratitudinem: refluxu anni redit memoria passionis Christi, redit & beneficium: affluitnè gratitudo? præ verecundiâ, tacere atramento impero. Tua conscientia scribit, ô Anima, Ingratitudinem in corde tuo: somnia putas, & leui quandoq; suspirio præteruolant tam ingentia beneficia. Amissus pudor Christianorum. Ita
Sen: ibid. rectè idem Philosophus: *Multos inueni æquos aduersus homines; aduersus Deum neminem.* Hæc ingratitudo impellit Deum, vt vindictâ puniat Ingratos: nullum ius, nec Iudex, in mundo Ingratitudinis. Putârant aliqui, Naturam & Deum esse Iudicem. De Naturâ non disputo: de Deo affirmo, & non aberrabo, si pœnam Ingratitudinis æternitatem demonstrem. Post Crea-

tionem tot millibus annorum, quanta successiua creaturarum Ingratitudo? Si mundus æternum consisteret, æternam, Æternitatis sociam, Ingratitudinem foueret: altera vita æternitate donata, ingratitudinem æternè damnat, vti gratitudinem sempiternè coronat. Pulchrè D. Bern: de Ingratitudine: *Peremptoria res est, Ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, nihil ita displicet Deo, quemadmodum Ingratitudo; vias enim obstruit gratiæ; & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.* & statim de corde peruerso: *Peruersi cordis est, occasiones Ingratitudinis vestigare: nemo id facit; nisi qui etiam gratis esset ingratus. Ingratitudo, profectûs nostri impedimentum: sola nos à profectu Conuersationis impedit Ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cætero, tantò plura ingrato conferre. Et idcircò clementia esse videtur, Ingratis negare quod postulant, nè contingat nobis, vt tantò grauiùs de Ingratitudine Iudicemur, quantò magis accumulatis beneficÿs ingrati*

Ser: 2. in Dō: 6 post Pēte.

probabi-

probabimur extitisse. Ingratitudo plenissimum fontē beneficiorum exsiccat, manum liberalitatis contrahit, voluntatem dantis obstruit; manipulos apertos largientis dissipat; fertilissimum agrum beneficiorum, sterilitate inquinat. Reflecte iam oculos ad intrinsecam tui, Anima, erga Christum Ingratitudinem, & Ideam deprehendes; nisi excedis modò, æquo passu Ingratitudinis cum Iudæis concurris. Nascentem Christum, ex inspiratione castissimarum cogitationum, quomodo excipis, Anima? tanquam in Diuersorio quodam, inuitas accedere. Scis quomodo proceditur in Diuersorio? Bibitur, & comeditur; semper Culina vacatione caret. Hospites noui alijs succedunt, non diuturna mãsio; at sine solutione non dimittitur diuertens. Si tale, Anima, hospitiũ præparas, & certò frequẽter non aliud, excludes aduenientem Christũ: venter est Deus Diuersorij, Ieiunium reprobatur; perpetuus focus succedit extincto, & gulæ, & luxuriæ, non

diu moratur cogitationes deuotę: instar venti, vnâ aure intrat verbum Dei, & Amor, statim altero auris ostio auolat; stipendium comessationum & excessuum, partim, morbo, partim morte; si non sufficit, gehennæ æternitate, numeratur. Pone in stabulo Christum, labore contemptuque, bouem & asinum indue, cum Dauide: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Paleâ humilitatis, & futuræ in puluerem conuersionis consideratione, habitaculum cõstrue. Palea segetem dum sustinet, erecta veretur conculcari: separata à frumento, vilissimo computatur pretio. Corpore cincta Anima, splẽdet magnificentiâ in conspectu mundi. Corpus seiunctum ab Anima, terret nares, terræque citò includitur: humiliùs palea ipsâ, non animalibus subijcitur. Sed: *Subtus corpus sternetur tinea, & operimentum eius erunt vermes.* Vtinam & in stabulo cordis, hospitio vteretur Christus. Exprimendo tamen similitudinem Ingratitudinis, tu

Psal: 72.

Isai: 14.

Anima,

Anima, in stabulo ponis Christum, præfers equos, bestias, & res creatas Christo, vel in personâ Saluatoris pauperibus. In præsepio collocas Christum, angustissimâ Eleemosynâ quandoq; coactâ, hos (de quibus di-
Mat: cit Saluator:) *Quod vni ex minimis meis*
25. *fecistis, mihi fecistis,* iuuas: minimæ delectationis causa, nō vt Hærodes ob regnum, expellis Christum procul in obliuionis Ægyptum? imò velles vltra cœlum; osculo & ipsi Crucifixo applicādo, & osculo orationum tradis Christum: Corde interim pleno vindictâ, irâ, alijsq; vitijs cogitādis occupato. Auaritiâ corradendæ substantiæ vendis Deum: peccatorum diuersitate vilipēdis præcepta Christi, ipsumq; Legislatorem: oppressione pauperum, sanguinem effundis Saluatoris. Cruci affigis manus homicidio, ferro polluis sanguine proximi Cor tuum. Pedes acceleras per-
Psal: suasioni scelerum, vt impleatur: *Ve-*
13. *loces pedes eorum ad effundendum sanguinē.* In Poloniâ, anni aliquot testes, vt

macula-

macularentur manus cruore non cognito, triginta milliaria pedibus Equorũ peragebãtur, nec pedes humani adiumento caruēre: peractum, impoſſibilitate velocitatis excuſabatur; detectum facinus pœnam meruit, licet poſtea concordiâ initâ, nummoq; exolutum delictum. Chriſtus vt accelerationem hominũ impiam elueret, pedem dextrum conſtantiâ doloris continuit, dexterãq; deuiãtibus perſeuerãtiæ gratia mõſtrauit. Caput Chriſti, loco in ipsâ Cruce excludebatur, aëreo exceptũ ſolo. Tu in capite tuo, immerſo vanitatibus, reſidentiam vniuerſaliter concedendo, Redemptori ſubtrahis, ſemel in anno fortè ſuſpirio compatiendo eidem. Chriſtus iam moriendi principio appropinquans, clamat: *Sitio*: Videlicet gratitudinem; tu fel ingratũ perverſarum actionũ offers, adhuc poſt Chriſti mortem. Ne verò per reſiduum ſanguinis Ingratitudo latebras quæreret, apertum latus reliquias aquæ & ſanguinis emiſit: non repreſ-


sa Ingratitudo. Mors Christi, Ethnicis, Hebræis, Hæreticis, ingrata: & tibi, Anima, cum detrahis famæ mortuorum, linguâ tuâ, vt lance quadam, renouas aperturam Domini. Libertas summa Ingratitudinis relinquitur in mundo hominum: Dei sola manserat benefaciendi materia, in Carne viuendo. Christi nascentis, [vagientis vox magis miseranda, quàm tremenda] in Cruce, *Dimitte Pater, nō enim sciunt quid faciunt*: vertetur in diuersam Cantionem, nota. Terribilis vox intonabit: *Surgite mortui, venite ad Iudicium*. Et Cruci astans, vltionis, & Iudicis personam sustinens Christus, tonitrui instar, emittet tesseram vindictæ: *Ite maledicti in ignem æternum*: Ingratitudini locum inferni assignãdo, quæ exulare fecerat in mundo Gratitudinem Saluatoris. Propheta tuus, lamentabili Cytharâ, præludit Ingratitudini saltum: *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* (id est Dei) *& præ timore iram tuam dinumerare?* Confusionem Ingratitudinis describit superiori versu:

S. Bern: in Natiui: Dni. ser: 1.

Mat: 25.

Psal: 89.

Superuenit mansuetudo, & corripiemur? Psal: 89.
Ferociam præferimus in mundo, nihili ducentes passionem Christi, æternitatem vtramq; leui supercilio considerantes, superueniet mansuetudo, dum morte præuenti, mansueti erimus: taciturnitas occupabit mēbra, stuporq; æternus occludet ora, cum Iob dicentes: *Vnum, pro mille, ei* Iob
non respondebimus. Iam, iam est dies tua, 9.
Anima, quæ est vita: gratitudine passionis consume, ne sanguis Christi frustrà pro te effusus in Iudicio strictissimo inueniatur. Conculca puluerem ingratitudinis terrenum, lachrymis; humor residere facit puluerem; aëream Ingratitudinem à te repelle, noxius aër fugit ab ore suspirij. At vt magis accendaris Gratitudine, quod sequitur Caput, repræsentabit tibi, Anima, passionem Christi, pro omni statu specialiter toleratam.



Pro omni statu passus Christus.

CAPVT V.

Psal: 129. COpiosa Christi redemptio: Testimonio Dauidis. Sed dices, Anima; Vno *Fiat*, creauit Deus omnia; multo sanguine nõ redemit omnes? Hoc timeas, Anima, & peccatis valedicendo, eris in numero Electorum: non aliâ solutione te expediam in quæstione propositâ, nisi eiusdem
Psal: 72. Regis tui insonantis voce: *Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei.* Ibi reseruatur nodus, plus quàm Gordius, resoluendus. Tu, Anima, pollue genas lachrymis, & dic: Heu, quanti salus mea tibi constitit, Deus meus? vt me creares, vno verbo factum est: vt me redimeres, Sanguinis tui profusio necessaria iudicata est. Firmâ spe redẽptionis homo glorietur, in-
In Ser: nixus D. Bern: sententia: *Animam tuam* (Christe) *in mortem perdidisti, vt meam per-*

am perditam mihi redderes: & ecce me duplici debito obligásti, nam & pro eo quod dedisti tuam, debitor tibi sum; & pro meá Animá bis à te mihi datá, semel in Creatione, & semel in Redemptione, quid magis tibi iustè reddam, quàm ipsam, non habeo. Dona te, Anima, Redemptori tuo; sis ancilla eius. Claues, Dominium libertatis, in manus resigna Christi, inuenies pro te passum Saluatorem, qui pro omni statu pati dignatus est. *Corona* illa spinea, designat redemptionem Coronatorum Imperatorum, Regum, Principum. Difficile est cõcurrentiam Coronarum coniungi, vt fulgeat caput alicuius Coronâ, & terrenâ, & cælesti. Rara Phœnix: quid fuisset nisi spinea Christi, intromissionem cœlo splendidæ coronæ impetrâsset? Celeri cursu oculi peragrare si velles, Anima, Dominatus Imperatorum, Regumque, verum dictum approbares Lipsij: *Omnes boni Principes, in vno annulo possent perscribi.* Si ante diluuium: *Omnis Caro corruperat viam suam*: quid iam non fit? Certatur

de Pass: Dni.

li. 2. de Cõst: c. 25. Gen.

maio-

maiori peccandi licentia. Inuenti, qui grauiora delicta in Principibus, personæ considerata dignitate, leuissima esse, prurienti aure asseuerant; ignorantes diuersam opinionem D.
Ad Rom. c. 2. Pauli : *Non esse acceptionem personarum apud Deum.* Ibi peccata Regum grauiùs punientur: si hîc propter delicta Monarcharum populus affligitur, necessarium, vt in alterâ vitâ illi, vice versâ, ob subditorum flagitia castigentur : *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; exemplo si peccant; illorum culpa : Iustitiâ, traditâ à Deo, si abutantur; illorum errori imputabitur. Qualis subiectorum sibi abusus Principum ? Horrent aures, Historiarum relatione intellectâ : vt quidam non
Cromerg. immeritò dixerit : *Consuetiùs nihil Magnatibus quàm vt, de Ministrorum ludentes corio, sua perficiant negotia.* Christo ergo Corona spinea capiti imposita, vt saluti Regum subueniret, declarauit & explicuit Sceptrorum dolorem. Videntur Coronæ Regum gēmis ornatæ, sed intùs spinæ sunt, vel etiam

& extra fallentes, oculos inspicientium penetrant acutâ puncturâ, vsq; ad Cerebrum. Quot pondere obruti Coronarum? Non immeritò in Palatio Monachij scriptum legitur: *Quid est Monarchia, nisi tria Suspiria; obtinendi, retinendi, amittendi.* Vel vt D. Bern: *Onus Babylonis. Babylon significat Mundum, cuius amor Cupiditas est: onus itaq; graue multos premens, & ad inferiora incuruans. Tripliciter autem miseros onerat: labore, timore, dolore. Cum labore peruenit homo ad hoc quod cupit: cum timore possidet: cum dolore amittit.* VLADISLAVS IV. REX Poloniæ, qui iam feliciter regnat, in Cæremoniâ Coronationis propriæ, dum valor Coronæ frontem premeret, dato sceptro, & pomo, mihi (vt retinerem) donec manu erigeret Coronam: Interroganti magni ponderis esse, subitò respondit, verum: at quid portendat Corona incomparabili onere eam præire? Optimè notatum, sarcinas subditorū extra Corona baiulat, intus anxietatibus cordis torquere non cessat: Ne-

D. Bernar: in Aduētu Dni. de 18. Oneribꝰ.

Seneca *cesse est, vt multos timeat, quem multi timẽt.* Vt ergo excessum afflictionum Regũ Christus propalaret, difficultatemq; saluationis interciperet, Caput illud æternæ gloriæ Coronâ insignitum, spinoso acumine lacerari decreuit: Pro sceptro, arundine assumptâ, vt vento peccatorum instar agitata sceptra terrenâ, æuiterna suaui duratione solidaret; purpurâ retentâ, quam sanguine affuso nitidiorem reddidit, nè purpuræ Principum, sempiternæ gehennæ ardore, intingerentur: Christus passus, & coronatus pro Regibus. *Aulici* comitantur Regem, si quis aulæ peccatis calculo assidere vellet, puto, æquaret numero littorum maris puluerem. Tempore quieto, & manum non contractam Regum, libenter odore sequuntur seruitij: si tessera infortunium attulerit, dilabuntur, discedũt à Domino. Boleslaus Criuoustus, Dux Poloniæ, in Prælio Haliciensi à comitatu relictus, gregarij militis operâ euasit: Christus timida aulâ custodiam corporis sui cinxerat,

declarando ſtylum Curiæ humanæ *At illi relicto eo fugerunt*: Vnus Aulicorum prodidit, alter negauit; proditor Auaritiâ ſeducente, Iudicio Diuino non merebatur indulgentiam. *Væ illi, per quem filius hominis tradetur*: Negatio fragilitate contracta, flexit oculum Christi ad ignoſcendum. *Reſpexit Dominus Petrum*: Oculus Heri ſaginat equum: quomodo oculus Dei, minimè enutritum gratiâ Diuinâ non pinguefeciſſet Petrum? potuiſſet Petrus conuiuio Dauidis refici: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: cùm dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* A muliere ad ignem interrogabatur: eam ob cauſam anatematizare, & negare audacter auſus Redemptorem, nec poterat ſanari, niſi oculi Chriſti aſpectu. Aulici ſæpè ad ignem cum mulieribus aſſident, duplicant ignem Gulâ: quomodo nõ negabitur Deus, ſi Principi Apoſtolorum labi contigit in tali colloquio? Efficacia gratiæ Diuinæ mederi poteſt tantùm, effectus cuius ſunt lachrymæ. *Egreſ-*

Luc: c. 22.

Pſal: 41.

sus foras Petrus, fleuit amarè. Oportet Aulicos egredi foras procul, & oculo, & cogitatione, à consortio fœminarum: Si enim gallum canentẽ audierint, Symphoniamq; Bacho coniunxerint, negabitur omninò Christus. Neq; caret mysterio, Petrum & Ioannem ad monumentum, post Resurrectionem, cucurrisse, citiùs Ioannem præuenisse. Si de monumento alicuius Aulicis nunciatur, curritur fortiter cursu vario, etiam pecuniario. Nihilominùs Rex, si delictũ vnius reuocet in memoriam, citiùs innoxio alteri offert relictum monumentum: Petro negatio impediuit cursum; Ioanni, quia ad pedes Christi Cruci affixi se contulerat, addiderat alas Dominus. Anima, si negas Christum, deplora calamitatem, peruenies quidem ad monumentum eius, cum eodem in gloria resurrectura: sed quando pedibus Crucifixi meditatione frequenti astabis, velociùs eo transfereris. Et fortè propterea misericordiâ oculi subuẽtum Petro,

quia audacter aurem Malchi præci-
derat defendendo Dominum: nullũ
enim bonum opus irremuneratum re-
linquitur. Hyſtoriæ plenæ gratitudi-
num Monarcharum aduerſus eos, qui
in cõflictu gladium hoſtilem à Prin-
cipum ceruicibus amouerãt: Verùm
ordinariè in Aulâ, fauoribus Regijs
onerati, abſcindunt acceſſu prohibi-
to aures illorũ, qui eas pulſarent ve-
ritate. Sanauit Chriſtus aurem Mal-
chi, vt Domini & Rectores Prouin-
ciarum omnium, auribus ſubditorum
ſeſe accommodarent. Illud verbum
Chriſti, pro Petri compunctione, &
omnium Aulicorum ſaluatione ela-
tum. *Ego oraui pro te, vt non deficeret fides
tua:* Oretur Deus, ab Aulicis, ne defi-
ciat Miſericordia eius. Chriſtꝰ paſſus,
& à Diſcipulis traditus, negatuſque.

Mercatores & Venditores, Aulam
libenter frequentant: vt diſtrahant
merces, & eleuent pretium, quid nõ
agunt? Iuramento tanquam Cauſidi-
co, pro meliori elocatione rerũ ven-
ditarum vtuntur; rem vilis pretij ma-

 gno pon-

gno pondere, quandoq; deceptione, ad ementes transmittunt. Christus, margarita inæstimabilis, vt deprecaretur peccata Mercatorum, triginta argenteis venditus, aliam non deficientem mercaturam præparans passione suâ, & doctrinâ. Vnam tantùm communicabo Mercatoribus, qui sumus omnes, ex D. Bernar: *Christus dicit: facite vobis Amicos de mammona iniquitatis; tales sunt Mercatores, qui dant in præsenti pauperibus, Temporalia, quæ possident; vt in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non nisi per eos habere merentur.* Vsura similis omnibus cõcessa: Passus Christus pro Mercatoribus, & vili pretio vẽditus.

In sent.

Sartores, vestibus materiam ab Aulâ emptam, corpori adaptant: nec illis defuit passio Saluatoris. Vestis Christi in quatuor partes dissecta, subuenit delicto. Sæpiùs Sartores diuidunt aliena sibi reseruando, & quod pro vno scinditur, duplicata forcipe furto, duobus vel tribus communicant, auferũt reliquias infelices, igne absconditas exoluentes futuro. Non

tacebo, Cõcionatoris cuiuſdam voce relatam, Hyſtoriam : Fuiſſe Sartorẽ, qui appendices materiarum ſibi vendicare cõſueuerat; illi morti decumbenti apparuiſſe Dæmonem, vexillo in manibus oſtenſo, ex omnibus particulis ablatis cõfecto : terrore comprehenſo Sartore, ſubuentum interceſſione Sanctorum, vt vitæ reſtitueretur. Ibi in conſpectu ſociorum deteſtari facinus, rogareque, ſi aliquando tentatio ſuggereret raptum particularum; vexilli Diabolici mentione diſſuaderent. Executus, aliquo temporis ſpatio, Sartor promiſſum. Cùm verò diues materiâ partitioni eius proponeretur, eam ſublegere ſtatuit, reuocantibuſq; ſocijs vexillum terribile, reſpondit : Defuiſſe illi vexillo huius materiæ particulam aſſutam, idcircò poſſe eâ diſpenſari. Facultates omnes quas poſſidemus, ſunt veſtis Chriſti; ſi diuiſio æqualis fiat, vt & Deus participet, benè agetur nobiſcum : ſi nihil ei relinquetur, nudũ crucifigemus. Eccleſiaſtica horrea

quadruplum diuiduntur à peritis gubernationis illorum: si omnia pompæ sæculari cedunt, vereor, nè verificetur sententia D. Bernar: *Bona, quæ habet Ecclesia, pauperum sunt: bona verò Sacerdotum sunt, vita æterna. Si ergo ea quæ debentur pauperibus, aliquis in suos vsus conuertit; vitam æternam, quæ sibi propria est, amittit.* Passus est Christus pro Sartoribus, & literaliter, & moraliter, vestemq; propriam diuidi permisit.

In Declã.

Iudicũ Curiæ amplus numerus, similis certè Decretorũ, Deus bone, qualia exercentur: timeo, nè talibus Iustitijs insultet Deus: *Cùm accepero tempus, ego Iustitias iudicabo.* Marsalci, Cãcellarij, (nec mihi parco) Referendarij, & omne subsellium, vt fortè subscriptionem vestrorum aboleret Christus, illicitorum Decretorum; iniustissimum illud Pilati Decretum subscriptum, morte innocentissimâ executus est. Quis scit, an non aliquando, loco calami, auro conscribatur Decretum? non Veritas, verùm respectus dictat, conspectus immu-

Psal: 74.

tat, de-

tat, deſpectus terret. Inde quidam Eremita, inferni luſtrans conclauia, capaciſſimum inſpiciens, legit titulum: *Pro Iudicibus.* Nè in Iudicio ſtricto Dei, perirẽt Iudices: paſſus Chriſtus, & condemnari paſſus.

Cauſidici Iudicia alunt, illiſq; aluntur: nec hi excluſi à participatione meritorum Paſſionis Domini. Cùm enim non intellectâ ſæpius causâ, tãtùm quantitate perſpectâ nummorũ promiſſorum, miſceant quadrata rotundis, ideò Chriſtus Procuratore caruit: contra eum verò totum vulgus promouebat actionem, *Crucifigatur.* Periculoſam artem exercent Cauſidici: paſſus Chriſtus pro Cauſidicis, & iuſtam cauſam amiſit.

Homicidij pœna Grauis ſãcita: nũc in Polonia pecunia patitur pro occiſore. vt illorũ dãnationi obuiaret Chriſtus, Barrabę loco cõdemnatꝰ. Paſſus, & inferior ſeditioſo homicidâ habitꝰ.

Religioſorũ imperfectionẽ ſilẽtij, garrulitate excedentem, taciturnitate Ioã:
nimiâ Saluator; *Vt miraretur Præſes ve-* c. 18.

hementer, cōpēsauit: & nostrū omniū, qui Secreta aliena carpendo reuelare præsumimus; vel mēsali multiloquio peccamus; vel in Tēplo taciti cū toto mūdo, si nō etiam cū voluptatibus confabulamur; silentio pœnam sustulit. Passus est Christus, innocentiam non purgans, nisi silentio.

Pictoribus permissum fingere, & pingere: Lasciuarum Imaginum effigies delere voluit Redemptor, Veronicæ picturæ faciem passiuam imprimēdo. Passus Christus, & relinquens formā lugubrem, sustulit culpā & pœnam Pictorum. *Blasphemos* Homines, vt reconciliaret Deo Patri, in specie humana Deus auribus maledicta in Cruce sensit, ipsi exprobrata. Passus Christus, & deprecatus pro illis.

Lusores varios, vt gratiæ Patri restitueret: tunicam in consutilem fortunæ talorū subiecit. Passus Christus pro lusoribus, & corpore, & veste.

Coniugati, dispari promisso Altaris viuentes, separationemq; multimodè Sacramenti Matrimonialis

causan-

cauſantes, compulêre Redemptorem vt ſeparatione benedictæ Animæ, à corpore immaculato, vnionem Amoris reſtauraret; cœloque ſeparatos, paſſione ſuâ, Patri æterno, infinito coniungeret amore. Paſſus Chriſtus, & diuortio Animæ à corpore, vxoratorum ſatisfecit flagitio.

Viduæ, nõ immunes à fructu paſſionis Saluatoris, iniũxit illis verbis, agere pœnitentiã: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Lucæ c. 23. Si violatur viduitatis tegumento ſtatus, fletus medicina; flere ſuper filios, & ſeipſas, iuſſit: nulla mẽtio de reditu ad Matrimoniũ, ſecũdũ Pauli cõſiliũ. Paſſus Chriſtus, & lachrymas in baiulatione Crucis, Viduis iniũgens.

Virginibus pudorem purpureum commendans; alapam, ſanguinem educentem, Sacratiſſimæ faciei impingere, tolerârat Dominus. Certò colapho ceditur caput Redemptoris, Virginum ablata uerecundia, abſit ſilentium: ſi tolli præſumitur virginitas, nec Saluator illoquio ictũ

Ioã : c. 18. prætermisit: *Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo: sin autẽ benè, quid me cedis?* Virgo, plena cælesti pudore ad periculũ naufragij muta nõ remaneat: si impetitur, licita oris facundia reprehẽdat tentatorẽ. Christus pro virginibus passus, eo in facie percussus.

Fabri, & Dolatores, Crucis pondus Saluatori imposuêre: eorum manibus elaborata, condemnatum Dominum supplicio atroci iugulauit. Passus Christus, & Crucem ascẽdens, peccata eorum crucifixit.

Ferrei fabri, Incude peccati percutiunt Deũ: nè autẽ illi incude inferni pulsarẽtur, ferro manus, pedesq; fodi elegit. Passus Christus, & perforatus clauorum stigmatibus pro illis.

Prudentes, Cerebro nimis adscribũt proprio; veritate offendũtur: Dominus in passione, aliàs parcus verborũ, instruere cupiebat Iudicẽ Pilatum de veritate. Estq; opinio aliquorũ, Pilatum, si explicationem veritatis non reliquisset exeundo, omninò fuisse conuertendum; doctrinâ, in actu pas-

ſionis Redemptor, Sapientũ Animas lucratus. Paſſus Chriſtus, & in dolore prudẽtiam diſſeminans cæleſtem.

Stultis è contra cœlum aperuit, irriſus ab Hærode, veſteque albâ indutus, nullam vocem emiſit. Paſſus Chriſtus, & in perſonâ Inſipientis, reiectus ab Aulâ Regiâ.

Voluptarijs, & veſtimentorũ delicatorũ, molliq; culcitrâ cubare, indulgereq; aſſuetis, promiſſam damnatam æternitatem, denudatus Saluator, flagellis millenis caſtigatus, in Cruce extenſus, in glorioſam fælicitatẽ cõmutauit: eoſq; qui voluntati ſuæ obediendo, habitus pretioſos renouare conſueuerant, detractione ſæpiùs, Dominus, veſtis purpureæ, ſanguine concretæ à carne, cùm læſione & renouatione doloris, furorem Patris leniuit. Paſſus Chriſtus pro Voluptarijs, & verberibus cruentatus.

Choreæ paſſim in publico ducuntur, multa ſcelera iũguntur ſaltibus: Saluator mæſtâ proceſſione à loco Iudicij ad MontẽCaluariæ, comite Simo-

ne Cyræneo, chorearum castigationẽ amouit; cadensque pondere ligni in terrã, eleuationes pedum in aëra, cõplacẽtiæ causa apparẽtia, deprimere Inferno prohibuit. Passus Christus, & baiulatione Crucis fatigatus.

Nox magis eligitur, vt peccetur ab Hominibus, quatenùs eius vmbrâ tecti, grauioribus se polluant facinoribus; pluribus impetitur cœlum à nocturnâ quiete telis, instar noctuarũ tũc videt, & delectãtur voluptatũ fructu: vt atrocia nocturna delicta Dominus auerteret, noctem in domo Cayphæ, insolentiæ & ludibrijs plenam (quibus recensendis, pudore Euãgeliũ abstinuit) exegit. Passus Christus, & opprobrijs nocturnis vexatus.

Latronum Companiâ in Cruce; Latronibus infernalibus, Redemptor prædam similem eripuit. Passus Christus, & in medio latronũ suspensus.

Milites, Impedimentum lucri passioni fecêre ipsimet, manibus eorum exercebatur crudelitas, ab illis, & pro illis tamen passus Domi-

nus:

nus: poſt mortẽ, aperto latere à Milite, exiuit ſanguis & aqua; nec mortuo Deo, vt homini, miles pepercit; nec nũc milites parcunt Chriſto, vel in perſonâ eius paupertati: non lachrymas ſolùm, etiam ſanguinem orphanorum, & ruſticorum, extrahunt: pupilla ſunt pauperes Dei; eius lateri adhærent, qui liberè in eos debachantur, acutâ lanceâ feritatis latus Saluatoris petunt, difficilis paſſio pro militibus: vnus compunctus, & ille poſt mortẽ Cẽturio, nec ſanari vno oculo, niſi ſanguine Redẽptoris, valuit: ſi duob⁹ cœcutijſſet, monoculus abiuiſſet. Quãdo ergo miles cæcâ auaritiâ ſubditorũ, aliena diripit bona, vel vtroq; oculo ſpirituali caret; vel ſi paſſio Dominica vni oculo medetur, alter igne purgatorij illuſtrari fortè diutiùs cogetur. Paſſio Chriſti, operuit & militum inſolentiam.

Hortus notatur, vbi primorum parentum offenſa commiſſa: locus, vbi initium paſſionis Hortus itidem nominatur. Hortorum floſculis

delectantur impij: dicunt Sapien: 2
Sap: c. 2. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat Luxuria nostra.* Eâ de causa, Dominus ex horto captiuitatis exiens, spinis coronabatur: nullum pratum, neque platea Hierosolymis inuēta, vbi trãseundo non reliquerit pretiosum sanguinem effusum. Copiosa necessariò, pro omni statu, re ipsâ, Christi redẽptio. Breuiter, ob proportionatam combinationem capitis, percurre tibi, ô Anima, valorem, passionis, tu contemplatione fructum eius dilatare studeas: enormitas peccati tanta, vt atroci supplicio Deus abolere debuerit. Iustitiæ Diuinæ Decretum, quæ nec Filio Dei, vt Homini, pepercit, quid soli homini? Dauid prophe-
Psal: 84. ticâ aure, de dolore Christi: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in viâ gressus suos.* Terribilis incessus Iustitiæ, si illam, Anima, euadere cupis, pone in tali viâ gressus vitæ tuæ, sequere patiētis Domini vestigia, vel potius apprehende osculo, & affectu, pedes

IESV; & dic: **Non dimittam te, donec benedixeris mihi.** Lucta talis, placita Deo, ſi te vincit, iucundum à Redẽptore ſuperari; ſi tu vincis, glorioſa victoria: ſed facilè vincere non repugnantem, faciliùs inuitantem, facillimè pedibus affixis non ſe mouẽtem. Coniunge ſanguini ſanguinem, lachrymas lachrymis, doloremque dolori Saluatoris. Vt autem adhuc perfectiùs virtutem paſſionis cognoſcere poſſis, Anima, vltimo Capite, quod inſtat, collige luctum ſuſpirijs plenum, ex ſeptẽ verbis Chriſti, quæ in Cruce protulit, vulneribuſq; eius meditatione te include, & hunc librum conclude.

De ſeptem Verbis Chriſti.

CAPVT VI.

OMnibus membris, tacito dolore, occupatis Domini in Cruce, os conſummationẽ doctrinæ impleuit, quaſi non pateretur. breuis Concio, at efficax, è Cathedra Ignominiæ nõ

plura,

plura, nisi septem verba, Christus in Cruce effatus, fortè, vt septem Sacramentorum confirmaret numerum. *Primo Verbo,* Baptismum deprecatione pro inimicis prædicabat: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Omnẽ culpam & pœnã condonans, vt cruore eius sanati, scelera commissa in Patris conspectu euanescerent. Senecæ opinio fuerat: *Alienis torqueri malis, æternam miseriam esse: Alienis delectari malis, voluptatem inhumanam.* Inimici, & Crucifixores Saluatoris, bestiali voluptate insultabant Domino; & ipse contrà, torquebatur malis eorũ, (videlicet peccatis, ob quæ patiebatur) vsque ad expirationem. Quid dixisset Philosophus, si hoc visu intellexisset: benignitatem summam maximæ inhumanitati oppositam, & pro illa deprecantem? Tu, Anima, interno oculo cognosce, non comprehensam Charitatem Dei, quomodo primo verbo in æstu cruciatûs, aduersariorum mentionem fecerit, eorumq; veniam impetrârit. Aderat Baptisterium,

De tranquil. Animi. c. 15.

rium, *Latus apertum*: nec triplex Baptiſmus defuit, *Fluminis*; aquæ videlicet de latere fluentis. *Sanguinis*, ex omnibuſ venis ſcaturientis. *Flaminis*, Salutem omniũ ſitientis, amoris igne inceníſo. *Secundo Verbo*, Confirmationis Sacramentum confirmauit, ac cõſecrauit: *Amen, amen dico tibi*; *Hodie mecum eris in paradyſo*. Latronem malum, in bonum conuertendo Auditumnè vnquam erat, bonum & Sanctum Latronem poſſe formari? non alius Artifex, niſi Crux, & in Cruce Deus: compendioſa via Latronis ad cœlum. Vti S. Bernard: inquit: *Hoc ſalutis compendium, Sanctus Latro conſecutus eſt, vno eodemq; die ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus ad gloriam; breui quodam contentus ponte Crucis, ad tranſiendum de Regione diſsimilitudinis, in terram viuentium; & de luto fœcis, in paradyſum voluptatis*. In Confirmatione ordinariè retinetur nomen vetus, addito nouo: Latroni antiquo malo, bonum nouũ nomen adauctum Patrinus Chriſtus, oleo gratiæ inunxit: idem enim & Ponti-

Epi: 8. ad Brũ: Epiſco: Colon.

Pontifex. *Tertio Verbo*, Matrimonij Sacramentum commendauit: *Mulier, ecce filius tuus.* &, *Ecce mater tua.* Concordiã coniugalis status edocens, quę vt Matris cum Filio, & viciſſim, stricta intactaq; intercedere, ac amore tanquam Filiali, & materno, copulari debet; onus magnum Matrimonij, ſuauitate concordiæ alleuiatur. *Est magnũ* (S.Bern: ait) *onus Coniugij, quum mulieres viris talibus copulantur, qui à bonis eorum moribus, & bonâ cõuerſatione diſcordant.* Et è contra, duos allocutus quidem Chriſtus; pro vno verbo tamen ſumitur: duo volens innuere, amorẽ & concordiam; vno verbo, vnitam vtramq; virtutem eſſe in copula decreuit: & quia caſtiſſima Matrimonia futura prænouit, & deſiderauit, ideò vtriq; virgini Myſterium inſinuauit. *Quarto Verbo*, Pœnitentiæ Sacramenti doctrinam inſtituit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Derelicta quaſi fuerat perſona humana in Chriſto, & à Diuinâ perſonâ, & à Deo Patre, qui humeris eius ſarcinas pecca-

torum nostrorum imposuit. *Neq; solùm impij Homines, & Dæmones; sed etiam Deus, & Sancti Angeli (tametsi alio consilio, aliâ intentione, alio desiderio) Christum ad mortem, & mortem Crucis impulerunt.* Pœnitentis pro nobis vox: *Vt quid dereliquisti me?* Tu, Anima, proprijs sceleribus catenata, simili prece pœnitere memento: Pater mi, Creator amantissime, meritò me dereliquisti, permittens affligi spiritum meum: non sum dignus consolatione tuâ; verùm cùm abundè satisfecerit Deus meus, quem in tormentis passum, carne assumptâ dereliquisti pro me, recipe me in gratiam, & ostendas faciem tuam conuersam in misericordiæ fontem. Contingit etiam, vt Deus, non tantùm à peccatoribus irascendo separetur, etiam à perfectis probando disiungitur. Experta id S. Catharina Senensis, quæ turpi strepitu irruente cogitationum, existimârat longè abiuisse consolatorem; at ipse residentiam tunc in corde eius fixerat. Et vt adhuc, Anima, pœnitentiam maiorē

Bel: Cōc: de Dō: Pal.

in te excites, considera ante hoc verbum Domini elocutum, pœnitentiam edocendo, tribus horis lumen absconditum: colligitur ab aliquibus eo tempore promotionem, Cathalogo saluandorum passione Christi perlectam: Væ, cuius absentia calculo præterita. Prouide, Anima, suspiriis, lachrymis acclama, obsecrando, nè Deus derelinquat extra Summarium gloriosæ prædestinationis, repetendo Verbũ pœnitentiæ, Sacramento assimilatum Redemptoris: *Deus, Deus, vt quid dereliquisti me?* An non pro me quoque passus es? Itanè totus sanguis elapsus, terram Hierosolymæ madefaciens, terram (corpus videlicet) meã, siccitate præteribit? Dereliquisti personam Humanam in Cruce Christi pro me, dulcissime Pater: non derelinquas me, propter Diuinam personam coniunctam cum passibili Humanitate Saluatoris.
Quinto Verbo, Eucharistiæ Sacramẽtum renouauit: *Sitio.* Planè completum est, quod D. Ioannes in Euangelio,

ante Cœnam peractam, poſuerat: *Cùm dilexiſſet ſuos, vſque in finem dilexit eos.* Ioã: c. 13. Iam deſtitutus viribus, hoc vnico, *Sitio*, multa Emphaſi comprehenderat, ſalutem Animarum, fragilitatem verò carnis: vt ſitiret placationem furoris Diuini erga genus Humanum. At myſticè in noſtrâ omnium loquebatur perſonâ: Omnis Anima dicat, Sitio. Sitim extinguit potus, hic cibo commixtus, magis ſatisfacit ventriculo, ſalutique corporis conducit. Ille idem qui priùs dixerat: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Iam clamat, *Sitio*: vt, Anima, ſitias fontem viuum. Quaſi dixiſſet: Ecce caro mea: Ecce ſanguis meus. Re ipsâ obtulit tunc in pacificationem Diuinitati, & in confortationem mortalitati, vtrumque. Ad priora verba reſponſum: *Durus ſermo.* ad poſteriùs: *Sitio*: Fel aceto mixtum, porrectum. Mirum, in conuiuio terreſtri, ad colloquia iucunda delicato vino miniſtratur, diuque aſſidetur: In conuiuio cœleſti fel & acetum apponitur,

ſtatim

statim nausea contrahitur. Immisceat quis Aulicis sermonibus, de Sacramento Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Iudicio, Morte, Orco, fastidit gustus. cũ Hebræis, super hoc Pane, breuissima Concio vnius horæ, tarditatem Horologij incusat. Et fortè Redemptor, nostri gustus impatientiam propalans: *Cùm gustâsset, noluit bibere.* Vix, Anima, gustas de passione; de acrimonia Pœnitentiæ; non vis bibere, reijcis sanum potum tibi conuenientem: imaginaris fel amarum, & acetum proponi. Hæretici ipsum Eucharistiæ Sacramentum nolunt bibere: gustant tantùm, & reijciunt. Quid expressiùs poterat dicere Dominus? *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus. Quotiescunq; manducaueritis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et illi simplicem panem asserunt, figuram; & similes nugas excogitant. Cùm ergo Deus nec decipiat, nec decipiatur; sitiuit in Cruce, vt & nos sitientes, extinguerenus, carne & sanguine eius, sitim. Aliâs, si non

S. Paulus.

esset

esset verum Corpus & Sanguis in Eucharistia, deceptos nos in iudicio vltimo à Deo quereremur. Vt Bellar: annotauit: *Si cùm Dominus quæret à nobis: Cur vos ita de meo Sacramento credidistis? Cur Hostiam adorastis? nonnè securè dicemus? Imò, Domine Deus, si error est, tu nos decepisti; primum verbum audiuimus:* (HOC EST CORPVS MEVM,) *numquid tibi de te Fidem præstare non debebamus?* Deinde tot signis cônfirmationem inducit. Hoc eodem verbo, *Sitio*, Christus desiderârat, vt sicut ille naturam Humanam cum Diuinitate coniunxit, ita nos cum Deo coniungeret: & quo faciliùs modo fiet, quàm per Venerabile Sacramentum? Referam verba S. Cyril: *Quemadmodum* (inquit) *panis post consecrationem, Eucharistia est, constans duabus rebus, Terrenâ, & cælesti: Sic etiam corpora nostra, perceptâ Eucharistiâ, quia vnum cum Christo corpus efficiuntur, partim terrena, partim cælestia sunt; & re quidem corruptibilia, spe autem incorruptibilia. Sexto Verbo*, Sacramentum Extremæ vnctionis elucidauit:

In Côc: 2. Domin: post Pêt:

Cyril: l. 10. in Ioan.

Consummatum est. In consumatione vitæ adhibetur tale Sacramẽtum: Oleo fit inũctio, & preces adhibentur. Saluator ipsemet, post mortem vnguentis illiniri Corpus nõ prohibuit: Reges vnguntur in coronatione, Christus post mortem; Regnum eius expletâ morte dilatari cœpit. Dixerat ad Pilatum: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quid ergo vnctione in vita indiguisset? Iam à morte regnat in cœlo in personâ Humanâ, & hic in terris subiugãdo nos sua passione: *Si vnctio est mẽtis exhilaratio, & exultatio*; secundum Bernard: in futuro sæculo ea reseruetur. Sic viuas, Anima, vt vngaris in morte ad Regnum æternum consequendum, & ad exhilarationẽ perpetuam acquirendam: Oleo gratiæ Diuinæ te iniunge, Ora tionibus feruentibus concita consũmationem in te Diuinæ misericordiæ, ex passione procedentẽ: omnia opera tua ad Deum solum dirige; vt S. Bernard: monet: *Nec caput vngit, cuius affectio elongatur à Christo, & vanis fauoribus delectatur:*

In Cap: Ieiu-

ctatur:

ctatur: vngit potiùs ſemetipſum, vt propriæ fragrantiam opinionis reſpergat. Et paulò poſt: *Vngere caput ſuum nequit, qui non ſuæ conſcientiæ teſtimonio, ſed adulationibus, demulcetur.* Realiter, Anima, in Christo, pro Chriſto operare, & fæliciter curſum conſummabis mortalem. *Septimo Verbo.* Ordinis Sacramentum in ſe ipſo declarauit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Exauditus à Patre, pro ſua reuerentiâ, Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech: in Altari Crucis, incenſo igne Charitatis, immaculatam Hoſtiam, ſanguinemque, non vitulorum, vel hircorũ, ſed proprium obtulit: ipſemet factus victima pro Iſaacis, nobis omnibus, cornibus Humanitatis capite inhærens ſpinis, amouerat gladium paternum; Calicemq; ab Angelo acceptãs allatum, totum ebiberat. Non venit enim Chriſtus ſoluere legem, verùm adimplere, quadrupedum ſanguinem in pretioſum, non alienum commutando, ac menſurâ plenâ ad vltimam guttam adimplendo. Tu, Anima, nij. ſer. 8.

 ſacrifi-

sacrificium laudis offeras Deo: si nõ potes sanguineum, lachrymis, suspirio, commenda te, & resigna Redemptori tuo. In his ergo septem verbis, Christus expressit Sacramenta septẽ: in ijsdem septem, depressit peccata mortalia. Anima, intuere gladium, hunc bicipitem, venenosas sagittas infernales destruentem.

Primo Verbo, Peccatum Iræ condemnauit: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Nulla occasio prætermissa est in Passione, quâ non concitaretur ira, & odium, contra Dominum; magnum tormentum: testimonio Senecæ: *Supplicium nullum grauius est, publico odio.* Et nihilominùs nulla prior vox in Cruce, quàm deprecatio pro Patris cœli vindictâ. Apum Rex aculeo caret: verè carebat, sub spineâ Coronâ, non intus at extra, aculeo vindictæ, Rex noster. Si nos Reges in cœlo volumus coronari, aculeum reijciamus. Ira est Regina, (vt Philosophus existimârat) *Ira in omnes affectus dominatur.* Ferrea corona eius

propria:

propria: durum pondus reijce, Anima, spineam assume, & te corona: discas à Rege tuo, qui mitis corde. Odium, Iræ progeniem, non admitte; turbabit cor tuum. Si Hierosolymam Hærodis vnius ira commouit, neque Innocentum sanguine odium mitigari potuit; quid fiet in Anima? Oportunè S. Bernardus: *Odium separat hominem à Regno Dei: odium separat à Paradiso: odium subtrahit Hominem à cœlo: odium nec passione deletur, nec per Martyriũ purgatur, nec per sanguinem effusum, abluitur.* Et Seneca: *Ira, auida pœnæ est.* Auida vindictæ; condemna illam cum Saluatore, & sub vexillum eorum, qui pro inimicis, ductore Christo, exorabant, te inscribe. Ser: 36. de modo bene viuẽdi.

Secundo Verbo, Peccatum Superbiæ humiliauit: *Amen, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Latronem alloquendo Christus. In Paradiso: *Eritis sicut Dij.* Serpens callidus seduxit, persuasione, Parentes nostros, quos effectus imaginariæ Deitatis expulit in miseriam realitatis, ex Paradiso

 possesso

possesso, educēte Angelo nec ampliùs intromittente. In Cruce Deus Homo factus, persuasione Diuinæ Charitatis, passione suâ effecit, vt Latro in simili Cruce pendens, eâdem die Paradisum, Hæreditatem Adami, realiter occuparet. Illic deturbârat Superbia, & Ambitio, Adamum: hic Humilitas Dei, vt Hominis, & Latronem, & de Cruce Paradiso intulit. Lucifer solio simili Altissimo, præsagiebat animo cōformari: Christus similis Homini, & quidem Homicidâ inferior (imò non homo, sed potiùs vermis, & abiectio plebis) sede Crucis, Latronibus cupiebat adæquari. Lucifero pro alto solio, barathrum infimū: Christo, pro sede Crucis, dextera Patris assignata. Anima, sperne Superbiam, quæ te Diabolo assimilat; adama humilitatem, quæ Dei imitatur exemplum, ipso Christo docente: *Discite à me, quia sum humilis corde.* Pauo, varietate splendescente plumarum eleuatur; pedum aspectu, easdem complicat. Honores,

Diuitiæ, voluptates, si altitudinem superbiæ sternunt tibi, Anima; respice pedes tuos, & finem putredinem: si nec hoc mouet, aspice pedes Dei tui, in Cruce clauorum foraminibus sanguinẽ profundentes, applica cordi amanter: demittes citò cristas superbiæ, arogantiæq́; volatu supersedebis. Humilia te, Anima, sub potenti manu Dei.

Tertio Verbo, Christus Inuidiam cõpressit: *Mulier, ecce filius tuus*; *Ecce Mater tua*. Rectè de Inuidia S. Bernard: *Inuidere, est malum videre. Inuidia, conductor mortis in mundum. Inuidia est animi tinea, sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero deuorat.* Ecce Christus Matrem suo discipulo concredidit, Matrem communem cũ Ioanne habere voluit: Filij nomine eundem participauit. Tabescat paritate Inuidus, Deus & Mariam matrẽ in Cruce Ioanni tradidit: & Ioannẽ, vt filium, Matri suæ commendauit. Si in acuto dolore Saluator diuisionẽ

S. Bernar: in flo rib. c. 118 de Inuidia.

fecerat, & Matrem cum Ioanne, & Ioannem cum Matre participando: quid, Anima, in delicijs factura? Expelle inuidiam, ô Anima, cuius color auertit faciem Dei. *Respexit quondam Creator ad munera Abel, ob alacritatis candorem: auertit faciem à Cain, quia conciderat facies eius, vtiq; à tristitia, & liuore. Aduerte, qualis color tristitiæ seu Inuidiæ sit, qui Dei à se auertit aspectum.* Deturpat Inuidia & faciem hominis, & faciem aliquomodo Dei iniucundam reddit.

Bernar: super Cāt: Ser: 71.

Quarto Verbo, Luxuriam detestatus Christus: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Luxuriæ nihil deesse oportet: sine Cerere & Bacho, friget Venus. Deus, vt extingueret tale delictum, trium horarum spatio tenebris inuoluit mundum, ante verbum emissum: siue quia in tenebricoso sæpiùs campo ludit Luxuria; siue quia tenebræ, sine luce perpetuâ, Luxuriæ præmium; siue quia fomes Luxuriæ, est ignis infernalis, qui vrit non lucens: vt omnem consolationem reiectam declararet Christus, conterēs

Luxuriam, derelictum se à Patre professus est. Luxuriosi derelinquuntur à Patre æterno; Passio Redemptoris in ruinam illorum est: Væ Luxuriæ mancipijs. Exclamat Granatensis contra Luxuriam: *O pestilens vitium! ô destructionem Rerumpublicarum, gladium bonorum exercitiorum, mortem virtutum, nebulam bonorum ingeniorum, impesturam hominum, ebrietatem Sapientum, amentiam senum, furorem iuuenum, & communem pestem generis humani.* Anima, si te premit ignis Luxuriæ, confugias ad Saluatorem, & dicito: Deus meus, non me derelinquas, adiuua imperfectum meum. Vel cum B. Augustino: *Nullum tam potens est & efficax, contra ardorē libidinis medicamentū, quàm mors Redemptoris mei.* Mea te luxuria, Christe, separauit à consolatione Patris in Cruce: humillimè peto, ne me separet flagitium meum à consolatione tua in cœlo. Deijcias à corde tuo tentationem illiciti caloris, Anima, passione Redemptoris, veluti scuto in defensionem assumpto.

In Duce pecc

Quinto Verbo, Gulam exulare fecit Christus: *Sitio*. Plures crapula, quàm gladius interfecit: dominatur mundo Gulæ vitium, omniumq; peccatorum fouet conseruationem. Gula litigat cum bursâ, pecuniæ infida dispensatrix; Ieiunij perpetua aduersatrix, obstaculum pietatis, carcer liberalis disciplinæ; raucedo Symphoniæ cælestis; senium deuotionis. Gula, Adamum, innocentiæ veste priuauit in paradiso. Gula, Esau primogenituram vendidit. Gula, Epulonem in in orco sepeliuit. Gula, Balthazarũ Regem Regno exuit. Gula, Alexandri fortunæ terminum celerem posuit. Gula, Vitellium occisum, vnco per Vrbem Romanam traxit. Gula, Crassum cum exercitu deleuit. Gula, plurimorum vitam ingluuie præcidit. Gula, diuitijs spoliat. Gula, egestatem introducit. Audi Beatum Basilium, quomodo Ieiunium laudãdo, Gulam improbet: *Numera, quæ domi habes, hodie, numera postea, nihil penitùs per ieiunium minuetur: at si conuiuia exerce-*

S. Basil. de Ieiunio.

re incipias, nihil breui habebis: Venter enim depositum non seruat; imò verò nihil est in cō mercijs, & contractibus, ventre infidelius. At verò Ieiunium debiti naturam non nouit, non olet vsuras; mensa ieiunantis, non strangulat pupillum: Ieiunantis filium, vsuræ paternæ non premunt. Abhorreas, Anima, à Gulâ, & Crapulâ: vides & in deserto, & in Cruce, ieiunantem & sitientem Dominum; nūc potiùs sitias propter Deum, ne in æternitate cum diuite damnato sitias: verùm denegatam guttam aquæ frustra inuocabis.

Sexto Verbo, Excommunicauit Christus Acediam: *Consummatum est.* Quomodo delitescis, Anima, tædio laborandi, cùm Deus tuus, incessanter pro tua salute ociari neglexerit; iam tum primùm operari desijt, cùm & sanguis & vita decurreret. Et tu pro Christo, Anima, & gloriâ æternâ, & pro te saluanda, plumato ocio circumsepta stertis? Pro voluptate caducâ, insomnes ducuntur noctes: pro voluptate non cessaturâ, torpor occupat membra. Duo Acediæ genera

S. Bernar: de Ordine vitæ. fol: 1123.

ponit S. Bernar: *Vnum, quod ad opus Dei pigritare ac dormitare compellit: aliud, quod vagari huc illucq́; facit, ac fugere cohortatur à bonorum, cum quibus viuit, societate.* Excita te, Anima, & alacriter occupa celeritate seruitij Diuini, ne Acedia in consummatione dierum tuorum, introducat te in ocium infernale; dic cum S. Paulo: *Cursum consummaui.* Non Acediâ, sed labore intonante.

Septimo Verbo, Auaritiæ peccatum iugulauit in Cruce Christus: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Omnia distribuit Deus, & vestem, & sanguinem, spiritum retinendo: nec illum possidere cupiebat, Patri offerendo. Ita & tu, Anima, omnia pro amore Christi distrahere cupias: non cures, si ignis, aut hostis, aut vicinus te spoliet: spiritum tamen tuum nulli concredas, nisi soli Deo. O Auaritia, crucifixa es cum Domino in Cruce: pauper natus, pauperior Christus mortuus. *Consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum Deus in paupertate: non cubat in delitijs splen-*

S Bernar: de

didi cu-

dicti cubiculi, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Quid vltra gloriaris, ô Diues! luctaris in volutabro lecti picti, & delicati? Cùm Rex Regum, recubitu suo, pauperum stramenta honestare maluerit. Lectus in passione, Crux: puluinar, spinea Corona: tegumentum, nuditas: fomentum, ferrei claui. Iam ergo conculcato peccato, calcatoque Inferno, egrediens spiritus Domini, vehemẽtiâ Diuinâ aperuit portas lymbi, & cœli. Terrestris consuetudo, si clauis perit, fores aperiuntur ferro; & vltimò trusione eliduntur. Perierat clauis in paradiso, ex timore nimio Adami: occlusas fores gladio Angeli, nemo aperire poterat. Christus ergo, clauis ferreis pedibus & manibus laborãs, fores cœli labefactatas, emissione spiritus purissimi, & inclinatione capitis, ita fortiter impresserat; vt non tantum patefierent, sed nunquam clauderentur. Summa vis Spiritûs, petræ scissæ sunt; quid mirum accidit? Cùm Christus suprema petra scissa fuit (secundum Apostolum)

Pass. Dni.

lum) manus, pedes, latus diffisum, ideò vento potentiæ, vicina contremuit terra, sepulchra aperta, & miracula multa secuta. Fasciculum myrrhæ, ex beneficio Redemptionis, Anima, iam collige: si vnica gutta Christi, infinitos mūdos saluare posset, quantùm beneficium pro vnius mundi salute, infinitas guttas emissas? Imò pro te sola hoc fecisse Deum, non dubites. Considera Anatomiam illam cælestem, apertum videlicet latus Saluatoris post mortem, ex quo duo fluuij prodiêre. In Gallia vidi fontem, qui duos simul fluuios generat: quorum alter Galliam, alter Italiam versùs decurrit. Ex fonte oculorum tuorum, Anima, educantur duo fluuij: alter gratitudinis, alter compassionis. Sanguinem ex latere, compassione linge: gratitudine aquam ex eodem haurias. Dicito cum Propheta: *Quis dabit capiti*
Iere: 9. *meo aquam*; vt defleam & peccata, quæ durissima morte extingui. Deum meum passa sunt, (Peccare enim, quid

aliud est, nisi Christo verbera, atrocemq; improperare Crucem?) & misericordiam Dei, qui pro peccatis tanta sustinuit. Aduoca Elementa ad complorationem: vel elementa Christi in Cruce, stringe affectu: TERRAM, Corpus Christi: AQVAM, Lateris Domini: IGNEM, Amoris inexhausti Redemptoris: AEREM, Beatissimum spiritum Saluatoris. Roga demissè, vt illa vltima hæsitans guttula pretiosi Sanguinis Christi, egrediens, (sic licentiam dicendi emendices) quam lucta misericordiæ, cum Iustitia, in Cruce euicit; pro te, & Redemptione tuâ, velit condonari: vt pes tuus, stet firmiter in directo fælicissimæ Æternitatis, merito pedis dextri IESV; quod hac Oratiuncula conaberis impetrare.

ORATIO.

DEvs, qui quinquenario vulnerũ tuorũ merito, interclusã viam cœlestem, deuictâ pœnâ, & culpâ

peccati reserâsti: concede, ita in assiduâ contemplatione beneficij Redemptionis versari, vt continua æternâ conuersatione, visionis tuæ participatione coronemur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus Sancti Deus, per infinita sæcula sæculorum.

AMEN.



IESVS, MARIA, ANNA.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS.

Ex beneficio Conſeruationis, vel Gubernationis.

LIBER IV.

Conſerua me Domine, quoniam bonorum meorum non eges. Pſal: 15.

De conſeruatione in genere.

CAPVT I.

SI duritiâ ſuperas, Anima, metalla; ſi feritate Tygrides, ſi ingratitudine Viperas; vt nec Creatio, nec Redemptio, tibi gratuitum ſuſpirium porrigant. (illa à tot annorum millibus vetuſtate cõtinuata, in obliuionem, imò in debitum, minus grato cordi verſa; ſequens non viſa lu-

mini-

minibus, imaginatione tantùm frigidâ conceptâ, citò euolans è mente, nullam vel exiguam notam compassionis exprimens) si inquam neutrum beneficium Conditoris & Redēptoris, id est, nec labor sex dierum, nec copiosa effusio sanguinis, obduratũ affectum tuum mouerit, Anima: saltem Conseruatio, Gubernatio, Ordinatio mirabilis Diuinæ prouidentiæ, flectat ad iter gratitudinis aberrãtem cursum. Quid enim est, nisi quotidiana, imò in momenta Creatio, machinæ vniuersitatis Conseruatio? Vna re consideratâ tuus Cytharædus coronatus exclamat: *Ordinatione tua perseuerat dies, quia omnia seruiunt tibi.* Diem perseuerantem ruminatus tantùm, omnia ad inseruiendum Domino cœli, cogit & fatetur. O si tu calculum priuatæ audientiæ inter te, & Deum, Anima, subires! quot beneficia in conseruatione tuâ solâ, solum palpares! Tantò magis, si à primo die creationis, omnium rerum dispositionem inenarrabilem ad hanc horam versa-

Psal: 108.

res, Anima. Historiarum volumina curiosa, nec noctes immunes à legẽdo permittunt. Assuerus Rex, insomnem noctem, lectione rerum gestarum, mitigârat. Quomodò admiratione non absorbetur mens, dum mutationes Regnorum, euersiones Prouinciarum, destructiones firmissimarum Vrbium, demolitiones Pyramidum ac Colossorum, memoriæ Heroum ergô multâ massâ auri extructorum, depositiones è regimine Regum & Imperatorum, miserandas cædes, siccis intuetur oculis? Viceuersâ, suauem vnanimemq; motum cœlorum, syderum, depictum stellarum multitudine, lacteoque circulo præcinctum cœlum. Solis continuum inuestigabileq; iter, alternantibus tẽporibus distinguens mundum. Lunæ famulatum, in obsequio Solis, stipẽdio lucis clariore & obscuriore, concesso. Ignem, cupiditate innatâ, omnia oblata consumentem; Aërem, inuisibili fuga & resultu, omnia replentem; Aquam fœcunditate dul-

cique

cique fluxu recreatâ tellure, obedientiæ terminos non egredientẽ; Terram immobilitate pendulâ, virorem fructuum quotannis, vſui mortalium proferentem. Beſtiarum mutatâ ſpecie diuerſitatis, ad terrorem, vexationem, vtilitatem, rationabilis mortalitatis numerum innumeratum, vitâ ſenſitiuâ procreationem Plantarum, arborum, ſubterraneâ generatione vegetatiuæ exiſtentiam. Hominum nobiliſſimam formam, his omnibus imperantem. Quid verò in multiformi conditione noſtra non miraculi! Quidam vir doctus, aptè duas ciuitates propoſuerat meditationi: in quarum vnâ, omnes tantùm Diuites domicilia figerent: in alterâ, omnes pauperes morarentur. Quæ felicior? concluſerat, pauperum fore. Deus diuerſo modo, permiſcuit diuitijs paupertatem, vt vtriq; ſubueniret; laboreq; & ſeruitio diuitiæ excreſcerent, paupertas verò nutriretur. Sed proh dolor, inueniuntur corda, Inferno magis blaſphema, quæ vellere ver

Drexel: de æternitate.

bis non

bis non verentur, & improbare conseruationem rerum Altissimi. Inueniuntur etiam corda, quæ adiaphora sunt, nec carpunt, nec mirantur opus Dei. Inueniuntur corda, quæ defixa, vti stellæ in cœlo, dispositioni miraculosæ Conseruatoris, auelli se nullatenus à cõsideratione superna permittunt; de talibus Poëta forte ceciners: *Os homini sublime dedit, Cælumq; tueri iußit.* Ad similitudinem Diuinæ conseruationis Mundi, sumatur horologium Vrbis amplissimæ alicuius, primarium. Illo gubernantur omnium operum distincta tempora: rarissimi sunt, qui non solùm indicem, at intus artificiũ structuræ perpendant; plures, si minus ad palatũ cursus horologij seruiant, incusant indicem, vel pægaseo, vel testudineo, gradu incedere; alij merè ad vsum, & notitiã horarum, obseruant. Sic re ipsa, in maximo horologio Conseruationis mundi apparet. Quot dabis Phœnices, qui artificium, bonitatem, clementiam, omnipotentiam trutinabũt

animo, Dei, in conseruatione omni anno, die, horâ, momenta creaturarum? Potissimum in turribus, & locis eminentioribus suspenduntur horologia; qui structuram intueri desiderat, è plateâ visu minimè attinget: clausura impedit organi oculorum penetrationem, oportet vt ascendatur, aperiatur, & lustretur opus. Simili modo, vis inuestigare conseruationis mysterium, Anima? non in platea negotiorum carnalium, & mundanorum, verùm gradibus ascēsionis in cœlum, qui à Bellarmino, sanctissimæ eruditionis viro, libello ita nominato propositi sunt, enitaris in altum, pedumque, videlicet affectuum labore, & vigilãtiâ coneris, licet imperfectè, penetrare beneficium conseruationis Conseruatoris: fatigatæ Animæ suspirium, gratum ventum refocillationis, insufflabit. At illi, qui erroris arguunt Horologiũ Conseruationis; redarguentur ipsi, dum occasus solis vitæ illorum veritate Iudicis comprobabitur. Vniuersalis

Iudicij dies, multis de cauſis Diuino conſilio inſtitutus, odorantur nõnulli quinque. I. Vt corpora ſimul reſumantur Electorum cum Iubilo; damnatorum cum maledicto. II. Vt prædeſtinati ad vitam pinguiori laude afficiantur; Orco deſtinati, confuſione maiori inuoluantur. III. Vt ſecreta & abſcondita meritorum & demeritorum, mundo hactenus propalentur. IV. Vt numerus vtriuſq; ſententiæ Diuinæ; *Ite, & venite,* ſimul conſpiciatur, computeturque. V. Vt iuſtitiæ Diuinæ, cui multum in hac vita detragitur, veritas clarè appareat. Ibi detractores optimè horologij conſeruationis diſpoſita tempora, æterno ſentient malo proprio. Illorum verò qui Indicem notant cõſeruationis, ad vſum ampliſſimus numerus: quid mirum, implicati domeſticis curis, miles bello, agricultura labore terræ; Mercator auiditate lucri; Aulicus ſpe beneficij conſequẽdi; Eccleſiaſtici præbendæ obtinendæ deſiderio, negligunt horologium

cæleste, vixq; attendunt ad conseruationis tam ingens miraculū. Quotus qui dicat cum Dauide: *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.* Stupent ad ea, quæ minùs miranda sunt. Si Rex ingrediatur ouans Vrbem, nec tecta vacuum agnoscūt: si Histrio publicè declamet, ociosorum numerus replet forum: si cursus equorum, vel quid simile proponatur, instrumenta ab artificibus imperfecta relinquuntur, scholarumq; dimissio non conclusâ lectione accelerabit. Raritate delectamur, naturâ teste, & prouerbio: *Quod rarum, carū.* Annotauit S. Augustinus, cùm explicat miraculum à Christo factum, in saturatione quinq; millium hominū quinque panibus, hæc verba proferēdo: *Saluator seruauit sibi quædam, quæ faceret oportortuno tempore, præter vsitatum cursum, ordinemq; naturæ, non vt maiora, sed insolita videndo, stuperent, quibus quotidiana viluerant: maius enim miraculum est, gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus,*

Psal: 118.

Tract: 24. in Ioā.

& tamen

& tamen nemo hoc miratur: illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit vniuersum mũdum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Dicit iste Sanctus, neminem mirari, quanta raritas Animarum accuratè aduertentium tam insigne beneficium conseruationis? Secundum Philosophos, cùm nihil sit in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu: Deus conseruationẽ palam sensibus proposuit, vt tandem hic modus per intellectum eliceret actum gratitudinis; frustrà, insensibilior Anima, induta carne, omnibus bestijs, & rebus inanimatis. Agnouit Lipsius, cùm fatetur: *Omnia Deo parent non inuita, & obediunt supremæ illi Legi: (ô cœca Mortalitas) Solus nobilissimum rerum homo, in Conditorem suum calces iacit, ac resistit.* Non alia ratio quàm occupationes transitoriæ, quæ curantur diebus, noctibusq; commendantur animo; cælestia nec somnio subueniunt memoriæ. Animaduerte, Anima, quot numerabis, qui cœlum aëreum gratuito

De Cõst: lib: 1. c. 14.

intuentur erga Deum voto? Vix aſpicitur. Miles in ſtatione ne madefiat, vel algeat, infigit oculum cœlo Arator, vel ſiccitate exurendas ſegetes, vel imbre graui comprimendas veritus, perſpectiuâ rurali amplectitur cœlum. Mathematicus, eruditioni profectum cœlorũ intuitu parans, lineas, circuloſq; format, adæquatos ſydereis. Imperator exercitûs, ventorum adiutorium prælio adſciſcens, obſeruat cœlum. Nautæ proſperitatem, curſûs cœlorum notant beneficio. Medicis periculum morbi, influentijs cæleſtibus metiri aſſuetum. Neceſſitas & vtilitas, propellit lumina hominum in cœlũ; extra hæc, terram ſemper mortalem, mortales ante oculos gerunt: ibi exquiſitiſſimi reuiſores, non in ea tantùm, quæ eius gratia copioſâ excipiunt manu; at rimantur abſcondita, ſubruunt fundamenta, vt aurum, æs, aliaque prodeant in lucrum metalla. Salem ſudore, & periculo caſuræ glebę contempto, eruunt. Theſauros etiam quandoq;

imagina-

imaginarios, fugitiua nocturna luce ſequentes, euoluunt, diebus cogitando, noctibus elaborando. Cryſtalli nec altiſſimis mõtibus ſecurè teguntur: nihil celari poteſt humanæ auaritiæ. Cœlum, quod apertũ eſt, quod inuitat ad cognoſcendos Theſauros æternitatis; metalla, diuitiaſq; non perituras, comprehendendas; ſalem ſapientiæ acquirendum; cryſtallum puritatis obtinendum, negligitur. Cum S. Paulo, Anima, ex viſibilibus ad inuiſibilia cognoſcenda traharis, latent illic Theſauri infiniti: immergas intellectum, voluntatem, in cœlum viſui oppoſitum, argumentatione Chriſtianâ. Si tam pulchra Conditor exulantibus oculis procreauit, creata conſeruat, conſeruata ad determinatum exitum mundi, gubernatione cuſtodiet: quid in Patriâ redeunti viſui præparabit? dicente S. Auguſtino ad Deum: *Si tanta facis nobis in carcere; quid ages in Palatio? Si tanta ſolatia in hac die lachrymarum; quanta conferes in die nuptiarum?* Ex conſeruationis

beneficio, diſcurrẽdo per omnes ſenſus, ſummi gradus gratitudinis enaſcentur. habes penetratiuum ſuſpirium ad thronum Dei audacter introducta, Oratorem tuum aget: habes ſubtiliſſimum illud origine; meruit vocari ſuſpirium, quaſi *Supra ſpiraculũ*. Subtilitas excludit integritatem ſyllabarum. *Supra*, & penetrationem, & debitum cæleſtem locũ aſſignat: ſuſpirio conſeruatur vita: ſuſpirio aſſiduo protrahitur: ſuſpirio interclu ſo perit. Suſpirio Chriſtiano fouetur vita ſpiritualis: ſuſpirio vltimo, eoque deuoto, gloria æternitatis apprehenditur: ſuſpirio meritorio ſuperis continuatur vita, mortali finitâ immortalis inchoatur. Fuitnè aliqua neceſſitas Deo impoſita, vt te crearet, redimeret, conſeruaret? Non; purus amor, cauſa trium horum efficiens. Eſtnè vtilitatis Dei, vt illi gratitudinẽ rependas? Nulla. Hinc Dauid in propoſito verſu Pſalmi exclamat: *Conſerua me Domine, quia bonorum meorum non eges*. Si lacerâ veſte, attri-

toque

toque vultu Ruſticus, Regi compa-
rens, teſtaretur ſe ſummè amare Re-
gem, Dominum proprium: talis irri-
deretur, cõtemnereturque, amor illi-
us ſibilis Aulicorum, & extruſioni
ſubiaceret. Quod mundus vili æſti-
mat, à nobis id Creator expetit: per-
didimus veſtem innocentiæ, reſum-
pſimus aliquam lacerã per haud con-
dignam ſatisfactionem; ſquallor fa-
ciei Animæ, bonis operibus non im-
pinguatæ, à cœlo reprobatus. Quid
agẽdum? Procidamus, ploremus an-
te Deum: dicamus, ore & corde, nos
amare Creatorem. Magni ponderis
res, valore cæleſti: excitat hunc amo-
rem conſeruatio non comprehenſa
mundi huius. Sed quid addit Prophe-
ta: *Bonorum meorum non eges.* A Deo
data ſunt ergo aliena? latet inueſti-
gandum quid? Fortè præſumptione
pleni Iudicij, noſtra bona iudicamus,
à Deo tradita & conſeruata? Talia
planè cœcitatis Humanæ decreta, vti
inſani cuiuſdam Maſſilienſis in Gal-
lia, qui turbato cerebro omnes mer-

ces, nauesque ex partibus mundi aduenientes vniuersis, dominio suo falso (irrisus à circumspectantibus) vendicare fuit solitus. An forte bonorũ nostrorum interpretatione eo deflexit Rex, nos tanquam è proprijs iudicandos bonis, præmio bonæ dispositionis cœlo inferendos; malæ Orco æternitatis examinandos. Fortè etiam bonorum nostrorũ ideò adiecit, bonitatem Dei infinitam enarrando creaturæ conseruandæ, (Humanitatẽ futuram Christi, astrolabio supernaturali assecutus) quâ participes nos misericordiæ suæ efficiẽdo, bona creata nobis donans, ipsumq; bonum Filium sibi ab æterno coæuum, naturâ humanâ induens. Vt sicuti Filius Patri dixerat: *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Ita iam sociatâ Deitate cum humanitate, & ea quæ Dei sunt, bona nostra sunt: & illa quæ donata sunt, vt nostra sint, Dei sunt. O admirabile commercium! terrena bona quæ Dei sunt, nostra sunt: æterna bona etiam nostra sunt. Subinferr idem

Ioã : c. 17.

Dauid:

David: *Bonorum meorum non eges.* Non eget Deus bonorum nostrorum: quid enim inde lucri? Alio Psalmo fatetur in persona Dei: *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos: si esuriero, non dicam tibi; meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius.* Quid ergo non eget omnino? Eget ad conseruationem, nunc in sæculo vitâ mundi durante; post mortem in æternũ, vel ad misericordiam, vel ad iustitiam: coronatq; inutilia bona gratitudine receptâ; ac punit eadem ingratitudine reiectâ. Sed heu, pauci grati? In Euangelio Redemptor seruum infidelem condemnat; vix duobus succurrit, fidelesq; adinuenit: *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Exigua fidelitas in conseruationis beneficio examinatur, in glorificationis beneficio remuneratur. Mundus est forum, in illo æstimãtur opera hominum: hic magna sunt vilissima, respectu rerum cælestium. Et è contra: Quid minus, quàm dare

Psal. 15.

Psal. 49.

Mat: c. 25.

aquam frigidam, cuius merces æterna? quid maius, quàm toti mũdo imperare, cuius merces æterna, ſed diuerſa? illius glorioſa, huius contu-
Sap: c.6. meliosa: *potentes potenter tormenta patientur.* Omnia opera quæcunque in mundo fiunt, etiam optima, pauca & minimi pretij ſunt. Anima, ſi ſuper pauca fueris fidelis, ſcilicet cõſeruationis beneficio, ſæpè & ſolidè examinato, ſuſpirio deuoto, gratitudineq; oblata Deo; ſupra multa, id eſt, duratura ſemper gaudia, te conſtituet Creator: intrabis, æternitate fælici introducente, ianuam gaudij, ex qua nunquam efferes pedem, quia cum Deo æterna manſio tua. Contrariò, malum ſeruum, infidelemque, contemptorem Conſeruationis Diuinæ, ac eâ abutentem, qui ventri & carni conſeruandæ inuigilat, ocio, voluptatibus, Bacho & Veneri inſeruit; conſeruationi adiudicabit Creator, vrenti, non perimenti: vt enim priorem gratitudo gaudio intulit; ſic hunc æterno luctui ingratitudo ſepe-

liet.

liet. Ne hoc tibi contingat, Anima, pedi ſiniſtro Saluatoris adhæreas; benignitas Conſeruationis, lenitate cōmitante, ſternit iter ſiniſtrum, affluentiarum, & donorum hominibus in hoc mundo: pro quorum, prauo vſu, & reſtitutione gratiæ Cōſeruationis, pes ſiniſter in Cruce rubore ſanguineo reſperſus, placauit iram Patris, ſiniſtramque Inferni auertit. Vt à te amoueat ſiniſtram maledictam Deus, Anima, promoueas affectu diſcurſum, magis agnoſcendæ Conſeruationis in Deo, tuæque ingratitudinis in eundem, ſequenti Capite, ſuſpirijs eleuando te ipſam, ad percipiendum hoc beneficium, quanto ſtudio, curâ, conſeruet Deus omnia, præcipuè humanam naturam, Intellectu, Voluntate, Memoriâ ſuâ Diuinâ, auremq; diligentē accommoda.

De conſeruatione mirabili Dei, mortalium.

CAPVT II.

De Côst: lib: 1. c. 13.

DEũ regere, & cõseruare omnia, extra dubium; Lipsij testimonio: *Deus est illa mens, quæ cælorum perennes orbes; quæ syderum inæquales cursus; quæ elementorum alternas vices; quæ deniq; omnes res superas, inferas, temperat, moderatur, gubernat.* Agnoscit idem prouidentiam Diuinam non desinentem: *Prouidentia est, fuit, erit* (Dei) *peruigil, illa & perpes cura* (*sed cura secura*) *quâ res omnes inspicit, adit, cognoscit, & cognitas, immotâ quadam & ignotâ nobis serie dirigit, & gubernat.* Dispositioni si quis huius orbis mẽtis oculo adsistat, quomodo noctes diebus, & vicissim, succedant: Sol obducatur pallio nigræ noctis: Luna interim suffocetur à sole illuminatione glebæ: Ver, amænitate induit floribus vestes: Æstas, calore, pluuiaque alternante, recreat procreandas fruges: Autumnus, segetibus, fructibusq; horrea implet, mẽsasque ditat: Hyems, fruitur labore commendato à marmorea glacie, canisq; niuibus; cõtinuatè omnia quasi abeunt, in nascendi pereundiq; fatalẽ

gyrũ,

gyrū. Homo tamē præcipua cura Dei est, & cōseruationis mysteriū luculētius in eo apparet: ad similitudinem suam verè formauit, non corporeo indumento, cui etiam similis persona secunda Diuina in terris visa, spirituali potissimùm adæquauit comparatione supremæ, creando, & conseruando typum Trinitatis; intellectu, voluntate, memoriâ, illum ornando. Longiora, at dignissima verba D. Bernardi annotare, mirabilem curam Dei, circa humanæ naturæ excellentiam conseruatam, animus suggessit: *Considera (ô mortalis) nobilitatem tuam quoniā sicut Deus vbiq; est totus, omnia viuificans, omnia mouens & gubernans: ita tu in corpore tuo vbiq; tota es (* Anima*) illud viuificans, mouens, & gubernans: & sicut Deus est, viuit, & sapit; ita tu secundum modum tuum es, viuis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt Personæ, Pater, Filius, Spiritus Sanctus: sic & tu habes tres vires, intellectum, memoriam, & voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex vtroq; procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu gene-*

De inter: Domo. c. 17

ratur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus; non tamen tres Dij, sed vnus Deus, & tres personæ: Ita Anima est intellectus, Anima voluntas, Anima memoria; non tamen tres Animæ, sed vna Anima, & tres vires. Ex quibus Animæ viribus, quasi excellentioribus, iubemur Deũ diligere: vt diligamus eum toto corde, totâ animâ, totâ mente; id est, toto intellectu, tota voluntate, totâ memoriâ: hoc est, toto affectu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Nec solus sufficit de Deo Intellectus ad beatitudinem, nisi sit in amore eius voluntas: imò hæc duo non sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis, & volentis, maneat Deus. Vt sicut nullum potest esse momentum, quo homo non vtatur, & fruatur Dei bonitate & misericordia: ita nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Hæc verba insculpenda tuæ, ô Anima, memoriæ. Voluntate approbanda, intellectu ruminanda continuatis actibus deberi, quis prohibet? Dauid simile quid in Psalmo

Ps:31. declarat: *Intellectum tibi dabo, & instruã*

te in via hac quá gradieris: firmabo ſuper te oculos meos. Intellectum tibi dabo: id eſt, Pater Deus dat Intellectum Creatione, homini. *Inſtruam te in via hac quá gradieris.* Deus filius, qui redemptione viam rubeam ſanguine ſuo ſtrauit, quâ iter, licet arduum, ſecurũ tamen, mortalibus monſtrat. *Firmabo ſuper te oculos meos*: Deus Spiritus Sanctus, qui conſeruatione, nunquam oculum Diuinũ ſubtrahit à rationali creatura. Videamus ergo ſeparatim, quâ vigilantiâ Deus cuſtodiat hominem, Intellectu, voluntate, ac memoriâ: Intellectu, cognoſcendo; voluntate, conſentiendo; memoriâ, retinendo conſeruandoque. Ac inprimis de Intellectu. Pſalmo Centeſimo decimo dicitur: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.* Certum eſt, intellectum Diuinũ, bonum per ſe, bona omnia feciſſe. Moyſes, in creatione mundi, omnia bona feciſſe Deum, calamo ab errore alieno expreſſit, & quia ab amore æterno proceſſerant; & quia in laudem Pſal: 110.

æterni Creatoris prodierant. Intellectu ergo nouit Deus hominem. Vti idem Propheta de illo: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Figulus cognoscit opus proprium: nos sumus opus Dei; nihil ergo absconditum ab eius scientia. *Qui plantauit aurem, non audiet: aut qui finxit oculum, non considerat?* Habet, & quidem triplicem, notitiam hominis Deus: per prædestinationem ab æuo; per scientiam in tempore; per Iudicium in æternum. Cui etiam vir doctus assentitur: *Si aspicit res humanas Deus, & curat: si curat, regit: si regit, Iudicio regit: at si iudicio, quomodo iniustè, quomodo erroneè?* Intellectu suo prædestinarat creare hominem, quomodo non nosset fabricam manibus sanctis plasmatam? sed qualem fabricã? talem, qualem supra Diui Bernardi verbis expressimus. Deus Pater vt Creator, intellectui suo non absimilem indidit homini intellectum, non ab æterno factũ, at æternitaté à crea-

Psal: 10.

Psal: 93.

Lips: de Con: li: 2. c. 13.

tione

tione fruentem: Vt ſicuti Deus creatione nouit hominem, ſic homo intellectu creato noſſet Creatorem. Intellectum bonum fecit, vt laudaret in ſæculum ſæculi Formatorem, obiecto aſſiduè paſcens intellectum notitiâ eius, cuius creatus eſt, verſari circa tale obiectum, naturâ ipſa dictante, innatum fuerat. At Anima, creato tuo Intellectu, dic, an correſpondeas Intellectui Diuino? Aberraſti miſera: cogitationes, operationes tuæ ſpuriæ factæ. Et hoc Dei intelligentiæ non ignotum: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Pſal: 93. Et Moyſes in Cantico, deplorat ſtultitiam intellectûs Hominis: *Dereliquit Deum Factorem ſuum,* (Homo) *&* Deu: 32 *receſsit a Deo ſalutari ſuo.* Si aureum vas, præparatum menſæ Regiæ, ſordibus aliquis impleret, artificis bilem moueret: Intellectus bonus, factus ad laudem Dei, refertus peccatis, iram Diuinam concitat; quam tamen inexhauſta clementia cohibet. Eam admirans Lipſius: *Tanta eſt Dei miſericor-*

dia,

De Cōst: lib: 1. c. 16.

dia, vt etiamsi nos peccemus, & peccauimus, cùm & nati in labe viuamus, tamen valde raro puniat: nam si nocentes omnes puniret, iam cœli armamentaria, vt cùm satyrico iocemur, sine telo essent, si fulmina semper missa in merentes, vel Catulli voce possemus vti: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus. Si bello aperto cum Deo & Religione, intellectu humano pugnātes creaturæ interimerentur: si voluptuosi, & diuites, pace in substantijs fruentes, tolerentur? Quantumuis ergo, Anima, tentatione aliquâ à scopo creationis deuias; trutina intellectu tuo bonitatem Diuinam, & conseruationem, quâ in delictis non occumbis: sed occasio datur, vt resurgas ductore ratione, secundum Platonem: *Rationi obediendum.* Cuius sedes in Intellectu, qui est sol Animæ; Luna crescens, vel decrescens affectu; stella fixa, boni vel mali cognoscendi; firmamentum actionum humanarum; Iudex operum commissorum; statera cœli, vel inferni consequendi: pondere

enim

enim turpium cogitationum, premitur ad fundum cruciatuum: subtiliũ verò, Diuinarumque meditationum, & suspiriorum aurâ eleuatur ad felicem aërem æternitatis. Hinc S. Paulus Iudicium nunc vult peragi: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Intellectui incũbit, vt scrutetur secreta propria, Iudiciumque reale non blandiens corpori formet: nam, *Inter corpus & animam, est concordia discors, cùm vtriq; agatur de Imperio, & seruitute.* Arbiter est Intellectus, illo decidente, prædominium vnius assumitur. Ah Anima, ne patiaris tibi eripi tam nobile sceptrum, ingenuitatem amittes subiectione, mancipataque iugo seruitutis, catenas diræ Æternitatis non eludes. Conforma te Intellectui Diuino, qui suauiter cõseruando vniuersitatem creatam, supremo Dominio adeò spoliari se haud permisit, vt potiùs lapsu primorum Parentum subsecuto, ipse spoliari, & nudus Cruci appendi destinârit, gloriando: *Iam Princeps mundi eÿcietur fo-*

Ad Cor: Epi: 1. c. 2.

Lips: de Cõst: li: 1. c. 5.

etur foras. Eiecit spoliatione corporis propria spolia Animarum vinctarũ, cœloque ouans, veluti captâ prædâ, intulit. Imitare Intellectum Diuinum, ne patiaris te spoliari, Anima, virtutibus, tuumq; captiuari intellectum, à voluptatibus mundi, & carnis: contempsêre talia Ethnici; an non magis Anima Christiana? Philosophus dicit: *Voluptas cùm maximè delectat, extinguitur.* Ignis puniens delectationes vanas, non extinguetur; occupetur potius Intellectus circa cõseruationis Diuinæ modum percipiendum; exclameťque: Mirabilis Deus in operibus suis, quæ creata semel, per tot Annorum spatia mirabiliùs gubernat, gubernabitque ad præfinitum Intellectu Diuinô tempus. Fluctuantem Intellectum in rerũ immutabilium cogitatione firmes, Anima, suspirio immoto in omnipotentiam Dei. *Vt* (enim) *nauis vacua, & inanis, circumagitur in mari omni vento: sic in nobis vaga mens, quam pondus, & tãquam saburra rationis, non stabiliuit.* Rudimenta

Sen: de vita beata. c. 7.

Lips: de Cõst: li:1. c. 5.

ſunt opera Dei in mundo, quibus In-tellectus edoctus, ad altiorem ſcho-lam contẽplationis examine promo-tus, ad curſum illũ Theologiæ, æter-nitate terminandum, promouebitur. Iam Deus inferiori hâc ſolâ conten-tus Scholâ, vt gratitudine voluas & reuoluas Anima, momentanea tibi ab illo collata beneficia. Beneficij definitio à Seneca deſcribitur: *Benefi-cium eſt beneuola actio, tribuens gaudium, capienſq́; tribuendo, in id: quod facit prona, & ſponte ſua parata.* Talia beneficia à Deo mortalitati conceſſa, & tamen oblivioni dantur: tu, Anima, excipi-as congruâ gratitudine, ac ob ingra-titudinem rubore afficiaris. Eodem teſte Senecâ: *Beneficium, cuius ſine rubo-re meminiſſe non poteris.* Verecundia o-periat faciem ingratitudinis. Omnes Martyres, & Confeſſores, martyriſa-ti rubore ſanguinis Beneficiorum Di-uinorum, ſunt recordati: & tu nondũ ad ſanguinem reſtitiſti, Anima. Væ pigræ creaturæ! Formica labore in Iudicio condemnabit otium labora

Seneca de beneficio. lib. 1. c. 6.

nunc;

nunc, requiem cœlo differ: ac admirando, Intellectum Diuinum in conſeruatione mundi, intellectu tuo illuminato, educ verba Antiphonæ Eccleſiæ: *O ſapientia, quæ ex ore altiſſimi prodiiſti, attingens à fine vſque ad finem, fortiter, ſuauiterque diſponens omnia.* Sequitur conſideranda conſeruatio Dei, volũtatis Caducæ Humanæ: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Velle dediſſe hominibus Deũ, ſummæ admirationis intuitu æſtimandum. Voluntatis arbitrio, cœlum & Infernus relicti: quis prohibebit dicere, quod voluntas, cauſa quaſi impulſiua creationis Cœli & Inferni, per Dei volũtatem? vt illi qui Diuinæ ſe accommodant in terris, eiuſdem cœleſtis gaudij, è bona voluntate procedẽtis, efficiantur participes: qui reſpuunt voluntate voluntatẽ adimplere Creatoris, ſubiugatur voluntati eius, qui primò recalcitrauit voluntatis contrariæ motu, Formatori. Voluntatum prælium fuerat, Michaëlis cũ

Pſal: 144.

Luci-

Lucifero. Voluntate adiuuante Diuinâ, deiectus Draco eò, vbi voluntate obſtinata, in perpetuum contradicet Creatoris voluntati. Succeſſit præuaricatio voluntatis humanæ in Paradiſo; voluntas Conditoris prohibuerat ne de ligno ſcientiæ boni & mali, guſtaretur à primis Parentibus. Serpens aſtutiâ ſerpere induxerat repugnationem voluntatis hominum, Paradiſi voluptatibus incluſorum: haud difficile erat ſynonyma copulare, vnâ litterâ diſtinguitur voluptas, & volũtas. Interrogauit ſimplicitate fictâ, Dæmon Euam: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Imbecillis ſexus, licet è coſta ædificatus, flexibilem ſe monſtrauerat, voluntatem extenuando Diuinam: *Ne fortè moriamur.* In reſponſo, abſque *Fortè*, Deus præceperat. Voluntas fœminea addiderat impertinens verbulum, quo ſolo *Fortè*, immutata Dei voluntas, è Paradiſo, in terram horridam: è voluptate ad laborem: è ſtatu innocentiæ, ad la-

Gen: c. 3.

pium

pſum interpretem eiecerat deprauatam. Inde fit, vt voluntate, tanquam è lacte materno, corruptâ mortaliũ, mobilitate voluntatũ reſeruata, abutamur: nihilque ferè agitur, quàm vt eâ quotidie offendatur cœlũ, omniaque membra cõtra præcepta Diuina, & finem creationis ſuæ, inſeruiãt volubili voluntati. Voluntas Diuina loquitur per Prophetam Regem: *Auerte oculos, ne videant vanitatem.* E diametro volũtas humana oculos paſcit vanitate, qui ſunt exploratores eius. Agnouit Iob, cùm diceret: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Vnde, ſancte vir, oculi cogitant? quale fœdus? non tantum exploratores, imò inſtructores, iudices, perſuaſores, executores, ſunt oculi voluntatis: nec aliud pharmacũ oculorum, ne lenones ſint, volũtatis, quàm Drexelij opinione: *Oculi tunc verè cauti ſunt, cùm ſanctè clauſi ſunt.* Auris voluntate aberrat peruerſa à Creatore. Idem Rex loquitur: *Audiã quid loquatur in me Dominus.* Auris volunta-

Pſal: 118. — Iob c. 31. — De Cœ: lib: 2. c. 15. — Pſal: 84.

ria,

ria, turpibus colloquijs, fœtidisque cantionibus oblectamẽta quærit. Gustum inuitat idem Propheta, propinatq; voluntati: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Propria voluntas gustum venalem habet, auersaq; à Deo, rebus caducis nutritur; teste S. Augustino: *Voluntas quantò est auidior temporalium bonorum, tantò est inanior æternorum.* Odoratum sponsa Christi ducit ad cursum: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Voluntas indomita vultures imitatur, & muscas: illæ peruolant amænos hortos, virentes syluas, florentia prata, & ad sola cadauera tetrum odorem spirãtia, accurrunt. Muscæ quoque partibus sanis corporum omissis, ad vlcus aduolant. Tactus periculosus, ipse Iob abusum tactus veritus, desperansque, solũ obstare se posse tactui Diuino, castigatoris tactus voluntatis abortiuæ, auxilium Amicorum implorat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Dura manus Altissimi, voluntas re-

Psal: 33.

De patien. c. 23.

Iob c. 19.

fragatoria contemnit tactum seuerū, tactuque prohibito voluptatum delectatur. Hinc videas, inter flagella Dei, quibus voluptatem tangit puniendo humanam, impunè choreas, vsuras, crapulam, & mille dominari vitia. Manum sapientissimus Salomon iubet creaturæ voluntate prædita aperire inopi: voluntas crudelis, manu eripit aliena, aufert vitā datam à Creatore. Voluntas enim irata, quid non audet? *Vt torrentes cùm ad loca humilia ex montibus deuoluntur, quidquid obuiam venerit, secum rapiunt: sic & impetus iracundorum, violenti & effrænes, per omnia procedunt: non canities apud iratos venerabilis est; non Iustitia vitæ; non propinquitas generis; non accepta beneficia; non alia aliqua dignitas, & neq; acies ferri, neq; ignis, nec aliud quidquam animū* (voluntate iratâ) *furiosum cohibere potest.* Pedes Zacharias optat, vt dirigantur in viam pacis: voluntatis insanæ directio pedum, velox ad effundēdum sanguinem. Vno verbo, voluntas humana præsumit se habere in potesta-

Bell. sup: Psal: 90. Cōc: 10.

te propria, & terram, appetendo; & Infernum, contemnendo; & cœlum, eo abutendo. Obstupesce, Anima, animaduertendo Dei patientiam, in conseruatione voluntatis humanæ, quam cùm & pœnis, & præmijs, domare proposuisset; neque illa iuuissent: filium suum æternum, in quo expressit Idæam suæ voluntatis, misit, vt reformaret voluntatis mortalium Regulam. In natiuitate, assignato tẽpore à Dei Patris volũtate, & à seipso qui est voluntas, apparuit mundo. Prædicationis suæ tempore, cibum proprium, voluntatem Patris esse, confessus est, docuitque in Oratione Dominicâ, adiungendo, post adueniat Regnum tuum; *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra*: quasi voluntati inobedienti interdicendo Regnum cœleste. In agonia, amarum calicem posthabuit voluntati Diuinæ, mortẽque volũtariam perseueranter suscepit. Et nos pudeat, qui licet conseruamur ex infinita clemẽtia Dei in vagabunda voluntate, ad multos annos, Mat: 6.

ad mortem vſque: nihilominùs conſeruatione voluntatis impugnamus
Pſal: coelum. Dauid Rex expreſſè: *In capi-*
39. *te libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Ne auolaret, fixamque teneret ſedem. An fortè voluntas à volando dicta? nec immeritò, volat vbique, tantùm Deum prætteruolat: eo deniq; veſaniæ procedit volans voluntas, vt velit increatam voluntatem cogere, ad creatæ voluntatis affectum. Ergo Deus, vt volatum voluntatis impediret, hic amputat aliquando criſtas & pennas, infirmitate, ærumnis, paupertate, depreſ-
Pſal: ſione: vt iam conualeſcens voluntas,
118. agnoſcendo erratum, dicat: *Bonum mihi, quia humiliâſti me*. Si medicina talis nondum operatur, includitur caueâ infernali, vbi perpetuitate miſerabili, volatu prohibebitur. Conſentaneæ verò voluntati, non vincit ſe
Pſal: ſubiectione Deus ſuperari: *Voluntatem*
144 *timentium ſe faciet*. Et ſol ſtetit voluntate Ioſue, contra ordinationem Di-

uinæ voluntatis ordinariam. Et anni additi vitæ Ezechielis, post Decretũ supremæ voluntatis. Et pluuia oblita fuerat rigare, Achabi tẽpore, terram; detinendo misericordiam voluntatis æternæ. Et euersio Niniuæ, iuxta voluntatem Dei, & Prophetæ, immutata est. Quomodo duo illi Francisci, Assisius, & de Paula, voluntati Dei, & creaturarũ, quasi imperabant. Defle ergo, Anima, cœcitatem tuam suspirio; quæ voluntate conseruata à Deo, tanquam telo vteris aduersus illum: gratias age pro conseruatione potiùs, & roga, vt voluntatem tuam conseruet in conseruatione suæ sanctæ voluntatis: assuesce in vita subijci dominio voluntatis, cuius beneficio conseruaberis, ac frueris præmio æternæ fælicitatis: ibi assidebit voluntas coronata gratitudine, absq; fine celebrando Deum, qui illam à voluntate damnatâ separauit. Elige, voluntate iam conseruata Dei, Anima, potiùs coronam, quàm pœnam: vtriq; æternitati assi-

gnatus locus. Sicut enim intensiuè voluntas humana vel meretur, vel demeretur: ita extensiuè æternitatis longitudine, aut præmiabitur, aut cruciabitur. Succedit conseruatio memoriæ Humanæ, à Deo. Mirabilis structura memoriæ, quæ in exiguo vasculo, tot tantaq; congesta conseruat, mirabilior qui ipsam conseruat: ac ideò vt per eam conseruatio generalis insculpta esset mortalitati, propterea Rex Propheta: *Memor fui operũ Domini, quia memor ero ab initio mirabiliũ tuorum.* Inexplicabili modo, ex intellectu & voluntate, nascentẽ memoriam conseruat Creator; quæ, vt Spiritus Sanctus à Patre & Filio, ita hæc ab intellectu & voluntate procedit. Hinc die Pentecostes eo memoriæ processerant Apostoli, vt omnium linguarum recordarẽtur: dispartitæ linguæ varias elocutiones futuras edocturæ, apparuerant; & nunc quàm multi in Schola Spiritus sancti edocti, simplicitatem in eruditionẽ, taciturnitatem in eloquentiam, igno-

Psal: 76.

rantiam

rantiam, in stupendam rerum memoriam immutauêre. Nescio quid similius Deo, memoriâ humanâ? Omnia præsentia sunt in conspectu Dei; futurum, præteritum fugit. Memoria licet imperfectiori modo veluti creata, futura præteritaque ita constituit intellectui, vt præsentia planè videantur. Accusat D. Hier: memoriam propriam, quæ choreas & vanitates præteritas, ita ante oculos eius posuerat, vt quasi adesse eis tūc imaginaretur; Sic ferè mundi asseclæ, memoriâ omnia tanquam præsentia intuentur, de præteritis nō dolent Dei offensis; præsentia, voluptatibus & misericordiâ Diuinâ velant; futura præmia, vel pœnas extenuant. Vt ergo Deus cōseruaret memoriam operum, & beneficiorum suorum, omnia creata oculis sensibusque proposuit, quæ memoriam fluxam stabilirent mortalium, atq; cogitationem Creatoris firmarent. Cœlum ipsum imitat memoriā reflexione, quod sicuti *Pulcherrima pellis in modum magni cuiusda* S. Ber

nar: Cantic: in Ser: 27. *teriory, vniuersam operiens faciem terræ, solis, lunæ, atq; stellarum varietate tam spectabili, humanos oblectat aspectus.* Scabellum Hominum terra, virentibus herbis multiplici odore recreat sensus: Aqua cursu, fluctuumq; eleuatione, insinuat iucunditatem oculis: Aër inuisibili motu assiliens, resiliẽsque, vitæ anhelitum hominis excipiendo conseruat. Hæc omnia si recogitat memoria, exercet se cum Dauide, in mirabilibus operum Dei. Vel aliter memoria ruminet cogitatu, præterita, præsentia, futura, atq; iam essent. Præteritam conceptionem, natiuitatemque hominis, vt de ea apposité Bellar: *Vsq; adeò fœdam hominum conceptionem esse, vt ille clementissimus Dominus, qui omnes nostras ærumnas & calamitates perpeti decreuerat, vt ab eis nos liberaret; tamen hanc vnam ferre nullo modo voluit. Et qui sibi turpe non esse iudicauit, conspui, vinciri, verberari, atq; in crucem agi: tamẽ indignum omninò sua maiestate censuit, vt ad eum modum conciperetur, ad quem reliqui homines concipi solent. Itaq; non ex mu*

Bell: in Cõc: de mi ser: vitæ hum.

liere

liere fœmina viciata: sed ex Virgine castissima, atq; integerrima; neq; viri alicuius, sed Spiritus Sancti operâ nasci voluit. Et idem inferiùs de natiuitate hominis: *Nascitur homo nudus, inermis, infirmus, ignorans, omni consilio & auxilio destitutus: ambulare non potest, loqui nescit, neq; seipsum iuuare, neq; aliorum opem implorare nouit.* Consentit in idem & S. Bern: de natiuitate humana dicens: *Primi Parentes me fecerunt priùs damnatum quàm natum, & peccatores peccatorem in peccato genuerunt, & de peccato nutrierunt; miseri, miserum in hanc lucis miseriam induxerunt.* In Moral. Præsens vita si memoriâ versatur, quàm vana reperitur: momento vno constat, eoq; incerto. Si voluptas delectat, ictu oculi transit: si diuitiæ placent, citò effluunt: si sanitas viget, fugit: si dolor affligit, statim præterit: si paupertas premit, cessat: si morbus cruciat, desinit: si mors superuenit, occidit. Tali modo magistra memoria, volūtatem concupiscibilem, intellectumq; superbientem coërcebit, cum S. Bern: *Quid superbis,*

De dignit: animæ. c. 3. (Homo) *cinis & puluis ? cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia. Quid superbis? cuius conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori.* Futuris, quæ superuenient homini, si memoria meditatione se occupauerit, præsertim obiecto mortis, agnoscit
Ibid. verum S. Bern: dictum : *Nihil aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium; post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror : sic in non hominem vertitur omnis homo.* Memoria si omninò labilis sit, locali firmatur sibi simili. Anima, loca (memoriæ imbibas tuæ) assignata sunt tria tibi, à Deo : Vterus, Mundus, Cœlum vel infernus. In primo, parum & miserè subsistes. In secundo, aliquantò diutiùs, sed periculosiùs : quantò enim vita longior, tantò culpa numerosior. Tertius locus æternitatis benedictæ, vel maledictæ, eligendus est tuâ memoriâ. Deus ex infinita misericordia, in tantum conseruat memoriam beneficio suo, vt vltimus agon memoriâ Dei cõclusus, merea-

tur, & remissionem culpæ, & introitum gloriæ *Qua enim hora ingemuerit peccator, exaudiam eum.* Latro in Cruce, memoriâ breui, eodem die paradisum consecutus: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Multis talis memoria non displicet præsumptuoso præsagio: vnus Latro talis, & semel Christus cruci affixus, non datur aliud exemplum, nec ergo tam audacter trahatur in exemplum. Meliùs, Anima, memoriam instrue duorum Regum occupatione, ordinarij Præceptoris tui Regis: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Alterius Regis decumbẽtis morbo, stylum attende: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Conseruatâ hâc vtraq; doctrinâ, memoriam conseruabis æternitati. Sed vlteriùs aduerte Dei bonitatem, quæ cùm memoriam instabilem humanã cerneret: *Fecit memoriam mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: escã dedit timentibus se*: Corpus & Sanguinem suum manducandum reliquit,

Luc: 23.

Psal: 26.

Isa: c. 38

Psal: 110.

ne memoria hominum excideret, ea que & hic inuisibili specie conseruaret, nutriret, & in cœlo visibili foueret, bearetque. Iam crassa ignorantia Animæ sequeretur, si obliuisceretur Dei sui. Quid enim est aliud Caro & sanguis Christi? nisi pignus amoris mutui; medicina sauciatæ animæ; pharmacum salutis æternæ; leuamen sarcinæ peccato oneratæ; lauacrum vestis Innocentiæ maculatæ; detersio scelerum; conseruatio puritatis internæ; nutrimētum virtutum; augmentum gratiæ Diuinæ; scutum inexpugnabile contra insultus hostium; arma fiduciæ certissimæ; gladius interimens vitia; triomphus tentationum; Arrha denique æternorū gaudiorum. Ingratitudine summâ delinqueres, Anima, si tanta beneficia Diuina eijceres è memoria. Verendum, ne Deus quoque tui obliuiscatur cum Virginibus fatuis: *Amen dico vobis, nescio vos* Si elabuntur tibi beneficia; inscribe, vti pueri solent Alphabetarij, in nigra tabula albis lit-

Mat: 25.

teris,

teris, memor mortis, puritatem cordis bonis operibus manuum tuarum consigna; statimque lachrymis, & pœnitentia dele, ne cōplacentia subsecuta deleat meritum. Fuge mundi sectatores: hi albam chartam calamo nigro colorant, vt ab omnibus legi, (laudari videlicet) possint: pulchredine alba bonum opus factum, nigredine vanitatis deturpant. Quando ergo Deum, intellectu, voluntate, memoria, ad oculum, Anima, te cōseruatam agnosces, & opus est vt agnoscas: vicissim intellectu tuo, voluntate, memoriâ allabores, vt te cōserues ipsa ad illum finem, ad quem creata es. Fige pedem prauum, & sinistrum, actionum tuarum, in apertura sinistra pedis Christi, gratitudine compunctoria, suspirijsque plena: immitte considerationem in conseruatione tui, & omnium rerum tam mirabili à Creatore; nec permitte vt hæc, omnia *quæ ad vsum vitæ à Deo accepisti, ad vsum culpæ conuertas.* Astantis Ductoris Angeli, pro custode à Deo dati,

S. Bernar. c. 11 de Medit.

dati, auxilium implora, qui tibi ad conseruationem additus est à Creatore: quod beneficium vt elatiori gratitudine comprehendas, altero Capite tibi ostendetur.

De conseruatione Hominis à Deo, per Angelũ Custodem.

CAPVT III.

CÆlestem secundariam, dependentem à priori, Deus conseruationem hominis, per Angelos Custodes fouere voluit. Agnouit solitus
Psal: 90. ductor tuus Propheta: *Angelis suis mandauit de te* (ô Homo) *vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Hoc beneficium erit iam gratitudine calami excipiendum, quod sequitur: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Posterioribus duobus Capitibus explicabitur. Cùm homo vel non aduertat Diuinam conseruationem; vel sublimiorem subterfugiat; vel indignum

ſe ea iudicet; vel eminentem non concipiat; vel ſupernaturalem affectu humili prætereat; arctiori vinculo amoris ſtringere conſeruationem viuentis mortalis, Conſeruator elegit per Angelum Cuſtodem: cui indefeſſam aſſiſtentiam, fortitudine defenſionis adiunctâ, commiſit. Quæras, Anima, vt hac quæſtione, & mirabilem conſeruationem Diuinam agnoſcere, & te gratitudine attollere valeas. Cur Deus hominibus Angelorum cuſtodiam attribuit? vt viciſſim: Cur Angeli ad tam vile miniſterium fuerint Diuino Iudicio deputati? Ad primam quæſtionem, quinque cauſas, è politico & occurrenti ſtatu, ſumere non prohibeam. I. Cuſtodiuntur infantes & iudicio haud maturo præditi, portantur, ablactantur, fouentur. II. Inſani, quorum ratio confuſa, directore indigent alieno. III. Senes, qui ſunt bis pueri, & baculo quandoque, & homini alleuanti innituntur. IV. Infirmi imbecilles, ſine adiutorio lã-

guent, aliorumq; brachijs sustentantur. V. Rei criminis & mortis, strictæ includuntur custodiæ. Hæc omnia, spirituali interpretatione, seruiunt animæ corpore cinctæ.

I. Infantes sumus in rebus cælestibus: expertus S. Petrus eloquitur: *Quasi modo geniti infantes*. Infantes plorant sæpius: nostra occupatio incusare, & indignari contra Dei prouidentiam. Illi lacte pascuntur, ab vberibus, rarò matris, sæpius nutricis: Nos rebus albedine & colore lacteo resplendētibus (vanitatibus scilicet) cibamur. Vbera matris, quæ res terrenæ sunt, illa enim & generat, & recipit in gremium vitâ finitâ. Nutrix, est caro: illa blanditur voluptatibus lacteis, hæc fugitiuis. Abstrahe te, Anima, ab infantia, & cibo spirituali pascaris, in virum euades perfectū: quod verò tuorum affectuū vim excedit, Angelus custos tutor attributus, supplet, falsum quid apponens corpori ingratum, Animæ suaue. *Vti prudentiores nutrices consueuerunt, quæ vt à*

1. Petri 2.

Bell:

lacte

lacte auocare infantes, atq; ad solitos cibos prouocare possint, aliquid absinthij ponunt super capita mammillarum. Ita Angelus apponit in medio voluptatum, cibũ æternitatis; cibum virtutis & perfectionis; cibum pœnarum & præmiorum, relicto corpore comitantem. Côc: 4. de Trib.

II. Insani loquuntur, & faciunt quæ rationi repugnant. Annotauit dicta insipientum, tuus Rex sapiens: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Psal: 52. Et in alio Psalmo: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Psal: 2. Fremere insanorum proprium: irridentur tales à prudẽtibus, & ratione ipsâ. Deus est ratio rationum. Ideò: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsanabit eos.* Curatoriam exercet Angelus Custos, circa insipientes, arma carnalia inspirationibus adimit, includit aliquando in arcanum cordis, vt videant suas passiones prauas: radit caput pœnitentia, à turpium cogitationum, continuo habitu: flagellat corpus disciplina tribulationis, exonerando turbatum cerebrũ, tum

ratio-

ratione restitutâ animaduertunt, quãtam ruinam euaserint, si suasio insaniæ præcipites eõs ad inferos dedisset.

III. Senectus dominatur mundo, tot millibus Annorum mũdus assueuit caducis rebus, multi mortalium sustentantur, vti baculo arũdineo, spe longioris vitæ, senectutẽ desiderant, & vitiorum, & ætatum: Hominum fauoribus, laudibus, applausibus, delectantur. Respuit Dauid senectutem hanc, & prudentiorem se senibus prædicat: *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Longa vita decipit, veluti Epulonem illum, quem arguit Christus in Euangelio: *Stulte, hâc nocte repetent à te animam tuam.* Fauores hominum euanescunt, peribũt in illa die omnes cogitationes eorũ. Angelus Custos, verus est baculus, qui & scipio appellatur; à Scipione illo Carthaginẽsi sumpta origine: debellato hic Hannibale, primus baculo senectutem sustentari docuerat. Scipio noster Angelus, vincit Hannibalem infernalem, qui iucundissimam

Psal: 118.

Luc: 12.

Regionem Italiam (Animam scilicet nostram) multis annis possedit. Scipio noster triũphat de victoriâ, supplendo defectus nostros baculo constantiæ, in bono proposito, recordatione Christi meritorum, erigit nos, & portat manibus suis: quas manus diuersè explicant duo viri sancti S. Bern: *Vultis scire, quas intelligam duas manus? videlicet, hanc quidem tribulationis breuitas, inde æternitas retributionis ostenditur.* Et Bellarminus: *Quid sunt manus Angelicæ? nisi potentia, & prouidentia, quibus quasi duabus manibus* (Angeli) *nos regunt.* Iuuentutem nobis restituunt, renouatur, ipsius Custodis Angeli virtute, iuuentus nostra, dum strenuè pugnamus cũ inimicis animæ nostræ: renascimur, dum relicta consuetudine praua peccandi, eiusdem Angeli ductu, ad cælestia anhelamus. Vt Saluator dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre Regnum Dei.* Pœnitentiâ lachrymarum, & spiritu deuoti suspirij, renascentiam spiritualem consequimur.

In Psal: Qui habi: ser: 12. Super eundẽ Psal: Cõc: 9. p. 2

Ioã: c. 3.

IV. Imbecilles dolentes infirmi aliorum brachia requirunt, neque se motu proprio vertere in diuersas partes possunt. S. Paulus dicit: *Multi inter vos infirmi, & imbecilles.* Nihil per se homo potest facere boni; imò ne cogitare quidem. Dauid valdè se debilem agnoscens, inuocat auxilium Altissimi: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Et in alio loco animaduertit, si auerteret Deus faciem, omnia ad nihilum redigi posse: *Auertente te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum reuertentur.* Brachia supponit Deus, per Angelum Custodem, infirmitati, imbecillitati humanæ, pharmaco fortitudinis, & roboris, vt tãquam Medicus sanet ægram Animam, quæ erumpere, fracta viribus, potest in illa verba: *Sana me Domine, quia peccaui tibi.* Vel: *Sana me, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero.* Fortè Dauid fessus debilitate peccati, cõfortatus remissione per Prophetam: *Transtulit à te Dominus peccatum:* De sua

Ad Cor: I. c. II

Psal: 69.

Psal: 103.

Psal: 40.

Hier: 17.

2. Re: c. 12.

fortitudine quasi præsumit: *In Deo meo transgrediar murum.* Agilis, & fortis esse debuit Rex, talibus salti- bus se præparando. Experiuntur homines aliquando talem debilitatem, & ariditatem in rebus Diuinis: Angelus Custos adiuuat, ne deficiant in via salutis. Ideò additum à Dauide, quod custodiant nos in omnibus vijs nostris. Hinc S. Bernar: incitat nos ad gratitudinem Angelis referēdam: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præsentia, deuotionē pro beneuolentia, fiduciam pro custodia.* Psal: 17. Ibid.

V. Carceri mancipantur obnoxij sceleribus, vel morti. Sumus omnes filij Iræ, patriâ paradisoq; eiecti, cō- pedibus triplicibus mundi, carnis, & Diaboli, alligati asseruamur; vel emittendi in cœlum, vel morti æternæ tradendi. Aduertit Rex Psaltes, & clamat: *Voce mea ad Dominum clamaui.* Quid clamas, ô Rex! quid dicis? *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Et S. Paulus idem rogat: Psal: 141.

Quis me liberabit de corpore mortis huius? Imminentem mortem omninò non refugit, imò desiderat: quia carcerē, vitam hanc, merito calculo suo concludit. Deus Angelo Custodi iniunxit, vt pro emissione tua ex hoc carcere, ô Anima, intercedat: bona spe contemptu mundi nos præparat, exēplis aliorum, qui varijs modis miserè periêre terret; vt fælicem exitum obtineamus, Deum exorat. Vicissim, Anima, Angelum interpella his verbis; vt quidam in Oratione ad illum consueuit dirigere: *Precor te Angele Custos, si fieri potest, notum fac mihi finem meum, diemq; obitûs mei: & cùm de corpore ductus fuero, ne permittas me à maligno spiritu terreri, neq; in foueam desperationis deduci: non dimittas me Angelice spiritus, donec ad visionem ipsius Conditoris perduces me, &c.* Figura fuit in Tobia Angelicæ custodiæ; duxit & reduxit incolumē, Eleemosynas eius Deo obtulit: hæc est intercessio pro emissione. Ora, Anima, lachrymis & suspirio, vt ducaris, & reducaris operâ An-

geli, ad Patriam, & Patrem noſtrũ, Patrem totius conſolationis: cui prono corde age gratias, qui neceſſitati tuæ, & conſeruationi ſuccurrendo, optimum Conductorem largitus eſt, Angelum Cuſtodem, nunquam à tuo latere diſcedentem. Iam reflectas te, Anima, ad aliam quæſtionem inueſtigandam. Cur Angelos, & non quid aliud, elegerit Deus, vt munere cuſtodiæ hominum fungerentur? Suſpirio & præparatione mentis, mare clemẽtiæ Creatoris circa te, conſidera, decem cauſas proponere tibi volo.

I. Impudentia peccandi noſtra, quà freti, nec vbiquitatẽ reueremur Dei, nec hominum oculos timemus, nec conſcientiæ morſum ſentimus: eo vſq; audaciæ procedimus, vt neq; verborum promiſſo ſtemus; neq; legibus circumſcriptis obediamus; neque obligationibus datis Creditoribus, ſatisfaciamus; neque honori noſtro conſulamus. Carpit hanc noſtrã infidelitatem Seneca. Cuius verba: *O turpem humani generis, fraudis & nequi-* De be

tiæ publicæ confeßionem ! *annulus noſtris, plus quàm animis creditur.* Quid diceret, ſi hoc æuo nec annulis fides approbetur ? Ideo Deus aſſiſtentiam Angeli adeſſe voluit, vt ſaltem authoritate eius, impudentia in verecundiam, leuitas in conſtantiam, turbatio conſcientiæ, in ſpiritualem reducatur quietem. Efficit Angelus hoc & inſtinctu interno, & externo adiutorio.

nef. lib 3. c. 15.

II. Deprauatio & propenſio naturæ noſtræ, ad malũ coëgit Dei miſericordiam, (licet tot alia incentiua reliquerit, quibus homo ad bonum allicitur) Vt Angeli induſtriâ induceretur ad opera Deo placita exercẽda: nouit ille Animam eſſe Sponſam Chriſti, hinc ipſi diligentia ſumma: *Eſt enim vnus de ſodalibus (Angelus) ſponſi, in hoc ipſum deputatus miniſter.* Et paulò poſt: *Ipſe eſt qui omni loco ſedulus quidam pediſſequus animæ, non ceſſat ſollicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, &c.* Ad Dominum quoque loquitur : *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aqua-*

S. Bernar: ſup: Cãt. ſer: 31

Pſal: 36.

Pſ: 41

aquarum: ita desiderat Anima mea ad te, Deus. Fidelis paranimphus, qui mutui amoris (Animæ sociatæ cum Deo sponsæ) *conscius, sed non inuitus, non suam quærit sed Domini gratiam: discurrit meliùs inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona; excitat istam, placat illum. Interdum quoq; (licet raro) repræsentat eos pariter sibi, siue hanc rapiens, siue illum adducens. Si quidem domesticus est, & notus in palatio, nec veretur repulsam, & quotidie videt faciem Patris.* Incredibile conceptu, quot modis & medijs, attrahat Angelus ad relinquenda mundana hominem, in omnibus vijs sæculi proponendo gradum ad cœlum; ad contēptum rerum mutationi subiectarum; ad cōcitandum affectum & amorem cælestium fælicitatum.

III. Propter accidentale gaudiū, ex hominis pœnitentia, Angelorum: quorum suasu, si homo à peccandi habitu abstineat, deleatque lachrymarum rore commissa, summum tripudium & triumphum cœlo parat. Ipse Christus asserit: *Gaudium erit co-* Luc: 15.

ram An-

ram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Consuetudo mundi, si quis amicum diligit, eum tractet, & inuitet sæpius conuiuio, quo gratitudinem suam testatur. Conuiuiū, Anima, Achati tuo fido Angelo præparas, si pœnitentiâ cibum, & fletu potum proponis: spiritus sunt, spiritualibus ferculis satiantur. Ieiunium tuum, condimentum est famis Angeli; deuota suspiria, deliciosa electuaria illorum; guttæ defluentes ex oculis, fontes sunt reficientes quodammodo sitim Angelorum, quorum finis non alius, nisi vt Deus ametur, laudeturque: talibus hostijs cum Dei gratiâ sedatur ipsorum esuries, lautâque hac refectione comprimitur.

IV. Potentia Dei ostenditur: cuius Imperio nobilissima creatura exquisitè commissum munus sibi custodiæ exequitur: non reueretur fœditatem nostram; non dedignatur impatientiam; non recedit, licet toties à nobis repellatur; non deterretur magnitudine delictorum; non abhorret

à munditie vitiata ; non fatigatur diurnâ nocturnàque circa nos vigiliâ ; non relinquit corporem nostrum senescere ; non excusat se à danda audientia ; non accusat nostram desidiam in cœlo ; non permittit hosti nostro insultare ; non reddit malum pro malo, imò mala opera in bona commutare studet. *Hominum perditissimorum (est) reddere mala pro bonis : hominum politicorum, reddere bona pro bonis : hominum Christianorum, reddere bona pro malis.* Hoc nos docet Angelus Custos, qui semper adest, vt causidicus corã Deo : vt Ianitor, Orationis accessum ad Creatorem parans : vt Dux belli, ad reprimendos conatus Dæmonis : vt Magister, ad instruendum in doctrinâ Christianâ : vt conductor, ne aberremus à via salutis : vt excitator è somno vitiorum : vt persuasor, ad alacritatem spiritualem capessendã. Suffundaris rubore, Anima, quæ Deo seruire recusas, moras nectis, senectuti reseruas, in modico fatigaris. Cùm Angeli præstantissimi spiritus,

Bel: Cõc: 9. super Qui habitat. par: 2

infimis hominibus, inimicis Dei, iuſſu eius inſeruiant, ſummâ alacritate, & ardore, talique perſeuerantiâ, vt ad vltimum halitum ſeparationis Animæ à corpore, non recedant. Quanta humilitas Angelorum, cùm ad ſeruitiũ tam vilis creaturæ ſe demittant! Quanta ſuperbia in homine, qui humilitatem Angeli, non eâ quâ par eſt colit reuerentiâ! Time potentiam Dei, Anima, qui tam diu conſeruat te, per Angeli humilis cuſtodiam, ne, ingratitudine tuâ, ſuperbiæ Angelorum damnatorum aſſociêris, quorum arrogantiam imitata es in terris.

V. Vt amorem ſuum Deus erga hominem declararet, vallauit eum ſtipatore tam excellenti, Angelo Cuſtode: non habuit in theſauro illo bonitatis quid pretioſius creatũ Angelis; illos delegit, ex infinito amore, vt hominibus ſeruitio adeſſent. Mos in Aulis Principum, quando & magnificentiam, & beneuolentiam oſtẽtare hoſpiti gratiſſimo meditantur; corporis ſui cuſtodes ei apponũt,

Commissariū ex pręcipuis Aulæ addunt, qui indesinenter eius voluntati satisfaciat. Dignanè es tu, Anima, quæ dum in Aulam Diuinam, orbem hunc terrarum intras, vt talem gratiam merearis à Deo? Non es grata hospes; inimica potiùs, originali peccato coinquinata; & tamen hospiti ingratissimo, rebelli suo, Conditor Cōmissarium Angelum assistentem præparauit: Custodes corporis turmas Angelorum paratas (si necessitas postularet, vti Elisæo contra Regē Syriæ) esse iubet. Ille ergo Commissarius, voluntatem Domini sui explicat, necessaria ad victum (in eius mādatis) comparat; Mercedis loco non aliud requirendo, nisi vt amor & reuerentia ei reddatur, & Deo (qui ex amore infinito, tali Ministro prouidere homuncioni afflicto, dignatus est) agantur gratiæ. 4. Regū. 6.

VI. Nouit Deus fortitudinē Diaboli, capitalis Animæ hostis: ergo potentissimum defensorem elegit, Angelum Custodem, qui certaret pro

Anima debili, eumque debellaret. Potentissimi sunt Angeli ex naturâ suâ, quid ergo timemus? *Defendunt nos ab hominibus, à Dæmonibus, à feris, à rebus inanimis. & quod maius & mirabilius est, ab irâ omnipotentis Dei.* Legitur multoties, vnum Angelum multa millia hominum strauisse; feras, eorum prohibitione, Sanctis non nocuisse; à casibus & morte plurimos conseruâsse; Dæmones è cœlo deiecisse; & licet eiusdem naturæ essent, superâsse tamen. Angeli enim mali ascendentes montem superbiæ, inde eiecti, Diaboli facti sunt: Angeli boni, humilitatis doctrinâ edocti, visione Dei digni habiti sunt. Vnde tanta fortitudo, vt neque terra, neque Infernus nocere, vel resistere eis possit. In tribulatione, in debilitate, ad resistẽdum peccato, inuoca puro corde, armatum Angelum, vicinum collegam tuum, Anima, vinces, & conseruaberis in puritate, & Innocentiâ à Deo, qui te per Angelum adiuuare paratus semper est.

Bell. Cõc. 9. super Qui habitat. p. 2.

VII.

VII. Si cum hoſte quis dimicare conſtituit, diligenter curat, vt ſimilibus armis ſe tueatur. Animaduertit Creator, quàm nequiſſima ſint tela inimici noſtri Diaboli; nos autem eſſe abſque armis: Iniunxit, vt Angelus pro nobis duello exponeretur. Iã nota vtrinque arma; eiuſdem naturæ, eiuſdem qualitatis, eiuſdem ſolertiæ vterque eſt. Conſeruator noſter, Angelum Cuſtodem cum armis paratis aſtare ſemper voluit, qui ab inſidijs præmonere; à telis protegere; à terroribus depellere; à prauis perſuaſionibus deducere; à blanditie falſâ cauere; à percuſſione opponere manibus ſuis conſtituit. Gratiæ agendæ, & tam inſigni bellatori, & Deo, qui armis non diſſimilibus tueri ab hoſtium incurſu, ex ſpeciali conſeruationis beneficio, Animam ſtatuit.

VIII. Spiritus, id eſt Anima, ad ſpiritualem vitam creata, conſeruatur Dei bonitate, ſpirituali cuſtodiâ: Ita vt ad quorum ſocietatem aſpiramus, eorum tutelam hic experiamur.

In Medit. c. 6. Vnde & S. Bernardus ad rem: *Non dedignantur* (Angeli) *esse socij nostri, qui iam facti sunt ministri nostri.* Naturâ nostrâ ad malum inclinatâ, in ruinam spirituum succedebamus: ne ergo in ruinam infernalem aberraremus, spirituali assistente indigebamus. Deus summus Spiritus est, & spirituũ fundator. Angeli sunt spiritus: Diaboli sunt spiritus: gaudium æternum, spirituale: corpus ipsum post renouationem, spirituale: tentationes, peccata, spiritum impugnant, à spiritu cõmittũtur: (Corpus enim exanime innexium à delicto) Spiritus fuit necessarius, qui spiritum ad cœlum dirigeret: spiritualibus futuris consolationibus, spiritum creatum alendo; vitiorum habitus extinguendo; omnesque spirituales repellendo à spiritu, aduersarios.

IX Difficultas itineris ad superos, cælestem & versatum requirebat Ductorem: quomodo enim via decurri potest ab ignaro itineris? Angeli vident faciem semper Dei, omni mo-

mento viam conficiunt à terrâ ad cælum: meritò ex Diuina sapientia attributi sunt hominibus, vt illis viam securam, sine errore, ad cœlum mõstrarent. Figura fuit in S. Petro, dum vinculis cõstrictus in carcere dormiret, excitauit illum Angelus, induit vestimentis, catenis absoluit, per custodias vigilum eduxit, portas aperuit. Et tunc primùm ad se rediens Petrus, dixit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Peccatores nos, vinculis scelerum colligati dormimus: Angelus excitat nos pijs desiderijs, induit votis, deuotione, sanctis operibus: per pœnitentiam vincula rumpit; vigilias Dæmonum, & tentationes eludit; firmo proposito non peccandi, portas aperit (præcipuè ferream illã, habitualem & cogentem, ad actus delinquendi assuetam) per confessionis absolutionem. Et tum primùm, Anima redit ad statum gratiæ, veræque libertatis, & exclamat Verè nũc

Act. 12.

ſcio, quod me eripuerit Deus, per Angelum Cuſtodem, à tot ligamentis & retibus delictorum, de manu Dæmonis, & de omni expectatione Inferni. Videbitur poſt mortem, quantæ remoræ ſalutis fuêre Animæ, niſi Deus & ipſe, & per Angelum laqueos contriuiſſet.

X. Abyſſus compaſſionis Diuinæ erga humanam naturam, eò demiſſionis Conditorem impulit, vt homo fieri voluerit: ideoque exinaniuit ſemetipsũ, vix credula, niſi res ſecuta foret, humilitate. Eſt quorundam Theologorum ſententia: Id Deum Angelis patefeciſſe, hinc dedignationem, & condemnationem Luciferi & aſſeclarum, originem affirmant ſumpſiſſe. Vt ergo Angelos aſſuefaceret depreſſioni & humilitati, hominibus omnibus cuſtodiam illorum Deus appoſuit: vt cùm his ſeruitijs oneratos ſe ſentirent, tantò libentiùs miniſterium explere adniterentur, cùm Creatorẽ vili carneo habitu coopertum intuerẽtur, ipſiuſque humi-

Phil: 2.

litatis

litatis documenta ſtupore venerātē-
tur. Infinita fuêre hæc: contempla-
re præcipuè duo, ô Anima; lotionem
pedum diſcipulorum, Iudæque pro-
ditoris; & ſuſpenſionem in Cruce, in
medio latronum, Chriſti. Neſcio
quid magis mirati Angeli, vtrumque
exceſſiuâ humilitate confectum; de-
mittere ſe in terram Deo, coram tra
ditore, caput Angelicum infra genua
fœdiſſima inclinando; manibus pu-
riſſimis ſpurcitias, & pedum & affe-
ctuum, abluendo. Quâ fronte An-
geli ſpectaculum hoc intuiti ſunt?
Vltra cōceptum meum, fateor excre-
ſcere arcanum humilitatis. In Cruce
duobus latronibus cinctus: Cur vnū
conuerterit, alterum reliquerit im-
pœnitentem? excedit captum huma-
num; rectè dicam, & Angelorum: ſi
conuertēdo meditationem ad lotio-
nem pedum Apoſtolorum; vnum
tantū amiſiſſe, qui perditus iam erat,
Chriſtum alios ſeruâſſe cōſiderabis.
Pedes lauare oportuit, qui capto Do-
mino aufugerant: lotio effecit, vt pe-

des ijdem orbem circũeundo, ac sordes Ethnicas abluendo, semina prædicationis Euãgelicæ mundo circumferrent. His visis Angeli actibus humilitatis, etiam infestissimis hostibus Dei mortalibus, mortalia agitantes, exemplo Domini sui inseruiunt, ac eos tuentur. Iam vt etiam in carne Christus Angelorum custodiam magni se facere ostenderet, in horto per Angelum consolari voluit, poculo amaritudinis; illudque pro nobis ebibit: vt Angeli in agone, poculo retributionis (amariudine xetincta vi passionis Domini) nos consolarẽtur. Sicut damnatis, prôh dolor, Dæmones Cantharum inexhaustæ maledictionis, in puncto mortis propinare incipiunt. De hoc poculo Rex: *Inclinauit ex hoc in hoc; verùmtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Psal: 74. Æternitate redeunte semper, nunquam extinguenda siti. Procide ergo, Anima, & pro conseruatione Dei per Angelum, demissione summa gratam te præbe: ipsiusque An-

geli ita custodiæ obtempera, vt soci-
etate eius frui in æternum possis. Nô
recedendo ab eadem custodia exami-
nanda Angeli, per illa verba: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* explica- Psal 90.
bitur tibi *Aspis* per sanitatem, *Basiliscus* per infirmitatem.

De conseruatione Dei in sanitate, & infirmitate, per Angelum.

CAPVT IV.

PVlchra consideratio Animæ oriri potest, conseruationis Dei per Angelum, verba illa discutiendo: *In manibus portabunt te; ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: super aspidem & basiliscum ambulabis.* Ibid. Videtur sibi contradicere Propheta. Hic vereri admonet, *lapidem*: Alibi, *Beatum* (dicit) *qui allidet paruulos tuos ad petram.* Psal. 136. Allidere iubet petræ, & lapidem auxilio Angeli euitare persuadet. Forte idem est Petra & lapis, sensu Dauidis, non,

distincta certe esse innuit: quid ergo per lapidem significat? *Quis lapis? qui in lapidibus olim consueuerat adorari, qui lapides Domino obtulit, dicens: Dic, vt lapides isti panes fiant.* Porrò *pes tuus, affectio tua, pes animæ, quam in manibus Angeli portant, ne offendat ad lapidem pedem suum.*

S. Bernar: Psal: 90. Ser: 12.

Petra verò est Christus, testimonio S. Petri: affectiones ergo nascentes vanas proijcere in illam petram, beatitudo est. Percussit Moyses virgâ petram, fons erupit: fructu passionis Christi, tuam petram induratam, cor, in seruitutem redige; fons lachrymarum & suspiriorum, meritorius ebulliet. Sed cur *Fortè*, adiunxit? Non cogeris impingere in lapidem, Anima: lapis in vno loco manet; non te lædet nisi ad illum apertè, vel auersis oculis, accesseris, tum primum impinges. Meritis passionis suæ Christus alligauit, veluti lapidem, Diabolum: latrare potest, mordere nõ potest nisi accedentem, vt canis. Non accessit vnquam Mater Dei: ideò illæsa à morsu. Non accessit S. Ioannes, &

1. Petri 2.

nes, & Hieremias, in vtero adhuc ſanctificati. Multi Sancti, nunquam ſagittâ delicti lethalis offenſi. Intueri, oculis hûc illûc diſcurrentibus, lapidem oportet: non te offendet. Anima, Inferni pœnas nouiſſimas viſui opponas; euades ictum lapidis Infernalis, licet ſine *Fortè*, ſed certò, millies à lapide læſus fueris; eò magis remoue te, experta venenatum dentem, Angelus Cuſtos prohibet ſcuto vigilantiæ, à lapidis huius impetu, noxam. *Ergo ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis.* In comparationem inducam tibi *Aſpidem ſanitati, Baſiliſcum morbo, vel infirmitati.* At quomodo protectione Dei, & Angeli, ſecurè ambules, aduerte. Ambulare eſt proprium omnium viuentium, maximè hominum: duobus pedibus propellũtur greſſus, alternante motu. Homo, inter ſanitatem & morbum ambulat in terra; & vitam, quæ eſt ambulatoria, inter eadem peragit: dexter pes ſanitati comparetur, ſiniſter infirmitati. Sanitas ergo ipſa partem vitæ

in hac scæna dierum humanarum absoluit. Supra nos aliquando incedit, si eam ipsi cœlo, & cœli factori anteponamus, nil iucundius sanitate. Inde versutus Cacodæmon, omnibus immissionibus malis, & flagellis obstinatum Iobum aduertens, vlcere pessimo, tanquam vltimo & pestifero

Iob c. 3. telo, percutere à Deo petijt: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Quid non tentatur & expenditur, vt sanitas conseruetur? Quis amor maior, quàm si sanitatem gladio obijciat vnus pro alio. Ipse

Ioã: c. 3. Dominus in Euangelio: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Quam ob causam? vt sanitatẽ profunderet fuso sanguine, liberando humanũ genus à potestate Inferni. Diuerso modo Dominus ambulauit super sanitatem, quàm delicatus homo: dedit se ipsum ad mortem, vt terram lucri faceret; illa verba charitatis plena, instante passione proferẽdo:

Luc: c. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.* Imitatus est

Chri-

Christum Ignatius Martyr, super sanitatem ambulando; cùm dentibus bestiarũ lacerari voluerit, vt frumentum Saluatoris efficeretur. Angelus Custos, persuadet talem supernam ambulationem Christianæ Animæ, contemnendo delicatam sanitatem, propter æternam salutem. Vt ergo propositioni adhæreamus, quibus de causis sanitas Aspidi assimiletur, interrogandum. Describitur hoc animal à Naturalistis variè. Quinque ex Plinio, & Bustamantino, proprietates accipito, Anima.

Prima. Colorem habere subuiridẽ Aspidem, vel cinericium, vel etiam fuluum. Sanitas istorum colorum specie picta apparet, virẽt omnia sanitati: applaudunt apud sapientem sani, vel potiùs insani, secundũ textum, insipientes: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sap: c. 2. Partẽ suam, virorem sanitatis & insolẽtiæ, appellant. Cinericius color sanitatis, licet aliter à caduco vocitetur Iu-

dicio, compositio & finis hominis: cinis, ergo & eius sanitas; imò in ipso flore optimæ valetitudinis, momēto, cinereo respergitur atramento. Non multa sæcula, vnum gloriantem, se adeò constanti sanitate firmari, vt trigesimo ætatis anno vix tali frueretur alter: mors inopinata excepit dictũ, vel potiùs præsumptionem sanitatis extinxit ictu. Flauus color fulget oculis, sanitas grata aspectui affulget, vt fulgor vibranti lumine oculorum perstringit aciem, & euanescit. Propheta Dauid incusat oculos, quod fulgorem de sanitate vanâ triumphā-
Psal: tem, citò amiserint: *Vidi impium super-*
36. *exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat; & quæsiui eũ, & non est inuentus locus eius.* De esse ad non esse, velociter fuluus transit cũ sanitate color. Angelus Custos, Aspidis huius proprietatē instillat animæ, vt contēptu sanitatis, super eam ambulet: sub pedibus animæ est, cùm pro Deo, pro Religione, pro Patria, hunc Aspidē millies fæliciter offert.

Secunda proprietas, venenum insanabile habere Aspides certissimũ, quod in oculos exspuunt, hosq; solum inficere tentant, obcœcareque, antipathiâ & contrarietate naturæ splendoribus oculorum aduersantes: nullique alteri desiderant officere parti, præterquàm altiori & perfectiori sẽsui. Sanitas quid est, nisi Aspis inficiẽs oculos? Comuntur virgines, sanitate demulcente iubar, oculorum tentandorum gratiâ, splendorem oculorum cœlestia intuentium, sæpissimè lædunt. Quæ maior antipathia sanitatis, quàm si voluptas contemptu illecebrarum mortificetur? Cùm hæ nutriantur vt fomento sanitate: nonnè sanitatis? Aspis, veneni aculeo ita oculos circa cælestia animę obcœcat, vt nulla æternitate sanari in Orco possit; visu Diuino priuat; consortio Sanctorũ amouet; cruciatibus perpetuis affigit. Causa non alia: nõ enim ambulauit super hunc Aspidẽ viuens Anima, immorigera ductori Angelo facta, qui sanitatem caducam, tran-

ſitoriamque, eſſe edocuerat vano labore. Venenoſum genus Aſpidũ, qui Cherſeæ ſeu terreſtres, Hypnales, (quod ſomnum ſignificat,) vocantur: profundiſſimum immittit ſoporẽ ijs quos inuaſit, dormiendique neceſſitatem. Sic monita Angeli, & imperia, ſomni cuiuſdam ſimilitudine, ſani eludunt. Mea Anima, euita hoc venenum, cautellâ tui Protectoris Angeli, oculorumque motu diſpenſa prudenter, ac ſanitati illude.

Tertia proprietas Aſpidis; caput, ſcuti formam obtinere, atque Inſulam vbi frequens earum numerus, ſcutum in Mari Lyceo nominari vult idem Author; cuius meminit Syllius: *In clypei ſpeciem curuatis turribus Aſpis.* Sanitas, imaginatur ſe habere ſcutatum caput, fortitudinem deprædicat propriam; longitudinem vitæ menſurâ extendit; duratura ſibi omnia blandi fauore pollicetur: Ideò & Deum negligit, & ſucceſſuræ vitæ euentum contemnit. Tale ſcutatum caput habuit Lucifer, quo inſtructus, cum

ſupremo Capite comparari, ſpirituali appetitu, præſumebat. Talia capita habuêre primi Parentes, qui Diuina naturâ veſtiri ambiebãt. Talia capita omnes peccatores habent; qui freti ſcuto ſanitatis, omnia tentare audent: Interim corruunt, & (miſerù) æternè pereunt: non enim ambulant ſuper Aſpidem; ſed ipſe Aſpis, ſeu ſanitatis oblectatio, ſcutato capite incedit ſupra peccata; & inficit, ne vero capiti, quod eſt ſcutum inexpugnabile, ſua ſubijciant capita. Tu, Anima, licet neſcio quàm robuſtâ conſtes valetudine, ſcias te eſſe fragilem: inculcat tibi ſæpiùs Angelus Cuſtos ſtatuam illam Daniëlis auream; monens, ne lapis Daniëlis, Iuſtitia videlicet Diuina, aureã tuam ſtatuam, quam tibi adulatrix ſanitas oſtentat, conterat, & in fauillum redigat: non diu durat ſanitas, quæ raro totâ vitâ conſtans adhæret; cùm & ipſa vita breui compendio tranſeat. Dauid in Pſalmo ait: *Dies annorum noſtrorum Septuaginta anni: ſi autem in po-*

Dan: 2.

Pſal: 89.

tentati-

tentatibus Octuaginta anni; & amplius eorum labor, & dolor. Hoc *Amplius*, fortè æternitatem designat. Ora Custodem tuum, Anima, vt cum Rege Propheta, circumdet te scuto veritatis, ne timere possis timorem nocturnum, absque luce in æternum.

Quarta proprietas; Æliani testimonio: *Singulare est in hoc serpente Aspide, quod non noceat Afris, quamuis ore venenum immittat.* Vnde volentes Afri, pueros de se natos probare, eos obijciunt Aspidi: qui si de ipsorum fuerint semine, Aspis nihil eis nocet; sin adulterini, mox ipsos interimit. Sanitas est lima electorum, & reprobatorum: si sanitas ad laudem Dei cōseruetur, pijsque operibus inuigilet; non mordet hic Aspis. Anima sana, nata est legitimo partu prædestinationis. Si verò sanitas applicetur peccatis, eâq; ad offensionem Creatoris vtatur Anima; adulterina emissio abortu damnationis perpetuæ notatur interimit hic Aspis in æternum, Animam. Hunc Aspidem considerat Salomon,

Lib: 90. c. 26.

cùm dicit: *Bonorum laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ: filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Iam ergo Angelus à summo Conseruatore additus, persuadet sanitatis exercitium, Animæ, vt super hunc Aspidem ambulet, exercendo illam circa œconomiam futuri præmij, & retributionis: ideò, dubio sũmoto, Deus sanitatem concedit, vt eâ cœlũ lucremur, & saluti quæ sequitur, æternùm prospiciamus. Prouerbium vetus: *Non cognoscitur bonum, nisi amissum.* Sanitas vilipenditur, dũ præsens adest: eâ sublatâ, cognoscitur dulcedo. In sanitate, cælestia parui æstimantur: at amissa, nec flãmeâ æternitate recuperabuntur. Hinc voces impiorum: *Nos insensati, vitam illorũ* (id est sapientum) *æstimabamus insaniam, & finem sine honore.* Cùm in hoc mundo, obtemperantes Angelo Custodi, sanitatem otiari prohibuerant; mortificationibus occupari assueuerant; vanitatibus delectari contem- Sap: 5.

plerant;

pſerant; imò viliſſimis humilitatis gradibus, honores ſubterfugerāt, ijſque ſe ſubtraxerant. Ne tibi ergo Aſpis ſanitatis noceat, Anima, inuoca Angelum, cuius doctrina & auxilio, verum hæredem cœli te conſtitutam videbis.

Quinta proprietas Aſpidis, quòd ſurda dicatur: Solet enim, cùm ſe ſurdā vult efficere, aurem vnam terræ, quātò preſſiùs poteſt admoueree; alterā extremâ caudâ obturare. Hinc Pſalmo Dauidis: *Furor illis secundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Non eſt, re ipſa, ſurda Aſpis; ſed vt habet Magiſter Sententiarū, quando præuidet Incantatorem ſuis carminibus, ipſam è cauerna euocare volentem, & ſibi ſoporem immittere, vt arripiat Carbunculum, quem gerit in fronte: ille nolens exire, aures, (vti dictum eſt,) prohibet acceſſu vocis. Sanitate, vtitur Anima tali aliquando obſtinatione Aſpidis; ob-

Pſal: 52.

Lib: 11. de Proprie.

turat aures & terra & cauda, ne sapientissimam incantationem, Angeli Custodis, & Ecclesiæ, & conscientiæ exaudiat. Quod passim Prophetæ clamabant, atque Isaias inter cæteros de Hebræis: *Aggrauatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt.* Isa: 6.
Et Stephanus protomartyr, tanquam surdæ Aspidi, locutus Iudæis: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos* Sanitas, terra tegit aurem: quot enim sunt, qui nihil nisi terrena sapiunt? aggregant thesauros iniustè, pauperes opprimũt; Confessariorum vocẽ, vel nunquam confitendo audiunt, vel rariùs audiendo, promisso tantùm satisfaciunt. Terra tegitur auris, quæ rimatur metalla terræ, fœcunditatem horreorũ; ibi fælicitatem vltimam constituit æternitate imaginariâ cogitatione transitâ. Cauda obturatur, vel eius extremitate, Auris; cùm diuturnitatem vitæ, vltra præscriptum terminum, à terminatore æterno metitur, Act: 7.

ſanitatem putat eſſe initium, & ignorat ad aurem eſſe momentum ætatis extremum. Caudâ obturatur auris, ne tonitrua admonitionum, ne fulmina flagellorum ob delicta audiantur; ne finis abſque fine conſiderandus, intret in cor, & permoueat. Ne Moyſes audiatur, præmonens de quatuor

Deu: 32. nouiſſimis cogitandis: *Gens abſq; conſilio eſt, & ſine prudentia; vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent.* Caudâ obturatur auris à ſanitate Atheis, qui æternitatem auditu excludunt, finemque hîc cum beſtijs rationi creatæ conſtituunt. Tu, Anima, contrario geſtu, Angeli explicatione, in Aſpide ſanitatis exiſtens, obtura aures terrâ, nihil ſapiens terrenarum rerum cum S. Paulo:

Phil: 3. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Omnia tanquam ſtercora contemne, propiùſq; aurem terræ admoue; breui te in cinerem, & eſcam vermium conuertendum. Caudâ occlude aures, æternitatem vtramque, & incertum finem, mortiſque genus conſidera veluti

Aſpis: *Ne verbum mortis audiat vt moriatur, ſeruat aures.* Et tu, Anima, ne verba mala per aures tuas intrēt, & moriaris; obſtrue eas ſilentio. Caudâ occlude aures, ſi de miſericordia Dei nimirum Diabolus tibi ingerat, iuſtitiam verò eiuſdem extenuet. Caudâ occlude aures, ſi cæleſtia gaudia minoris æſtimationis à ſuggeſtore, peſſimo æquilibrio ponderentur, at pænæ minoris doloris ſenſu proponantur. Conſilium abſq; fuco Angeli ſequere, qui veritatem omnium caducorū, & æternorum, auri & cordi tuo deſcribit; illi ſoli aperi aures, qui non permittet te ſomno grauari, vt Carbunculus perſeuerantiæ, momento vltimo, ab incantatione Infernali tibi eripiatur: ſed efficiet, vt ſuperambulare poſſis ſupra furibundum Aſpidē, è ſanitate vitali, in ſanitatem ſine vllâ morte, te transferendo. Attende iam, Anima, quâ ratione Angelus te informet, vt ſuper *Baſiliſcum*, liberè ambulare queas. Diuerſæ ſunt ambulationes iuſtorum, & impiorum; iu-

Psal: storum tangit Propheta : *Gressus meos*
118. *dirige, secundum eloquium tuum, vt non do-*
minetur in me omnis iniustitia. Directio
talis, fallere nō potest; absque offen-
diculo vestigia iterantur; tales ante
semper ambulant, oculisque intētis
in Deum, obstacula ambulationis ad-
uertunt. Impiorum idem describit
Psal: ambulationem : *In circuitu impij ambu-*
11. *lant.* Semper ad idem redeunt princi-
pium; bibunt, comedunt, saltant, lu-
dunt, voluptuantur, dormiunt, quo-
libet die simili gyro consumunt tem-
pora : at qui diu in circuitu ambulat,
capite turbatur & cadit; sic illi tur-
bato morte capite, æternùm cadunt
in circulum tormentorum, vbi per-
petua in flammis deambulatio. Est
etiam, cācrorū more, retrorsum de-
Ioā: ambulatio impiorum: In horto Re-
c. 18. demptorem capiendo Iudæi, abierūt
retrorsum, & ceciderunt in terram.
Appropinquare Christo confessione
volunt iniusti: verum indigni habiti
accessu, ad vitia redeunt, & cadunt
in terram delectatione, vel centrum

terræ Infernum cōdemnatione. Curſus quoq; eſt velocior deambulatio, iuſti cum S. Paulo currunt ad brauiū: *Sic currite, vt comprehendatis.* Iniuſtorū: 1.Co: 9. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Pſal: 13. Iuſtorum varietas curſûs, in Petro & Ioanne notatur, ad monumentum Domini properantibus. Ad mortem curritur ſanitate, & infirmitate: ſanitate aliquando abuſâ, homo occumbit citiùs, non ingreditur ſepulchrum: nihilominùs, vel propera, vel diuturna, expectatur infirmitas. Iuuentus ſæpiùs præcurrit ad monumēta ſenectute, communiter ordine naturæ præit adulta ætas. Si iuſtè curritur, Angelus ad monumentum inuenitur, qui tum præcipuè adeſt, vt relicto corpore in ſepulchro, Animam euolare faciat ad cœlum. Audiendus ergo Angelus etiam in infirmitate, quæ rectè Baſiliſco æquiparatur, ſeptem proprietatibus.

Prima. In ſolitudine, ſecundum Plinium, habitat Baſiliſcus. Infirmitas eſt ſolitudo animi & corporis: à

multis relinquitur ægrotus, etiam à Christianis, quandoque in lecti solitudine hûc illûc volutatur. Vt Rex Dauid, vix Dei implorauit assistentiã
Psal: 40. infirmo : *Dominus opem ferat illi, super lectum doloris eius : vniuersum stratum eius versásti in infirmitate eius.* Angelus Custos nunquam abit. Si ergo ægritudo te præmat, Anima, in solitudine illa, faciliùs præsentiam Angeli notabis; ei te commenda, qui patientiâ emendicatâ à Conseruatore summo, efficiet vt super hunc Basiliscum ambulare tibi concedatur, sine læsione cõscientiæ, imò maximo tuo merito, impetrando in infirmitate salutem æternam.

Secunda proprietas, Diadema gerit in capite; inde Basiliscus quasi Regulus nominatur. In morbo, si patienter toleretur, latet gemma pretiosa; virtus scilicet in capite maxima appa-
2.Co: 11. ret. *Virtus in infirmitate perficitur* : Dictum magno Sancto à Deo. Ordinariè ægri aduocant Doctores: tu, Anima, si infirmâris, inuoca Doctorem

genti-

gentium. Recipe ceratum eius: *Libenter in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Christi.* S. Ignatius Fũdator Societatis IESV, tali pharmaco vſus: in lecto ægritudinis conualuit ſanitate perenni, militiam ſæculi in Baltheum Saluatoris commutãdo. S. Franciſcus, Stigmatum dolores pro pretioſo theſauro portauit. S. Ludegardis, deſideratâ infirmitate detenta, gemmam cæleſtem acquiſiuit. Quædam ſancta, deformitatem corporis impetrauit, quâ hominibus diſplicendo, ſolis Dei oculis complaceret. Probatio eſt infirmitas; ſi patienter ſuſtinet Anima, minuit dolorem, auget præmium: ſi impatientia excruciatur, auget duplicem pœnam, & tranſitoriam, & non finiendam. Vti ergo infirmitas maximè ſolatio indiget, ſic & conſolator propiùs accedit: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Et Angelus Cuſtos in ſomnis demulcet tolerantiâ, torquentem affectionem. Tu, Anima, ſi contingat ægritudine langueſcere, diligenter attende ad

Pſal: 90.

Angelum consolantem, cuius virtute super Basiliscum, dolores tuos, ambulabis; ex quorum patientiâ, coronam capiti tuo victoriosam efformabit, vt sis Rex in cœlo coronandus.

Tertia proprietas: Basiliscus enecat serpentes. In paradiso, sanos & iucundos momordit serpens, aculeo inobedientiæ, Parentes nostros. Infirmitas corporis, veluti Basiliscus, omnes serpentes, vitia scilicet, interimit. Obedientia summa est in ægris, erga Medicos & amicos; voluptas exulat, crapula ieiunat, auaritiæ amnystia, superbia deficit, inuidia extinguitur, acedia ignoratur; ira tantùm ex dolore quandoq; nascitur, aliena contemnitur. Quàm multis despicata ante deuotio, palato infirmi non displicet? Multi Confessarijs ante aduenientibus valedicentes, iam spõte vocari rogãt: plurimi rapinas reddunt: pauperes eleemosynis iuuant: mutatoq; impuro statu, innocentiam induunt: ægri corpore, sanantur mẽte. Fugat Angelus Dæmonem telo

infir-

infirmitatis: *Homo enim cum Diabolo fæliciùs pugnat, qui celeriùs Diabolum fugit.* Morbus est celeritas fugiendi: impetra ab Angelo, si è re tua & salute melius expediat, Anima, vt perfectionem per infirmitatem possis acquirere à Deo: quâ immissâ, fugere & euadere queas inimicum tuum, & super serpentes, id est vitia, ambulare securè: nam super eos ambulat infirmitas, qui deiecti animo, desperationeque adacti, blasphemias euomunt, quibus tanquam serpentibus, in æternitate infaustâ, nutriantur. Bell: Cōc: 10. in Psal: 90.

Quarta proprietas, qui primus intuetur Basiliscum, eumque anteuertit aspectu, nihil ei nocet: si præuenitur intuitu Basilisci, necatur. Cogitatio de morbo, & morte sæpiùs, tanquam præuisum iaculum, minùs ferit; dispositio Animæ ad patientiam, actu, faciliùs ictum excipit, Dauidis optimâ præparatione; *Proba me Deus, & scito cor meum.* Et in alio versu, igne probationem sustinere protestatur. Alter Sanctus optat, alloquēdo Deum: Psal: 25.

Hîc vre, hîc seca: vt in æternum parcas. Perfecti, veluti mãcipio, carne abusi vel, *Sicut milites quandoq; rusticos, vel hostes suos, quos ceperunt in bello, cogunt sarcinas suas & onera portare: sic etiam spiritus* (in Sanctis) *cogit carnem ieiunare, vigilare, laborare, orare, eleemosynas dare, aliaq; facere, quibus ad finem suum consequendum adiuuatur.* Finis vita æterna, morte acquiritur; mors infirmitate aduocatur: medium ergo est morbus, quo vita in mundo abrumpitur, in cœlo alia inchoatur. Hinc tanta in ægris Sanctis alacritas, patientia incredibilis, moriendi desiderium. Veluti S. Francisci morientis verba: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi: ergo educ de custodia Animam meam, ad confitẽdum Nomini tuo.* Psal: 141. Non nocet talibus Basiliscus infirmitas: super eum ambulant, conducente eos Angelo Custode, à quo confortantur, si qua inest eis debilitas. At qui nuñquam aspiciunt hunc Basiliscum, sed præueniuntur ab eo; necantur mente, licet rariùs corpore; emendationem, confessionem, differunt

runt in morbo: *Cras inquiunt, faciemus modo, ecce modo, sine paululum. Sed modo & modo, non habet modum, & sine paululū in longum abit: atq; interim dilatat Infernus os suum* (verus Basiliscus) *& descendunt ad eum sine vllo numero.* Euge, Anima, supplex procide ante Angelum, ne te inficiat Basiliscus infirmitas: sit potiùs scabellum super ambulacrum, quo velociùs palatium Regium æternum, altiùsque conscendas. Bell: Cō:3. sup. Psal: 90.

Quinta proprietas. Varias habet figuras Basiliscus: est Catoblepas, Drimus. Nec infirmitas vnius formæ, Senecâ teste: *Vnus & æqualis ingressus omnium, multi exitus.* Nec Medici varietatem nôrunt morborum: imò iam noui comparent, qui cerebra Doctorum inuertunt. Recentes sunt, Plica, Scorbutus, & alij: nec vetus Aulicorum morbus, nec antiqui facilè curantur: podagræ tortura insanabilis: calculi virulentia deleuit plurimos: febres malignæ, Doctores irrisêre: diuersis infirmitatibus, diuersa paratur medicina. Sic Angelus Custos, è phar- Senec: 10.

macopæo cælesti emit meritis medicinã, quæ varios depellat morbos, febresq; ægræ animæ mitiget: *Febris nostra, Auaritia est. Febris nostra, Libido est. Febris nostra, Luxuria est. Febris nostra, Ambitio est. Febris nostra, Iracundia est.* Sanat Angelus febres has spirituales inspiratione; contemptu mammonæ; castigatione corporis; ieiuniorũ frequentiâ; mortis, & in nihilum reuersionis, memoriâ; mãsuetudine Christianâ. Tu, Anima, adhæreas Angelo petitione, vt quocũq; morbo hinc discedes, vnum ingressum æternum cælestem tibi aperiat Ianitor Custos.

Ambro: l. 4. in c. 4. Luc. sub finem.

Sexta proprietas: Celsus & erectus Basiliscus, non sicuti alij serpentes. Infirmitas coronis non parcit. Erectus Vespasianus, stantem Imperatorẽ mori oportere dixerat; abijt impetitus ab hoc Basilisco: Hærodem Regem tabes aggressa, vilissimè consumpsit: Iulium Cæsarem, pugione Bruti, deiecit ex solio primogenito Imperatorio: Fortissimos quoq; allidẽdo lecto debilitat, nec ætatẽ, nec

præeminentiam veretur; nec Palatia Principum formidat; nec tuguriola pauperum aſpernatur. Tu, Anima, adhuc ſis celſior & erectior hoc Basilisco; ambula ſuper eum comite Angelo; quod efficies, ſublimis rectâ conſcientiâ, celſior bonis operibus, celſitudinem cœlorum attinges.

Septima proprietas: Halitu occidit Baſiliſcus. Infirmitas, fractos viribus vltimo ſuſpirio interficit mortales: ne tibi noceat, Anima, ille halitus, iam libello toto doceris, vt aſſueſcas ſuſpiriorum cæleſtium actibus, habitu acquiſito, Baſiliſci ſuſpiriũ erit tibi refrigerium. *Viſi ſunt oculis* (iuſti) *inſipientium mori: illi autem ſunt in pace*. Angelus Cuſtos ſemper inſuſurrat tibi, vt ſaltem deuoto ſuſpirio, diſponas te ad illud ſuſpirium vltimum Baſiliſci, ore per infirmitatẽ ſuſcipiẽdum. Væ maledicto ſuſpirio, quo infæliciter emiſſo, nunquam datur reſpiratio, ſed crudeles gemitus & vlulatus emittuntur. Tu, Anima, & Deum Conſeruatorem, & Angelum propu- Sap: 2.

gnatorem incessanter inuoca, vt ita suspirio vitæ conserueris, ne requiem beatam amittas. Si te ei commendaueris, si hæc sæpiùs meditatione & suspirio repetes; certò super Basiliscum ambulabis, spirantemq; vacuã vindictam, in agone, Dæmonem irridebis cum S. Martino: *Abi immunde spiritus, nihil in me funesti reperies.* Neque ad Aspidem, neq; ad Basiliscum pedem tuum offendes: si pedi sinistro Christi, mente & affectu adhærebis, sanguine eius, è sinistrâ Inferni eripieris. Hæc causa, cur sinister pes Redemptoris non immunis ab emisso sanguine, delens sinistram æternam sententiam pro illis, qui ambulant super Aspidem & Basiliscum; venenum insanabile Aspidis, sanans sanguine; Basilisci halitum vltimum, eodem rubore conuertens in triumphale suspirium æternitatis. Ambulauit Christus pedibus in processione ad montem Caluariæ, & affixus Cruci, vt redimeret pede dextro; vt conseruaret vitæ perenni, sinistro appẽ-

ſus. Fuge ergo, Anima, venenum Aſpidis incantatione ſapienti rerum ſpiritualium, operâ Cuſtodis Angeli. Fugatur Baſiliſcus Galli cantu hæc eſt vigilantia, commendatur à Conſeruatore: *Vigilate, quia neſcitis quâ horâ ventura ſit dies extrema.* Ergo vigilantiâ inuigilandum, vti Angelus tuus, Anima, ſemper vigilat. Sed iam poſt ambulationem, ad conculcationem, eiuſdem Angeli virtute, veniamus Capite ſecuturo. Mat: 24.

De conſeruatione Dei, in Diuitijs & Paupertate, per Angelum.

CAPVT V.

NOn ita fatigatur pes ambulatoriâ exſpatiatione, ſicuti conculcatione: vim infert & ſibi, & rei conculcatæ, pes. Sunt aliqua quæ neceſſariò conculcantur; vti terra, vel lignum quo tranſitus paratur. Alia emolumenti cauſa conculcãtur; vuæ

nisi pedibus vel torculari conterãtur, suauitatem vini non exprimene. Alia contemptûs causâ cõculcantur. Hinc conqueritur Dauid, & inuocat Dei auxiliũ: *Miserere mei Deus, quoniã cõculcauit me Homo.* &: *Cõculcauerunt me inimici mei totâ die.* Alia vindictæ causa conculcantur, si noceant; vt minimæ bestiolæ pedibus in nihilum rediguntur: propheta Regius, aliâs mitis, ob legatorum missorum ignominiam, curribus ferratis Hostes discerpere, & conculcare imperauit. Alia Triumphi causa conculcantur. Tamerlanes, capto Baiazete Imperatore Turcico, vt oculis eius Triumphus renouaretur, dorsum pede incuruans & conculcans, ascendebat equum. In priori capite minora animalia superabãtur (protectione Dei & Angeli) ambulatione: Maiora sunt, *Leo & Draco*, vastissima monstra calcatu egent, robustaq; conculcatione. Ambulatio leuior calcatu, anteriori parte pedum potissimùm absoluitur, cui minùs innitimur: calcatus

Psal: 55.

enitẽn-

enitentibus fortissimis talo structo partibus, ossibus, musculis, neruis validissimis, cui insidet vniuersi corporis moles, & machina incumbit. His calcantur Leonis capita & Draconis, grandia & ponderosa. Expedit ergo, ô Anima, vt tibi explicentur hæc duo potentissima animalia, quæ nisi nisu Angeli conculcaueris, ab ipsis conculcaberis. Vti per Aspidem sanitas, & per Basiliscum intelligebatur infirmitas: ita per *Leonem Diuitiæ*, per *Draconem paupertas* designatur. Conseruare te promptus Deus, & paratus, vt eas superes, vincas, triumphes, conculces. Comitantur hæ bestiæ, & dominari volunt Animæ. Sapiens Rex neutram ambit, negari à cœlo sibi desiderat: *Mendicitatem, & diuitias* (Domine) *ne dederis mibi*: tamē diuitijs Reges alios excelluit. Vtrūque est necessarium, & vtile ad consequendam vitam illam, vbi veræ diuitiæ, & paupertas nulla. Primo itaque Leonis qualitates cum Diuitijs an conueniant, examinemus. Ipsæ

Prouer: 30.

Diuitiæ

Diuitiæ per se bonæ sunt, diuitesque: abusus earum, non naturæ malitia, damnantur. Minimè nocuêre Leones Danieli in lacu; multis Sanctis blanditi sunt: diuitiæ quoq; plurimis profuêre ad obtinendum cœlum. Salomon ergo ita rogârat non dari sibi diuitias, ne malo vsu intercluderetur ostio propitio. Abusum intuere, Anima, diuitiarum, quæ Leonis formam assumere videntur. Quinque præcipuas proprietates, curiosi naturæ Leonis notauêre.

Prima. Leonem esse Regem animalium. Diuitiæ insitum habent, vt imperare velint, & quò maiori aceruo comportãtur, eò latiori spatio fundorum Dominium extendere cupiunt. Omnes diuitias venerantur: sordidum alioqui hominem, & ignarum, & deformem illustrant. Hinc Poëta: *Et genus, & formam, Regina pecunia donat.* Alter exclusus vili pallio, nobiliori indutus & diuite, agit gratias splendori: *Vir bene vestitus, videtur eruditus: quod caput nõ potuit, vestitus obtinuit.*

Putant

Putant diuitiæ, omnia sibi licere, sceleraq; impunè cõmittere, aliena occupare, leges immutare, ipsi Deo resistere se posse Leoninâ arrogantiâ præsumunt. Ignorant Diuites, cur eæ datæ sint à Deo: non agnoscunt esse scalam ad cœlum, quam calcans Anima possit altiori gradu in æternâ mãsione collocari. Pulchrâ similitudine vtitur Bellarminus, instruendo quomodo diuitiæ ingressum ad Regnum cœlorum minimè impediant: *Nimirum, si eas non super humeros, neque in capite ponamus, ne nos deprimant ad gehennam: sed sub pedibus, vt per eas tanquam per gradus ascendamus in cœlum. Si quis non posset ascendere locum aliquem, & proptèrea illi scabellum daretur; ipse nesciens vsum scabelli, poneret illud in capite, quis non rideret? O stulte, quis te docuit scabellum ponere in capite? pone sub pedibus, & bene ascendas.* Cõc: 5. de trib. *Ita etiam & tu* (Anima) *non ponas opes tuas in humeros, vel in capite, sed sub pedibus, & bene in cœlum intrabis.* Aggrauãt onere caput diuitiæ: si ibi reclinẽtur, pondere submergent in gehennam.

Imitare

Imitare Tamerlanem, de quo suprà, vt ductu Angeli ascendendo equum pallidum, cui insidebat mors in Apocalypsi: Dorsum Baiaxetis huius Leonis (diuitiarum) conculces, & sic aëreâ leuitate trãsfereris eò, quò põdus mammonæ attingere non valet: meliùs vt tu eas relinquas contẽptu, quàm ab ijs relinquaris, quæ aliquando cedunt inimico tuo in opprobriũ.

Ioã: 28. Christus in passione dixerat: *Regnũ meum non est de hoc mundo.* Nullæ Diuitiæ ibi apparebant; nudus natus in stabulo; nudus obijt in Gruce. Si, Anima, vis regnare cum Redemptore, Regnum diuitiarum ne ambias, quod est furiosum velut Leo animal: conculca illud amore Dei, pauperibus qui sunt scabellum Dei distribue potiùs, quàm in cistis inclusas Diuitias teneas. Leo licet sit Rex, cauernam præ palatio eligit: Diuitijs dedita Anima, in cauerna terræ Regem thesaurum custodit; verendum, ne vicissim cauernæ subterraneæ, æternùm includatur. Concùlca Leonem

Regem, Diuitias videlicet, Anima, monitis Angeli : & Regem te ſcito electum à Conſeruatore tuo, qui te Diuitijs ideò circumuallauit, quatenus Regnum, quod vim patitur, ijs compares : vt quod vili pretio emitur, æterno præmio poſſideatur.

Secunda proprietas, Rugitus Leonis formidabilis. Ad rugitum nulla beſtia conſiſtere poteſt, iuxta illud : *Leo rugiet, & quis non pauebit!* Traditio eſt, aliqua emori animalia audito Leonis rugitu; & maiores beſtias fugere voce tremendâ auditâ, quæ abſque voce minimè pauerent. Diuitiæ edunt ſimilem rugitum; audiuntur procul & ſentiuntur : at vox eſt, præterea nihil: vel quod maioris æſtimentur diuitiæ, quàm ſint; vel quod Diuites pluris fiant, quàm mereantur; vel quod ditiores opinione, quàm re, exiſtimentur. Voce eius non terreri Animam, Angelus docet; exemplo Sigiſmundi Imperatoris, cui cùm allata pecunia ſomnum impediuiſſet, eâdem ſubito diſpenſatâ, quietem attu-

A-mos 3.

lit, &

Psal: 61. lit, & Psalmistæ voce suadet: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Semel locutus est Deus: duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera sua.* Mirum, quòd semel locutus sit Deus, & tamē duo audiuit Rex! fortè, quia cùm semper sine intermissione præcipiat Deus, ne adhæreamus Diuitijs, pro vnâ numerat elocutione, & tamen duo audiuit; quia & vt Deus, habet potestatem supra Diuitias; & vt factus Homo, conculcauit eas contēptu: solâ misericordiâ ergo Dei eæ conculcantur. Præmium, & pœnam abusionis, vel vsus boni diuitiarum, reddet in Iudicio iustus Iudex. Nec caret mysterio, cur Christus in Euangelio, exprobrando delicta improborum, initio de administratione Diui-
Mat: 25. tiarum exquirit; *Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Non acceptabit excusationem eorum, qui

rugitum Diuitiarũ extimuêre, ne talia opera exercerentur. In concauo si vox emittitur, resonantia maior per aërem disseminatur: in scrinijs reposita pecunia, vt in aliquo concauo, voce timoris resonat, & terret Dominos custodes, accessum & reclusionem arcendo. Hinc tanta tenacitas Diuitum. Angelus Custos, semper suadet id agendũ cum Diuitijs, quod magni Domini, & sæculi Principes huius faciunt: qui iter aliquò instituturi, impedimenta thesaurosq; præmittunt, ipsi subsequuntur, omnia eò loci, quo pergunt inuenturi. Sic diuitiæ præmittantur ad cœlum baiulis pauperibus; finitâ viâ vitæ, cum fænore & gaudio reperientur. Melius non timere rugitum Diuitiarum in mundo, quàm comparere coram Iudice, qui malos Diuites rugitu damnationis terrebit. Granat: in Duce pec.

Tertia proprietas: Crudelitas Leonis non ignota; ex Scripturæ etiã Sacræ loco colligitur: ***Susceperunt me, sicut Leo paratus ad prædam.*** Et in alio loco: Psal: 21.

Aperue-

Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Diuitiæ summam excedunt crudelitatem; quid non tentatur, vt potiatur Anima Leonina illis? In obsidione Hierosolymitanâ, medij homines secabãtur, cupida inuentione auri monstrante; sanguis subditorum exprimitur, vt eis abundetur: & sicut in primâ proprietate rugitus Leonis timebatur; sic iam rugitus oppressorum contemnitur. Licet non semel cum Rege lamentãte
Psal. 37. clament: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* non audiũtur à Diuitibus: quo magis in ipsos Diuites ferociam thesauri exercent. Narratur de Nobili quodam Polono: huic nec vxor, nec filij vnquam fuêre, totum Regimen fames Diuitiarum occupârat: mori coactus ergo, inter tot saccorum aureorũ volumina, arrosis manibus & corpore, præ famis angústia exspirauit, alijs & fortè ingratis, iniquam dere-
Barõ. linquendo substantiam. Zeno Imperator, proprias carnes auidissimè dentibus cõminuit, priùs sepultus, quàm

mortuus. Impletum est illud dictũ: *Diues quandoq; magis fastidio, quam Pauper inediá cruciatur.* Angelus Custos ab hàc crudelitate eripit Animã liberalitate erogandi. Soluti canes catenâ ferreâ aliquando mitiores, libera euagatio mansuetudinem parit: simili modo distributio pecuniæ in pauperes & Ecclesias, bonaq; opera, coërcet ferociam mãmonæ: superueniet enim mansuetudo post mortem, & sequentur tales mansuetum Agnum (qui omnia, & Animam dedit pro mortalibus) conductione Angelicâ. S. Bernar.

Quarta proprietas: Leonem dormire apertis oculis, omnes cõsentiunt. Diuitiæ importunam vigilantiam conciliant. Vigilant Diuites, quomodo eas colligant: vigilant, ne amittant: vigilant, si quid amiserint, vt recuperent: ad corradendum vigilant: solũ ad dandum sopore opprimuntur. *Ita Diuites in cogitatione laborant, cùm pauperes foris in labore sudant.* Et quia semper in hâc vita vigilant, compensant somno in aliâ: *Dormierunt somnum suum,* S. Bernar. Ps. 75

& nihil

& nihil inuenerunt omnes viri Diuitiarum in manibus suis. Hîc vigilantibus nihil auferri potuit; ibi validè dormientibus omnia ablata, quibus paupertas & egestas æterna subsecuta. Consiliũ Angeli Custodis, vt iam dormiatur; neque si amissa, vel distributa pecunia sit, curetur: post mortem, Anima, illo somno recreaberis quem describit Rex: *Cùm dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas Domini.* Ecce veræ Diuitiæ. Concùlca hunc iam Leonem, & voluptuoso æterno somno suauiter obdormies.

Psal: 126.

Quinta proprietas: Leo terram aspicit, cùm sentit venatores, ne visis venabulis terreatur. Diuites cùm sentiunt venatorem Diabolum per mortẽ in vicino esse, ne amaritudinem (pace in substantijs habitâ) degustent, terrena cogitant, leuamen amicorum astantium pro solatio implorant, & nesciunt plures esse, qui prædam relictam pleno ore excipiant, vultures sunt, cadauer expectant. De restitutione, de conscientiæ concordiâ

nihil audiunt ; oculos aſpectu auri paſcunt ; euaſionem morbi adulatâ perſuaſione ſibi fingunt. Ideò poſt mortem : *Sepulchra, domus illorum in æternum.* Angelus Cuſtos, venabula in vita ſæpiùs proponit Animæ talia quibus terreatur ; & non terram, cœlum potiùs intueatur, dicens : *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi : in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri* : Et conculcantes, & & diſcerpentes Leones Diuitias. Hiſtoriæ Sacræ de Samſone & Dauide teſtantur : Primum Leone ſuffocato inueniſſe fauum mellis ; Dauid nunquã aggreſſurũ fuiſſe Goliath, niſi ante truculentarum beſtiarum, Leonis & Vrſi, fauces dirrupiſſet. Eſt & in diuitijs dulcedo, Angelo edocente, educendo ex ore ſubterraneo & amore poſſeſſionis, diſtributione eleemoſynarum, ſuauitas poſt mortem æterna reperitur. Goliath illum teterrimum ſuperabis, Anima, ſi fauces Leoninas Diuitiarum, conuerſio-

Pſal: 10.

Pſal: 120. & 121

ne ad sancta opera aperies, non offendes ad lapidem pedem: verùm conculcando Diuitias, lapide contẽptûs frontem petes Aduersarij, eũq; deijcies in terram. Tali modo, Anima, Leone contrito sequeris, & triumphabis cum illo Leone, de quo dictum: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Angeli precibus obtinebis, vt fossores sepulturæ, cum S. Paulo Eremita, habeas. Beati quib⁹ Diuitiæ effodiũtur terrâ, non quæ terræ includuntur: hæ manent alijs detegẽdæ, illæ pietatis officijs addictæ, è sepulchro vitiorum, & purgatorij carcere, educunt Animam, cœloque inferunt, comitante Angelo. Restat Draco, conculcandus ope eiusdem fortissimi Angeli. Faciliùs, licet grandia portẽt corpora, prosternuntur ad terram animalia, quæ gradu pedum impelluntur: difficiliùs alis dotata, elabi, aëreoq; vento discurrere, gubernaculo volũtatis propriæ regente, possunt. Si ergo & obæsa corpora, & squammata, veste naturæ, & alarum velocita-

Apocal. 5.

te, iun-

te, iungantur ſimul ornata inſudandum: quâ ratione concul cabit Anima fragilis, viribus impar, terrã ſolum veſtigijs terens? Nullo negotio, ſi perfectiorem alatum, ex aëre ſubtiliſſimo cæleſti, in ſocietatem aſciuerit prælij. In oblatum Draconem, per quem Paupertas figuratur, aſſume adiutorem Angelũ, Anima; vinces, conteres, quæcunq; paupertate grauaris. Triplex eſt Paupertas, ex S. Bern: Alia naturalis, alia locuples: Alia ſpiritualis, vel alia ingenita: Alia caſualis, alia voluntaria. Diuerſo modo, triplex hæc concul catio à prioribus ſe habet. Illa contemptu concul cabatur: hæc ipſa contemnitur. Sola patientia de Dracone taliter triumphat, alas præcidit, ſquammas denudat, truculentiam deprimit, ouanſq; alata, niſi cœlum petit. Contra: Impatientia è pedibus euolare permittit Draconem hunc, qui torquet intellectum, voluntatem exacerbat, memoriam cruciat. Proprietates nunc collige Draconis cũ Pau-

In fer: de villico iniquitatis

pertate, non alienas, & compone similitudine meditationis. Inuestigatores naturarum, septem inter alia adscribunt Draconi. Hæc Paupertati alludere videntur.

Prima proprietas Draconem, exiguũ os habere asserunt, arctasque fistulas quibus respirat. Paruo ore comedit paupertas; respirium soli Deo notũ: stricta fistula suspirij non exauditur in terris; micæ panis saturant mendicum; fragmenta cadentia è faucibus largissimis dapium, os implent Paupertatis: vel si mensa adest, breui mensurâ potûs & cibi expeditur, licèt quandoq; lætiùs & pacatiùs epulorum conuiuijs. Videre est in quadam Ciuitate Germaniæ, puto Rosthochij, domui cuidam inscriptum: *Si dat oluscula, mensa minuscula pace referta: Ne pete grandia, lautaq; prandia lite repleta.* Anima, cooperta tali Dracone paupertatis, superabis monitu Angeli, qui tibi in exemplum statuit exẽplar paupertatis, Christum. Paruo ore alebatur, quadraginta diebus &

nocti-

noctibus esuriendo, Angelorum postea ministerio refectus. Mirabile! famulabãtur Angeli subtili paupertatis edulio, & vbi abfuerat affluẽtia, supplebatur Angelicâ assistentiâ. In Cruce, nec fel, nec acetum, exiguo ori imponi valuit: *Cum gustásset, noluit bibere.* Voluntariæ paupertatis condimentum, patientia. Patientiæ præmium æterna saturitas; refocillare facias, Anima, prostratam paupertatem, tali exemplo: reserua os tuũ ad illas epulas, *vbi torrente voluptatis inebriabuntur* Electi: ex paruo ore maximum excrescet, cui nulla æternitas satietatem imponet. Mat: 27. Psal: 35.

Secunda proprietas: Lapidem in capite pretiosum portat Draco: Reges eo vtuntur, portantq; absque artificio. Paupertas lapidem insignem in se continet; Rex Regum Christus, portârat totâ vitâ: artificium nescit voluntaria Paupertas; verè est Philosophicus lapis. Patientiâ, & libertate Christianâ, paupertas comminuit, & in cinerem redigit, quasuis Diuitias:

quidquid illinit hoc lapide, emento vitæ curriculo, aurum, gemmæ sunt. Ecclesia in Antiphona describit, lapidis paupertatis efficaciam in cœlo: *Plateæ, & muri eius, ex auro purissimo: Portæ nitent margaritis.* Et in Apocalypsi, portas duodecim ex auro paupertatis elaboratas, enarrat Euangelista. Nullum artificiũ videtur in paupertate. Est in Prouerbio: ex stramine fieri aurũ, si vendatur. Diuitiæ, stramen est; hoc si vendis, Anima, Dei mercatoribus, recipies inæstimabile
Mat: 5. aurum: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Non excluditur aurum in tam locupleti Regno: nec paupertas volũtaria excludetur, quæ stramineis Diuitijs contemptis, comparat veras aureasq; Diuitias. Certè impossibile est per aërem ferri oneratum & onustum nummis: si volare cupis, Anima, assume duas alas; videlicet contemptum Diuitiarum, & patientiam Paupertatis, euolabis ad auream æternitatis sedem. Terra dissimilis cœlo in omnibus: ergo Diui-

tiæ terræ vbi Paupertas, & Paupertas thesaurus cœli. Diuitiæ excellẽtiores cælestes, mundanas ignobiles non agnoscunt, nec admittunt eò: Paupertas cùm nulla ibi reperiatur, tanquam quid rarum admittitur, adamatur, retinetur. Non immeritò S. Bern: de Paupertate: *Nudi nascimur in hoc sæculo, nudi etiam accedimus ad Baptismum; vt nudi, & sine impedimento, perueniamus ad cœlum. Quàm incongruum est & absurdum, & quàm turpe: vt quem nudum mater genuit, nudum suscepit terra, diues intrare velit in cœlum? Meliùs est plùs egere, quàm plus habere; nimis est auarus, cui non sufficit Dominus.* Angelus Custos solatur Animam oppressam paupertate, promittit lapidem hunc magni in cœlo æstimari: tali spe eleuata fortiter conculcat Draconem: *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum,* conseruatura.

De modo bene viuẽdi. ser: 66.

Psal: 18.

Tertia proprietas: Draco cum Aquilâ bellum gerit, eripit prædam de vnguibus eius. Paupertas cum hostibus Animæ assiduè pugnat, eripit ab vn-

guibus Inferni, & se ipsam, & alias, inclamando ad Deum: *Inter oues locum præsta, & ab Hædis me sequestra, statuens in parte dextra.* Ipse Antesignanus Christus, Paupertatis armis superauit carnem, mundum, diabolum. Gladius acutus Paupertas, dispositionem habens ad pugnam ciendã. Senecæ vox:
Seneca. *Si nomen Paupertatis displicet, muta, & vocaberis expeditus.* Alacris ad conflictum Paupertas, multosque protegit ab insidijs venatoris Infernalis. In Psalmo
Psal: 123. Rex: *Anima sicut passer, erepta est de laqueo venantium.* Volat, quia parua, expedita, auicula quæ etiam retia penetrat. Paupertas volat, quia spiritualis: parua, quia inops, despicabilis: expedita, quia absq; onere retia Diabolica euadit. Hoc astu Angelus Custos paupertate edocet conculcare Dracone͂, alis eius tantùm vti ad euolandum è miseria humana ad gaudium Diuinum: Paupertas enim recipit ope suâ Diuites in æterna tabernacula.

Quarta proprietas: Caudâ Draco bellat; vis tota in ea, quâ & arboribus se

colli-

colligat. Paupertatis vis & victoria in cauda vitæ, firmiter adhæret ligno Crucis, nudo & pauperi Christo: Aduersarios fugat, & Lymphata intrat illam vitam, quæ sine cauda, videlicet absque termino, conculcat & terrena, & tenebrosa inferi loca. Exempla multa passim pauperum, qui in morte, & circumstantium Sanctorum frequentiâ, & odorum suauitate repleta cubicula reliquêre: fugantur in vltimâ horâ paupertate Dracones Infernales. Ita paupertas ex miseria in cœlum Diues transmigrat, indutaq; naturâ Cameleonthis, inter Diuitias cælestes, in aurum fulgens, tanquam scintilla in arundineto discurrens, transmutatur.

Quinta pvoprietas: Mansuescit Draco domesticus, domosq; inhabitat, & ad manum vocatus venit. Paupertas exuberat mansuetudine, domestica est, & terræ ex naturâ humanâ; & cœlo ex Christo assumptâ eadem humanitate: & naturâ ergo, & arte humanâ, in domo ferè semper manet; iuxta

illud: *Pauper vbiq; iacet.* In humanis oculis videntur Dracones Pauperes, erepturi, quasi vi, cõtractam Bursam; repelluntur à manu illiberali, & verbis increpatorijs absoluuntur; ad conuiuia nec inuitantur, & ingressi excluduntur. E Diametro mundus cum Christo certat: Dominus exire iubet in plateas, pauperes cœcos, claudos, cõpellere ad cœnam imperat seruis: Mundus Diuitibus prandia parat: *Si (enim) quispiam Diues ac nobilis, se ipsum inuitet ad cœnam, accipitur loco summi beneficij, & non solùm lautißimè excipitur, sed vrgetur, impellitur verbo & exemplo, ad patinas & calices quàmplurimos exhauriẽdos. Quod si aliquis pauper id faceret, quas verborum contumelias non audiret?* Angelus laruam oculorum talium obtutui deponit, benignitate paupertatem fouere persuadet, reddendam à Deo cẽtuplam mercedem promittit; conseruatque in compassione affectum tuũ, Anima, erga illos, qui sunt membra delicata Christi, & in quibus ipse patitur.

Bell. Cõc: 2. super Psal: 90. 1. Par.

Sexta proprietas: Complicat caudam in quatuor vel quinque partes, Draco; ſic tranatat fluuios, ad meliora paſcua Arabiæ fælicis, trãſlatus. Paupertas in fluctuoſâ vitâ, mariſque ſæculi iactatione incertâ, fines proponit, vel quatuor nouiſſima, vel quinque vulnera Saluatoris, ſenſus abſtrahendo ab obiectis immundis mundi: & ſic euadit ad paſcua fæliciſſimæ Patriæ. Dictat talem tranſitum in vitâ aſſiduè Angelus Cuſtos Animæ, conculcando patientiâ paupertatem, eamq; futuris Diuitijs ſolidando. Sectantur homines ſummoperè ſapientis, vel Regis prudentis, electionem alicuius rei. Sapientia ſumma, Rex Regum, & Dominus dominantium, elegit nuditatem, Paupertatem; trãsfretauit Mare inquietum vitæ in nauicula Crucis, ad dexterã Patris collocatus. Non errabis, Anima, ſi obſequendo Angelo, paupertati faucbis, eamque voto & liberalitate adamabis.

Septima proprietas: Nullum, vel par-

uum dolorem excitat morsus Draconis. Paupertas parum afficere & mordere potest; irridetur, spernitur: & si coquit vindictam, non turbat quietē cui inferre meditatur. Prouerbium nationis cuiusdam est, Pauperis bilē duobus oneribus subesse, cogitando & de inferendâ, & de abolendâ iniuriâ: relinquunt taciti Deo vices vindictæ, qui adeò illorum causam agit,
Psal: 11. vt ipse loquatur: *Propter gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Suadet Angelus, vt vltrò cōculcetur Draco iste, & ad tempus patientia supe-
Psal: 9. retur: *Patientia Pauperum non peribit in finem*. Gloriosum ducas, Anima, tam sublimi Custode Angelo, conculcare quatuor conculcatas bestias: & *Aspidem* sanitatem, desiderio anhelando conseruationem in Dei seruitio: & *Basiliscum* Infirmitatem, gemendo in conformationem Christi infirmi pro nobis: & *Leonem* Diuitias, suspirij cōtēptu ob veras opes æternas: & *Draconem* Paupertatem, patientiâ, intermixto lachrymarum rore, placidè

calamitates tolerando. Magna certè dignitas Animarum, vt vnaquæque ab ortu natiuitatis in ſui cuſtodiam Angelum delegatum habeat, firmiſſimum, ac tutiſſimum contra aduerſa omnia, Sanctorum Angelorum præſidium: *Qui neq; muneribus corrumpuntur, quoniam optimi ſunt: neq; fraudibus decipiuntur, quoniam ſapientiſsimi ſunt: neq; vi coguntur, quoniam fortiſsimi ſunt: neq; celeritate vincuntur, quoniam ſpiritus ſunt: neq; numero ſuperantur, quoniam innumerabiles ſunt.* Illi Angelo te commēda, Anima, & ſiniſtro pedi Crucifixi age gratias, pro tanta in ſiniſtrâ mundi exiſtentia, conſeruatione: Angelo tuo morem geras, virtutem reuerearis, poteſtatem admireris, tutelæ totam te ſubmittas, conculcatis beſtijs & interpellationibus earum. Iam Deus ipſe digito, & per inſtinctum Angeli monſtrat, vt ad hominum ſtatum & conditionem, & inclinationē variam, variè conſeruatam, flectas animum, benignitatemque Conſeruatoris ſtupore admireris; hoc vltimo

Bell: cōc: 9 ſup: Pſal: 90. Par: 1.

Capite

Capite huius libelli, lusu meditationis grato, & te, & Conseruatorem recreabis.

Inclinatio, & conseruatio vniuersalis Statûs Hominum, à Deo.

CAPVT VI.

MVlta quidem sensui obiecta conseruationis miracula, reuerentiā Conseruatoris exprimūt mortali naturæ: plura tamen excellentiori gradu oculorum in se aciem cōuertere, suaui admiratione compellunt, vnoque ictu & ordinationis Altissimi dispositionem, & rerum vltrà captū conseruationem, stupente iudicio fatentur. Dauid in vno eodemq; Psalmo, eodem versu quo incipit, finit mysterium incomprehensum Diuinæ

Psal: 8. conseruationis: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra* ! Paulò minùs minutum hominē ab Angelo asseuerat, subiectionem

nem omnium rerum eidē concessam, Dei permissu deprædicat. Maxima ergo est occasio admirationis conseruationis Diuinæ in ipsis hominibus, propter quos omnia cętera conseruātur. Nec alienum a vero; Nihil noui sub cœlo reperiri: certò sic credi non inficior. Discurras, Anima, intellectu, & euageris, circa Rerumpublicarum constitutionem, earumque administrationem. Mortalium tot diuersorum opificiorum occupationibus victum quærentium, varioq; genere conditionis quæstum promerentium; videntur omnia Platonico reformari anno, indiuiduis pereuntibus, specie redire: vti Sol, qui infatigato quotidiano motu gyrando in orbem lumine illustrat, reditura facta renouans, morteq; noctis emensâ, rediuiuum se splendentemq; ostēdens. Conditor & Conseruator noster, imitatur Architectum, qui priusquàm opus aliquod insigne aggrediatur, in tabulâ exprimit coloribus. Verbi gratia, futurum Templum, vel ligne-

am ex-

am extruit ædiculam, quæ licet angusta, & loci occupans aliquid; nihilominùs molem futuri Templi exactè refert : Ita Deus ingentem fabricam construens in cœlo, in terrâ veluti in aliquâ tabulâ exiguâ depinxit opus : paruum quidem est, centrum occupans; repræsentat interim æternæ mansionis capacitatem, nobisque proponit imitanda labore; quatenus sic delineemus in hac tabellâ terrenâ adueniens Templum, vt eo includi possimus triumphante æternitate. Regnum in cœlo, & hîc, simili quasi labore acquiritur. Quantum angustiatur animus in hac vitâ, vt Regno potiri possit Animæ desiderium ! Nec proprio, nec alieno parcitur sanguini, vt corona aurea capiti imponatur. Innumerabiles Thesauri effundũtur nõ hæsitando, vt conseruetur: adeptũ ne amittatur, nihil non incogitatum relinquitur: securitati prospiciendo, laboratur vt vel hæreditariâ, vel electiuâ successione posteris tradatur: fælices Reges appellamus. Et ipse

Dauid Deos vocat: *Vos Dij estis, & filij* Psal: 81.
excelsi omnes. Considera, Anima, tot Regna, quæ multis centenis Annis, firmitate Diuinâ consistunt, Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Angliæ, & alia; ipsum Imperium quamuis insultibus Gallorum assiduè petatur, voluntate Diuinâ lapidis instar permanet: multi appetunt Regnum, multi sunt qui fugiunt onus, vtrorumq; exempla infinita. Quare hoc Deus facit? Regnum occultum cœlorum, depingit sceptris terrenis: plurimi sunt qui Regnum in cœlo cupiunt, sunt etiam qui forte respuunt; otio non acquiritur illud, si hoc non aperto ore occupatur Regnum, nec cælesti ipsâ veritate docente: *Regnum cœlorum vim patitur.* Mat: 11. Propter voluptates & dignitates, aspirat Anima ad Imperia terrena; quas delicias caducas Creator tãquam vmbram sparsit æternarũ voluptatũ respectu. pro vmbris omnia tentantur: pro re ipsa obtinenda, parum vel nihil. Philippus Macedo, misso Demade à Græcis, super men-

Iam varia de Athenis interrogarat, de amplitudine pulchritudine Ciuitatis: Demades Graphidos peritus, non verbis, sed & lineis ita figurârat Ciuitatem, vt Rex desiderio accẽsus, dixerit: *Vt Vrbs hæc mea sit, ferro, vel auro efficiam.* Non Athenas in chartâ linearum, sed veram Vrbem appetijt. Verum appetas, Anima, Regnum, in quo perpetuam geres Coronam capiti semel impositam: instabilitatẽ rerum creatarum aduertendo, reflecte te quotidie cõtemnendo, tanquã quid transitorium; hoc satage, vt resurgas coronata in luce, vti sol proprio lumine cinctus. Dum ergo miraris conseruationem Regnorum cẽtenis annorum, Regum dignitatem, successionem Coronatorum: excita te, & ad gratitudinem, & ad appetitum illius Regni, quod æternitate solâ firmatur. Aduerte Senatum, Aulicos, seruos Aulæ, Anima; putant se in suo statu fælices, nec in alium cõmutare vellent, si optio daretur. Senator grauibus consilijs adhibetur,

Drexe: c. 12. de cælo

honoratur, pro intercessione ad Regem rogatur; vno desinente, vel morte, vel altiori gradu, vel eiectione, alius occupat locum, non datur vacuum. Hoc trutinando, Anima, sapientiam Dei mirare in conseruatione huius statûs, & simul aspira suspirio sincero, vt in Senatum cælestem inscribi possis; grauibus rebus tẽpus teras, non vanitatibus, non leuiusculis voluptatibus inseruias; cũ Dauide occupa te tali meditatione: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Psal: 76. Feriæ sunt, verè Senatorio ordine dignæ: Aulici quâ sedulitate Dominis inseruiũt, nutus obseruant, pedes standi fatigatione, spe potiundæ vacantiæ solidant. Hic, Anima, cogita, quàm Diuina ordinatio mirabilis, vt tantum numerum Aulæ suppeditet, neq; vnquam desolata ea inueniatur, & gemitu opta, Aulici munere in cœlo fungi cum Rege tuo: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Psal: 83. Quàm pulchrum erit in numero illorum esse:

Millia

Dan: 7. *Millia millium ministrabant ei: & decies millies centena millium, assistebant ei.* Parum fatiga pedes tuos, frequentando Aulam Domini, vbi adoratur; vacantia Angelorum reprobatorũ, & eiectorum è cœlo, diriget pedes tuos in viam pacis. Serui Regum, labores alacriter suscipiunt, vt vel victu sustentẽtur, vel ad maiora seruitia promoueãtur, vilissimis officijs repletur Palatium Regium. Propone tibi, Anima, dispositionem Diuinam in seruitute, & cum Propheta seruum te voca Conseruatoris: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* & : *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Promouebit te Deus ad supremum gradum libertatis, finito curriculo viuentis seruitutis.

Psal: 115. & 83.

Conuerte te, Anima, ad statum mercatorum, quàm periculosus, quàm incertus, quàm fallax: acquisitus multo tempore, vno momento perit thesaurus; nec solâ terrâ contenta mercatura, incertitudini marinæ audet credere; longitudinem viæ magni-

ch. de L. S. No Jeu
ter. Arch.
lla. Rad.
omnulum

	Jau	D.
	34	21
	10	20
8	15	48
3	59	5
2		94
3		
07		

tudine lucri contrahere; ignotas prouincias appetitu noſcere ; inſidias præparatas itinerum, vel comitatu maiori ſuperare, vel aſtutâ diuerſione retorquere, vel damno & cute luere. Non deſunt mercatores: quælibet ferè Ciuitas mercaturam exercet. Ergo, Anima, affectum innatum in mercaturæ exercitium, à Deo conceſſum, admirare: ſtatus mercatorum niſi finito mundo, non ceſſabit. Et tu mercaturam exerce, ad veras opes cõgregandas habeto factores, vel ſubſtitutos, qui in diſtantiſſimis locis recipiant pecuniam: tales ſunt Pauperes, reſtituent tibi in longinquâ regione pretium erogatum: fac vti mercatores, qui empto panno vel ſerico, non ipſi portant humeris; alijs, ſoluto pretio, deferenda curant; ſic tu Anima, dic Pauperibus: *Eia fratres, accipite partem oneris noſtri* (portate ſupellectilem comparatam) *nec enim iſta in Patriâ, ad quam imus, neceſſaria erunt, & nos leuiùs & expeditiùs proficiſcemur.* Mercatores pro monetâ vili & adulteri-

Bell: in Con: Trib: 3. p. 2

na, quādoq; pretiosas coëmunt merces: & tu, Anima, pro bonis temporalibus, quæ nullius valoris sunt, fallacia, immunda; margaritam inæstimabilem in cœlo portandam comparare studeas: ditata talibus mercibus, æterna quiete in domo illâ frueris, indeficientibus affluēs & diuitijs, & delicijs. Militum copia ingens, nec ferro cedunt, exiguum stipendiū præponderat vitam, nec mortis terror, nec vicini in prælio occasus dissuadet à militia; numero maximo si cadant milites, neruo belli noui succrescunt, totus orbis plenus hac arte: & quò fortiùs quis occumbit, eò maiori laude extollitur posthumâ. Anima, venerare ordinem Dei, qui Idæā veræ militiæ Christianæ, militiâ sæculari adumbrare voluit. Instructum militem triplici apparatu, vt S. Bernardus existimat, oportet esse, si Castrum defendatur, munitione, armis, alimentis. Castrum Oppidum tuum, Anima, est corpus vndique obsessum ab inimicis; triplici apparatu spiritu-

ali prouideas tibi: *Quæ est ergo munitio? Vrbs fortitudinis nostræ Sion* (ait Propheta) *Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale. Quæ Arma? Induite vos armaturam Dei* (ait Apostolus) *vt poßitis, &c. Quid enim putamus? Grauis equidem nobis est inimici tentatio: sed longè grauior illi Oratio nostra. Quæ alimenta? Non nobis alimenta desunt, qui & sermones frequenter, & frequentiùs Sacras lectiones audimus, & interdum quoq; spiritualis deuotionis gustamus delicias.* Et suprà: *Iam verò nec fame quidem vrgeri possumus, vt hostibus Castrum tradere compellamur.* Et infra: *Habemus panem lachrymarum, qui licet minùs suauis, optimè tamen cor hominis confirmat: habemus & obedientiæ panem, de quo loquitur ad Discipulos Dominus: (Meus cibus est, vt faciã volũtatem Patris mei:) habemus super omnia de cœlis Panem viuum, Corpus Domini Saluatoris: in cuius vtiq; fortitudine cibi, omnis aduersæ partis, deijcitur fortitudo.* Stipendium vita æterna, bonæ militiæ: malæ, mors vtraque. Elice actum generosum, Anima, militiæ; intuendo oculis contemplationis inclinationẽ,

Is: 26
S Ber in Dedic: Eccl: s 3.
Eph: 6.
Ioã: 4.

ac tuam

ac tuam militiam, in Eccleſia militã-
Iob 7. te exerce, vt victoriâ frui poſſis.
Vita noſtra eſt *militia ſuper terram*:
aut vincendum, aut moriendum; in
cœlo corona, in inferno mors & car-
cer, elige. Ad artes liberales ſi reſpe-
xeris, Anima, in earum excellentiam
inclinationem humanam ferri tanto
ardore, ſtupefacta conſiſtes. Muſica
prima offert ſe vultui. Quid? Con-
ſeruatio Diuina rerum creatarum,
tacẽte Deo ſonum edit gratiſſimum,
motoremque non viſum intellectui
Bell: Cõc: de 7 trib: 1. p. 1 demonſtrat: *Veluti ſi cytharam aliquam*,
(vt ait Magnus Athanaſius) *audires
à longinquo, vario æquabiliter concentu re-
ſonantem, etiamſi Cytharædum non videres,
tamen ſtatim intelligeres eam per ſe non mo-
ueri, nec ab aliquo mure aut fele, ſed ab ho-
mine, eoq; docto & perito, pulſari*. Ita Cy-
tharam hanc vniuerſalem, magnus il-
le Muſicus delectabili ſuauitate mo-
uet; eam tu audiens, doctum, peritũ,
prudentem, immobilem reputa Cre-
atorem. Ipſa etiam inſones aliquem
cantum, cum Cytharædo tuo Inſtru-

ctore. Vel: *Cantabiles mihi* (sunt) *iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Psal: 118.
Vel: *Lauda eum in Cythara & organo, in* 150.
cymbalis bene sonantibus. Chordæ ex neruis bestiarum fiunt, agnorum præcipuè: si Agnum immaculatum innocentiâ imitatus fueris, optimè in Cythara præludes. Organi fistulę, ex plũbo ædificantur; Cymbala ex eodem, vel materia ligni: benè sonabis, Anima, si humilitatẽ, patientiam Christi, in tuæ vitæ Cytharâ tanges. Magni æstimatur hæc ars in mundo: plurimi Musici, in Aulis Magnatum, pretio magno conducuntur, & hilaritatis præcipui sunt incentores. Typus Musica hæc, Musicæ cælestis est: ibi enim cantatur suauissimè Sãctus, Sanctus, Sanctus. Tu itaque, Anima, instrue Cytharam decursûs tui tempore, oratione feruenti, fugam peccatorum dextrè exprimas; fugiet à te cum peccato corruptor Cytharæ, qui à Musicâ cælesti exclusus, Cytharam confregit allidendo superbiæ; versaq; est cythara eius in luctum, ipse & so-

cij eius, vnam eamque lamentabilem cantilenam inchoant, & nunquam finient, Væ, væ, væ. Contrariò tu, Anima, suspirijs Cytharæ tuæ, aspira ad supernam melodiam, pietate, &
Eccl: 32. *Diligenti scientia, non impedias Musicam*: videlicet, ordinationem concordem mundi, à Deo facti; & tuorum affectuum, cõiunctum cum mandatis Diuinis, concentum. Doctrina honoratur in mundo, eaque diuersa: vt Rhetorica, Philosophia, Medicina, Iurisprudentia, Theologia, Mathematica, & aliæ. Quot vigiliæ insomnesque noctes ducuntur, vt scientia aliqua ex eorum numero cõparetur, cerebroque imponatur? Scopus, ad melius esse consequendum. Tu, Anima, cum admiratione ordinationis harum scientiarum Dei, ad melius esse infinitum apprehendendum, spiritualem doctrinam addiscito.

Rhetorica est spiritualis, quæ nullâ eloquẽtia, neq; Hæreticorũ, neq; per instinctum Dæmonis superari potest. S. Catharina, Rhetoricâ tali, quinquaginta

ginta Philosophos tacere fecit. S. Augustinus Rhetoricam primò Carthagine, Mediolani, Romæ, docuit: Insignis Rhetor, contra Manichæos & plurimos extitit Hæreticos. Iacobus Granadus, duo fundamenta ponit Diuinæ Rhetoricæ. Primum est: Nunquam lethaliter delinquēdi. Alterũ: Diligētia & attentio in oratione. Sis talis Rhetor, Anima; ac si in agone disputare præsũpserit Infernalis Rhetor tecũ, abige oratione, vel suspirio sublimi in cœlum, vinces tentantem. Professio huius Rhetoricæ, est *Fides*.

Philosophia est cognitio rerum omnium; syllogismus formari docetur; de Ente rationis disputatur. Anima, sis auditor Catholicæ Philosophiæ, noscas res omnes à Deo creatas, redemptas, conseruatas, eumque remuneratorem futurum operum omnium: Syllogismum forma. Quicunque nouit Deum syncerè, & ille cognoscetur ab eo: at tu, Anima, nosti illum amore tuo: ergo ab illo cognosceris amore illius, qui est infini-

tus. De Ente rationis in Philosophia quæstiones: Cuius definitio, quod tãtũ obiectiuè se habeat in intellectu. Cogitationes turpes, voluptates conceptæ, nõnè sunt Entia rationis? Non ponas obiectum tuæ Logicæ spiritualis, Anima, Ens rationis. Potiùs Operationes Intellectus: *Operemur bonum dum tempus habemus.* Obiectum, Ens rationis, est Doctoris Orci Logicæ: ille hîc obijcit Entia rationis, pro quibus disputabitur in maledicta Schola Philosophiæ; & defendens oppugnansq;, cruciabũtur, neq; vllus finis pertinacis disputationis. Professor huius Philosophiæ, *Labor aßiduus.*

Medicina, necessaria ars valetudini curandæ vtilis: & hanc imprime tibi, Anima. Prouerbium, quod & Christus vsurpauit: *Medice, cura teipsum.* (Luc: 4.) Cura te, Anima. Quadrupliciter potissimùm medicina adhibetur; vel diætâ, vel pharmaco, & illo ingrato, vel sectione venæ, vel sudoribus. Diæta optima medicina spiritualis, subtrahe ligna à foco,

quod est, ventri nimiam sagenam. *Si stomachus interrogabitur, respondeat, & habet vocem & clamorem: quoties indignatur, & ructu frequenti obtestatur, obruor, succumbo, destruor? resocillari vellem, non sarciri: ali, non opprimi: famem aliqui maiorem habent, quàm ventrem.* Ieiunium ideo institutũ ab Ecclesia, & Oratio in Quadragesima medicinam prælegit: *Adesto Domine supplicationibus nostris, & concede, vt hoc solemne Ieiunium, quod animabus corporibusq; curandis, salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus.* Pharmacum non arridet palato, tale propina tibi, Anima, cum tuo Rege tum ægroto: *Humiliâsti nos in loco afflictionis, cooperuit nos vmbra mortis.* Torsiones etiam Medicina cõcitat; vt idẽ: *Humiliata est in puluere Anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Ipsi Saluatori, medicina amaro poculo propinata in horto; ille vicissim, purgans in suaue obtulit Discipulis: *Potestunè calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* Omnes ferè Sancti tali medicinâ curati in morbo Animæ: sectione

Drexel: de Inf: c. 4.

Subl: ante I. Dõ: Quadrag.

Psal: 43.

Ibid.

Mat: 20.

venæ vtuntur Medici. Doctor gen-
1.Co. 9. tium vsus: *Castigo corpus meũ, & in ser-
uitutem redigo.* Et ad respuentes lecti-
Heb. 12. onem, alibi dicit: *Nondum restitistis ad
sanguinem.* Sudor conducit sanitati. Sũmus Medicus Christus, sanguineo sudore in horto cępit curare lãguores nostros: plurimi Sãcti sudore laborũ conualuerunt. Si ergo tu infirma es, Anima, si nullum remediũ acceptas,
Psal. 25. roga Medicum cælestẽ: *Vre renes meos,
& cor meũ: vt sanari possim, Domine.* Professor Medicinæ talis, *Patientia.*

Iurisprudentia magna Ars. Ius suum cuique tribuere, est fundamentum Doctrinæ: assuescas tali arti, Anima, iustitia tua extendatur & ad proximos, & ad te ipsam; sis perita Iuris, vt in illo Iudicio extremo, proposita causa tua, dexteritate agendi, vincat;
Mat. 25. Decretumque obtineas: *Veni, possideas Regnum.* Discutias tuas iustitias iam, ne iterum iudicẽtur à iustissimo Iudice: qui, *Cùm sedebit, quidquid latet apparebit; nil inultũ remanebit.* Professor Iurisprudentiæ talis: *Vera Iustitia.*

Theo-

Theologia circa Deum, & attributa Diuina, versatur; illam exactissimè legit Rex tuus, tibi Anima: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psal: 72.
Epithome Theologiæ, de Deo cogitare, circa obiectum illius versari, de æternitate conclusionẽ elicere cum S. Augustino: *Æterna promittit æternus, ergo si credidero, ex mortali fiam æternus.* Professor Theologiæ talis: *Charitas.* S. August: Tom: 10. Ser: 25. c: 5.

Mathematica cælestis ars, stellas, cursum, locum, mysterium illorum notat, rotas cælestes contemplatur. Dauid Mathematicus excellens: *Cœli enarrant gloriam Dei: dies diei eructat verbum; & nox nocti indicat scientiam.* Psal 18. Nec noctu à scientià Mathematicus abstinuit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psal: 6. Tu, Anima, cum S Bernardo dicito: *Cœlum esse Animã sanctam, habentem solem intellectum, lunam fidem, stellas virtutes: vel certè sol iustitiæ zelus, aut feruens charitas; luna continentia;*

stellæ virtutes, congruentia similitudinis: quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Sic ex terrâ consideres stellas, vel potiùs virtutes; quibus repleta, noctu, id est post obitum, varietate virtutum, tãquam stella lumine, in æternum fulgeas. Professor Mathematicæ talis: *Spes*. Nec Mechanicæ artes prætereundæ meditatione: nullum Regnum, nulla Prouincia, Ciuitates, Oppida sunt, in quibus Mechanicæ artes desint: nec à condito mundo ad finem vacabunt; diuersitas illarum, Conditoris & Conseruatoris, miram conciliant menti reflexæ prouidẽtiam, quælibet ars gloriatur prçeminentiâ quâdam, victumq; abundè subministrat. Aliquas tantùm, propter breuitatem Capitis accipito, Anima.

Fabri ferrarij in Scænã procedãt: tractãt incude & igne ferrũ, illoq; vtũtur ad libitũ; verberatio malleorũ non turbat quietem, quia alit. Tu, Anima, cor tuum habes instar ferri,

incude

incude pœnitentiæ pulsa, igne charitatis tractabile facito ad libitum Creatoris tui: verbera, flagella immissa à Deo, non turbent te, alunt enim in vitam æternam. Præparata es ad ædificium æternum, absq; ferro nullũ extruitur: cohærent muri firmiter eo, per muros transire ferrũ necesse. Sic
Propheta de Iosepho: *Ferrum transiit* Psal:
Animam eius. Et in alio Psalmo: *Sedẽ-* 104.
tes in tenebris, & vmbrâ mortis, in mendici 105.
tate & ferro. Semper adest vmbra mortis, sedeas in ferro, Anima, transeat ferrum, vel catenulâ aliquâ, vel baiulatione miseriæ alicuius: scias ex ferro fieri coronam, fieri & securim. Imperatores inaugurantur primo ferreâ Coronâ; Secundo Argenteâ; Tertio Aureâ. Imperare vis in æuum, Anima, ferrea præparãda est tibi Corona: in morte argentea, consolationibus internis aduenie̅tibus, apparebit: in cœlo aurea capiti tuo imponẽda. Securis ex ferro tali Animæ, quæ negligit ferreã Coronam, aptabitur; qua velut lignum infructiferum ex-

 cidetur,

cidetur, & in ignẽ mittetur. Vt Rex:
Psal: 73. *Quasi in sylua lignorum, securibus exciderũt ianuas eius in idipsum: in securi & asciâ deiecerunt eam in profundum.* Liquefacias ferrum, Anima, lachrymis & suspirio corpus tuum, elaborabis Coronã-

Lapicidæ, eruũt lapides è monte, expoliunt duro ferro, antequàm structuræ inferant. Ad palatium cæleste aptaris, Anima: ergo nõ Lupinâ caudâ suauiter corpus demulcendum. Aliter Antiphona Dedicationis Ecclesiæ canit: *Tunsionibus, pressuris, expoliit lapides, suis cooptantur locis per manus artificis, disponuntur permansuri sacris ædificijs.* Ora & suspira, Anima, vt Sacrosancta manus æterni Artificis, collocet te in loco Palatij. Si enim te eijciet, vbi relinqueris?

Muratores, vel constructores Ædiũ,
Bell: sup: Psal: 90. Cõ: 1. in fine. parieti calcẽ, & nõ absq; iactatione, imponũt ædificio: si ruinas minetur, fulciũt ligno, vel ferro *Inter Animã, & gehennã, nihil medium est, nisi paries carnis, qui singulis horis ruinam minatur.* Fulcire oportet ligno Crucis, ferro pœniten-

tiæ; abſque hoc corruet paries in terram non viuentium: firmiter parietẽ carnis tuæ impone ſtructuræ vitæ, Anima, Cæmento innocentiæ & puritatis conſperge, vt fortiter hæreat in obſeruatione Præceptorum Dei.

Molẽdinarij adſtãt molendino, quod nunquam ferè quieſcit: Anima, nunquam in eodem ſtatu permanes: *Sicut molendinum velociter voluitur, & nihil reſpuit, ſed quidquid imponitur, mollit: ſi autem nihil apponitur, ſe ipſum conſumit. Sic cor* (tuum Anima) *ſemper eſt in motu, & nunquam requieſcit: ſed ſiue dormiat, ſiue vigilet, ſomniat & cogitat quidquid ei occurrit. Et ſicut molendinum arena, ſi imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: ſic cor* (tuum Anima) *cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita cor dum futurum non curat gaudium, nec Diuinum quærit auxilium; ab amore cœleſtium elongatur, & in amore terreſtrium occupatur.* Anima, molas in molendino cordis tui farinam albam cæleſtium cogitationum, paleam gaudiorum terreſtrium eijce.

S. Bernar: in Medit. c. 9.

Sartores varij generis vestes elaborant: Tu, Anima, vestem immortalitatis speciosam tibi consue, si vilẽ aliquam habes, immuta in pretiosã, clamando cum Dauide, in gratiarum
Psal: 29. actiones verso stylo: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Pallium lætissimum, quo circumdatur in gloria Anima, præparatum habet clementissimus Pater, pro te, Anima, tanquam filio perdito. Stolâ primâ induet te, tantùm fatêre delictum
Luc: 15. contrito corde: *Peccaui in cœlum, & coram te*; & præseruabit ab integumento sartorum damnatorum: ne dicas:
Psal: 54. *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Sutorum indecorũ artificium, coria dẽtibus trahũt. Calceorũ indumẽtis præparãdis sunt assidui factores: calcei multiformes sunt, nationi cuilibet quid singulare vnde pedes superbiant. Anima, corium pellis tua; sensus, affectus; mortificare pœnitentiã debes, & mollificare lachrymis; siccare vento suspirij, dentibus laniare

afflictionis, vt calceamenta Deo placita, parare & induere tibi liceat. Laudat talem Animã Sapiens: *Quàm pulchra es filia Principis, in calceamẽtis tuis!* Cãt: 7. Anima est Filia Principis, hæreditatem expectans sempiternam; calceata affabrè dispositis affectibus, placebit oculis æternis; alia castitate, alia liberalitate, alia humilitate, alia mansuetudine, alia alijs præcellentibus virtutibus, vt pedes (exitus videlicet è vitâ) non displiceãt ei cui sunt *Deliciæ, esse cum filijs hominum.* Prouer: 8 Reliqua prudentiori Capiti ruminanda relinquo Mæchanica, in quorum cõseruatione, & altissimi gloria multiplicetur, & meditatio deuotæ Animæ augeatur. Præparata tibi de beneficio Conseruationis, currenti chartâ, Anima, imprime cordi, & cor sinistro pedi Crucifixi: fortis est ille pes, qui te cruore beatifico illiniet, ac in sinistra occupatione mundi, illæsam à macula conseruabit, merito passionis. Quod beneficium hâc vel simili coneris exorare petitione.

ORATIO.

DEvs, qui mirabiliter creatum hominem, mirabiliùs redemiſti, miraculoque maximo conſeruas; ad terram proſtratus rogo, conſerua me ex bonitate tuâ, in viâ mandatorum tuorum; quatenus euadens ignitam perpetuam conſeruationem, ad præmia conſeruationis ſanguine tuo parata, lachrymis & ſuſpirio munitus euolem; teque Conſeruatorem meũ, abſq; fine laudibus celebrem. Qui viuis & regnas in Trinitate perfectâ, in ſæcula ſæculorum.

AMEN.



IESVS, MARIA, ANNA.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS.

Ex beneficio Iustificationis.

LIBER V.

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificâsti me. Psal: 118.

De Iustificatione in genere.

CAPVT I.

TAm ingens beneficium Iustificationis, Dauid staterâ meditationis ponderãs, festinâ memoriâ reuocari exemplo suo docuit: fecit ille, cùm Psalmo vno, Centesimo decimo octauo nominato, vicies nouies inculcaret *Iustificationem*. Viæ directionem optabat, quâ custodiret Iu-

ſtificationem Altiſſimi, & ne elaberetur eo abſente, promittit ſe cuſtoditurum Iuſtificationem, tantùm ne derelinqueretur, & deſtitueretur auxilio. Benedictum Deum prædicat, quod ſit Magiſter, ductor Iuſtificationis. Reuoluere meditatione iuſtificationes Dei proponit: deſiderium iuſtificationum omni tempore concupiſcit; ſeruumque ſe non celans, exerceri in iuſtificationibus appetit. Conſilium non aliud ei, quàm Iuſtificationes Dei. Vias ſuas enunciat, & exauditur à Creatore; quem rogat, vt doceat Iuſtificationes ſuas. Difficultatem autem diſcutiens, implorat, vt inſtruatur in via Iuſtificationis, quam conſtituit pro lege: oratque, vt ponat Dominus legē viam Iuſtificationum. Leuat manus ad mandata Diuinà, exercitium Iuſtificationis meditando. Recreatus profitetur cantabiles fuiſſe Iuſtificationes Domini in loco peregrinationis ſuæ: & inculcat pro lege Iuſtificationes, quas exquiſiuit. Nec die ſatiatur, media no-

ćte ſurgit & ruminat Iudicia Iuſtifi cationis ; in quibus miſericordiam Dei aduertendo, adhuc doceri in Iuſtificationibus optat: collaudandoq; bonitatem Domini, pro Præceptore accipit, à quo edoceretur de notitia Iuſtificationis. Et licet caſtigaretur, & humiliaretur, tamen non recedit à Schola Iuſtificationis, dicens: Bonũ mihi quia humiliâſti me, vt diſcam Iuſtificationes tuas. Imò purgari vult, vt fiat cor immaculatum in Iuſtificationibus eius, ne confundatur coram Examinatore in die illa terribili: factuſque ſicut vter in pruina, Iuſtificationes Domini non expulerat è memoriâ. Confirmatus & doctrinâ, & memoriâ, exclamat illũ verſum propoſitum in Capitis initio: In æternũ propter viuificationem, nõ fore oblitum Iuſtificationum, totum ſe conſecrat Deo, Iuſtificationes eius exquirendo; ac cor inclinat ad faciendas Iuſtificationes, ob præmium, & retributionem, ſalutem ſibi inde augurãdo ſi ſemper meditaretur Iuſtifica-

tiones; sed debilitatem agnoscens, alloquitur Deum: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & Iustificationes tuas doce me. Lectio illa doctrinæ toties lecta non displicuit, imò iterum facie illuminata, plenè desiderat edoceri de Iustificationibus Diuinis: tandem hærere sibi in recenti memoriâ tanquam adolescentulo fatetur, & in contemptu Iustificationes non esse oblitum. Ergo pleno cordis affectu clamat, vt exaudiatur, se Iustificationes requirere, damnando peccatores, & longè salutem remouendo ab eis, quia Iustificationes Dei non exquisierunt, concludendo, non solùm in memoriâ, in labijs etiam velle conseruare Iustificationes, si à Deo fuerit edoctus, profert: Eructabunt labia mea Hymnū, cùm docueris me Iustificationes tuas, Hymnum exultationis, Hymnum cum populo appropinquante in gloriam cœli, vbi electi incessanter decantant misericordiam, & Iudicium Iustificationis iustificantis. Instructa

plena

plena mensura, Anima, à Dauide, in
materiâ Iustificationis: meditare, &
imitare viam Iustificationũ & benefi-
cij. Deus est, qui monstrat iter illud
conficiendum: Ipse est qui iustificat, Rō: 8.
iustitia realis est. Iustum quis alius
facere potest, nisi Iustus & Iustitia?
Vtrumque est Deus. Attributum eius
præcipuum iustitia, quæ & essentia.
Iustus est, fatetur & Centurio, sub
hominis specie Christum agnoscẽdo:
Verè hic homo iustus erat. Imo antesigna- Luc: 34.
nus est iustitia Dei Saluatoris: *Iustitia* Psal: 84.
ante eum ambulabit, & ponet in via gressus
suos. Quomodo ambulabit, & quales
gressus? In passione, tanquam ab ho-
mine, homini ostẽsi: Obcœcata cre-
atura fuerat, nec Creationis, nec Re-
demptionis, nec Conseruationis be-
neficio, viam iustitiæ sequebatur. In
nouam creaturam, Iustificatione Di-
uinâ reformari, necessarium Diuina
clementia iudicârat: Modus imita-
tione Passionis Domini obseruatus:
Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego Ioā: 13.
feci vobis, ita & vos faciatis. Christi am-
bula-

ambulatio iustitiæ, ex horto in montem Caluariæ, gressus & vestigia in pedibus ferro laniatis, cruore iter relinquentia. Propheta tuus experientiâ edoctus, manifestè elucidat, vt suprà: *Bonum mihi quia humiliâsti me, Vt discam iustificationes tuas.* A pecoribus ad Regimen vocatus, lasciuire ingratitudine non veritus, geminatoque homicidij & adulterij peccato pollutus, à filio pulsus: tum primùm ingressus viã Iustificationis, cùm à Semei subdito, itinerario imprecationis impeteretur, gladioq; linguæ probaretur. Iustitia ergo ante eum ambulauit, vltorem enim Deus ei filium Absolon cõstituit: ille gladio Vriam peremit, ipse gladium filij expertus, gladio mœroris ob mortem filij vix non emortuus. Talis vltio, decretante Iustitiâ, homicidij: quid adulterij? Nathan Propheta prædicit pœnã à Deo,
Lib: 2.Re: c. 12. iniunctam Regi: *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.* Prolatum contritum verbum, *Peccaui*, cul-

pam a-

pam amouit: castigatio secuta per eundem filium Absolonem, qui violare thorum Parentis ausus; quæ Pater seruo, hæc ille genitori cumulato reddidit opprobrio. Quid ergo Dauid? Bonam humiliationem iudicauit, viam iustificationum nouerat, cuius itineris scientia, triplici coniectura certificatur: Agnitione delicti, Humiliatione, in sustinendâ pœnâ: Emendatione, carente recidiuâ peccati. Qui iustificari desiderat, à tribus abstinere debet, secundum opinionem S. Bernardi: *Primò, ab operibus prauis: Secundò, à carnalibus desiderijs: Tertiò, à curis sæculi. Prauis operibus opponantur opera misericordiæ: contra carnalia desideria, adhibeantur Ieiunia: & pro curis sæculi, succedat amor Dei.* Executus Dauid omnia hæc; opera misericordiæ multiplicando, cùm Semei contumeliam complicato humero excepisset; prohibendo, ne ab Abisai interficeretur, dicens: *Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Et inferiùs: *Dimitte eum vt maledicat,*

In sent: fol: 490.

2. Rec: 16.

ledicat, iuxta præceptum Domini; si fortè respiciat Dominus afflictionem meã, & reddet mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodiernâ. Agnouit offensam Dei, humiliatus sustinuit maledictionem, emendatio absq; recidiuâ secuta. Ieiunio iter illud confecit, compensaturus carnalia desideria. Successit curis sæculi, amor Dei, erumpendo in illa verba: *Vt iumentum factus sum apud te* (Deus) *& ego semper tecum.* Nunquã auelli passus à charitate erga Deum. Habes, Anima, exemplum Iustificationis in Rege tuo: si aliud requiris; ecce in promptu S. Pauli Iustificatio meditanda occurrit; violenta & illa decussio ex equo, luminum amissio, abstinentia multorum dierum, præparatio Iustificationis. Iustificatio deijcit ex sublimi: superbus & iustus nũquam in eodem subiecto conueniũt. Luciferi superbia iustificationẽ abstulit; arrogantia opprimit Iustificationem, Iustificatio humiliat illam. Primum signum Iustificationis, contemptus sui; inde Rex: *Adolescentulus*

Psal: 72.

sum ego,

ſum ego, & contemptus, (ideò) *Iuſtificationes tuas non ſum oblitus*. Secundum ſignum Iuſtificationis, oculorum carnalium amiſſio: fores claudũtur peccatis ſolâ iuſtificatione. S. Paulus vt ſtercora omnia, præter Chriſtum & hunc Crucifixum, æſtimârat iuſtificatus: ſeruãtur oculi ſi tranſitur per ſterquilinia, non recreatur viſus ſordibus; eſt lima concupiſcentiæ Iuſtificatio, falſitatem aperit. Vti de B Borgia Societatis I E S V Generali legitur: qui Reginâ Aragoniæ Iſabellâ mortuâ conſpectâ, quam delicatè viuam oculi eius ante erãt intuiti; horrore commotus, amiſit lumen rerum caducarum, Principatumque videre proprium abſtinuit; nigram veſtem, & obedientiam Regularem præferẽdo. Iuſtificati, internis oculis, florentem mundum, cadauer imaginantur; carenteſque prorſus viſu reputantur: vti illi, qui licet candidis fulgeant oculis, cœci ſunt; organo ſolo viſûs, non fructu ſpecierum, prædititi. Tertium ſignum Iuſtiſicationis, Abſtinentia: Pſal. 118.

nentia : Sicuti fomes reprobationis ingluuies, crapula multorum, igne infernali redditur sobria. Ieiunia plurimum refocillantur abundantia cœlestis saturitatis : facilè Ieiunus conficit viam iustificationis; obesus cibo lassatur in via iniquitatis. Viam iustificationum, per Ieiunium & vicinitatem cum Deo, describit S. Leo : *Quid potest esse efficacius ieiunio ? Cuius obseruantiâ appropinquamus Deo, & resistentes Diabolo, vitia blanda superamus : semper enim virtutibus cibus, ieiunium fuit ; de abstinentiâ denique prodeunt casta cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia, & per voluntarias afflictiones, caro concupiscētijs moritur, virtutibus spiritus innouatur.* De eodem D. Borgia suprà nominato affirmatur : Ingressus ille Societatem IESV, pingui & repleto vētre: sed multiplicata Ieiunia ita macilentum reddidêre, vt cutis, adipe extincto, reliquum corpus eadem circumcingeret. Ardua via Iustificationis, fateor, Anima, sed optanda : non enim aliæ nisi duplices viæ sæculi, vna Iu-

Ser. 2. de Ieiunio.

stifica-

ſtificationis, altera Reprobationis: hæc initiò iucunda decipit viatorem, & in fine mordet vt coluber, nec tamen abſque difficultate. Hinc illæ voces impiorum apud Sapientem; *Ambulauimus vias difficiles.* Triplicem ponit S. Bernardus viam, quæ ducit ad mortem: *Aliam ærumnoſam, aliam laborioſam, aliam delicioſam. Ærumnoſam in pauperibus, qui diuite animo in paupertate ſua tumeſcentes, ab inopia temporali, ad æternam miſeriam transferuntur. Laborioſam in cupidis, qui auaritiæ æſtibus anhelantes, vſq; ad vitæ terminum, ab inquietudine temporali, ad æterni laboris anguſtias transferūtur. Delicioſam in delicatis, qui in voluptatibus enutrientes corpora, poſt dulcedines momentaneas, ad amaritudines ſempiternas deferuntur, & in ipſis voluptatibus amarum fel eis proponitur.* Nō ergo iucunda merè appellari poteſt via reprobationis. Via iuſtificationis ad ſpeciem amara, in re ſuauis & deſideranda: ſequamur ductum eiuſdem S. Bernardi, qui triplicem ſimiliter explicat viam, quæ ducit ad vitam: *Sanguineam in Martyribus, qui*

Sap: 5.

S. Bernar: in ſēnt.

Ibid.

bus, qui per iter martyrÿ, triumphalis altitudinis ſolium attigerunt. Purpuream *in Confeſſoribus, qui in ſuâ carne veſtigia Dominicæ Paßionis per abſtinentiam expreſſerunt, & in ſuis corporibus vulnerum Chriſti ſtigmata portauerunt.* Lacteam *in virginibus, quæ per viam munditiei, ad amplexus & thalamos veri ſponſi, virtutum pennis fæliciter euolârunt.* Summis conſolationibus repletur via iuſtificationis, etiamſi tribulis & ſpinis ſit conſita. Si ergo iuſtitia ante Chriſtum ambulauit, & tamen deſiderio deſiderabat manducare illud crudele Paſcha: ante iuſtos eadem Chriſti deambulatio, Iuſtificatorio deſiderio implet corda piorum: in tali viâ poſuit greſſus ſuos Dominus; ſimiles greſſus exhilarauerunt imitatores ſui. Sententia Dei immu-

Mat: 19. tabilis: *Qui ſequitur me, & relinquerit omnia propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit.* Hoc certum in altera, illud in hac vita æquè certum: Centuplum accipit hic, qui Chriſti cauſa renunciat mundo. S. Paulus, Profeſſor thematis huius, di-

xit ſe ſupergaudere in tribulatione : Coloſ. 1.
multi alij idem fecêre Sancti. B. Arnolphus, poſt Ordinis Ciſtercienſis ſeruus, ante ſæculi mancipium, cùm vicinus morti ſtimulo variorum morborum dilaniaretur; iamque præ anguſtia animã è tortura emittere crederetur, hilari vultu auditus protuliſſe : *Verè vera Domine promiſiſti; fateor me centuplum nunc accepiſſe pro omnibus quibus valedixi in mundo.* Fratres putârant doloris delirio illum edixiſſe: *Ille Non, inquit.* Iterum repetendo illa verba, & exultãte vero gaudio facie, æternæ fælicitati illatus eſt. Amplectere, Anima, viam Iuſtificationis, frequenti ſuſpirio: perfectio acquiritur Iuſtificationis etiam vno duplicato emiſſo ſuſpirio, deteſtando peccatum, & appetendo cœlum; vnum eſt, & vnitate ſuâ vitijs abrenuntiat, ſimulque cœlo, vti ſtella fixa, manet. Quid enim eſt aliud Iuſtificatio? Niſi laboris Paſſionis Chriſti fructus; ſocietas terrena Angelorum; contemptus rerum momento gloriantium;

inimicitiæ nunquam pacificandæ carnis; insultatio tentationum Dæmonis; irrisio mundanarum deliciarũ; depressio vitiorum; Pharmacum infirmitatis humanæ; cõculcatio pompæ visibilis; eleuatio mentis vltra omnes res creatas; glutinum charitatis Dei; amnystia voluptatum; Regula viæ cælestis; semita perfectorũ; incomprehensa abundantia Spiritûs Sancti gratiarum; fons misericordiæ Diuinæ; extractio ab interitu æterno; desiderium dissolutionis corporeæ; artificium sapientiæ increatæ; conuersatio in corpore spiritualis; Thesaurus inæstimabilis pretij; radix seminis electorum; Arra sempiternæ fælicitatis; structura ædificij in æuum duraturi; sitis continua nõ extinguẽda nisi solâ visione Dei, in terra suspirio & affectu, in cœlo gloriâ & effectu. Describit Pocillator cælestis Regis, Rex terrenus, nectar Ambrosiam, pro extinguenda siti, ex Throno Maiestatis æternæ propinandum
Ps: 35 iustificatis: *Inebriabuntur ab vbertate domûs tuæ,*

mûs tuæ,

mus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. Iustificatio ergo via est, per quā itur ad astra ex parte nostri: ex parte Dei, structura, ædificatio, est iustificatio nostra. S. Paulus idem affirmat ad Corynth: *Dei ædificatio estis.* Et ad Ephæs: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Itaque Iustificationis Christi mysteriū, est ædificatio nostra. Legitur in Genesi, Deum ædificâsse ex costâ Adami, quam tulerat, mulierem: si in creatione ædificatio probatur, multò magis ædificium Iustificationis concedi debet; dextera fecit opera Creationis, sinistra opera Iustificationis: vel quia Mundus in maligno positus est, & vti magnes Septentrionem, ita hic semper sinistrā versùs dirigit cursum: vel quia Iustificatione Christus è sinistra ad dextram transtulit, ideòque affixa clauo sinistra, ne iustificati sinistræ maledictæ includerentur. A-

1. Co: 3.
Eph: 4.

cutum opus Iuſtificationis, laborantem in ædificio læſit; clauus manum Domini, vel potiùs miſericordia cõglutinauit per ferrum ligno, ne feriret, mitteretque in ſiniſtram; vel cũ S. Auguſtino: *Extẽdit brachia ſua in cruce, & expandit manus ſuas, paratus in amplexus peccatorum*: corrigendo noſtram ingratitudinem dexterâ Creationis, ſiniſtrâ Iuſtificationis beneficium, ligno Crucis inhærentibus manibus renouando. Hoc fortè & ſponſa in-
Cãt: c. 2. nuit, elocuta: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Lęua
Pſal: 36. ſub capite: nonnè *In capite libri ſcriptum eſt de me,* (Dauid loquitur) *vt facerem voluntatẽ tuam, Deus meus; volui & legem tuam in medio cordis mei.* Sub iuſtificati capite eſt lęua ſponſi, quæ executionem voluntatis Diuinæ edocet. Suauiſſimè quieſcit, puluinaris inſtar, manus Domini: *Iuſtus enim ſi ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* In paſſione, lęua Chriſti dolore nimio fuit cruciata, ſub eius ſpinoſo capite Iuſtificationis noſtræ o-

pus e-

pus exercebat, non delicatè ergo caput reclinauerat: Quid mirum? si lęua vel ſiniſtra Chriſti, fuit, & eſt ſub capitibus Martyrum, vel Confeſſorũ, minus iucunda? qui longis cruciatibus & mortificationibus eruditi, amanter ſiniſtram Chriſti & dolorem ſiniſtræ ſuppoſuerunt, quos dextra æternitatis ſolatio amplexa eſt, nec finis vnquam amplexûs. Iuſtificatio opus Saluatoris, fabricaq; manu ſiniſtra in Cruce elaborata, & rubeo decorata ſanguine. Anima, clama ad Redemptorem: *Opera manuum tuarum, Domine ne deſpicias.* Conſumare, & perficere velis per Iuſtificationem opus meæ ſalutis. Adde ſuſpiria & lachrymas, quibus gratiam Dei obtinere poſſis. Mera certè eſt illa, quæ, *Præuenit nos, vt bonum velimus: concomitatur, vt bonum incipiamus: cooperatur nobiſcum, vt bonum perficiamus.* Conſidera dictum Salomonis: *Sapientia ædificabit ſibi domum.* Quis melior Architectus, quàm Sapientia? Errare non poteſt, ſumptus non deſunt, apparatus in-

Pſal: 137.

S. Bernar: de timore.

Prouer: c. 9.

 prom-

promptu; materia, forma, ad manum; non indiget longitudine temporis ad consummationem ædificij: *Quâcunq; horâ ingemuerit peccator.* Vno suspirio domus extruitur à sapientia; & sibi ædificat, vbi residentiam fixam & perennem constituat. Sed proh dolor! quoties ædificium tale diruitur à vẽtis Borealibus, libidinum, concupiscentiarum, & vanitatum? Tamen non cessat ab opere sapientia, donec iustificationis structuram inchoatam perficiat. Vt maiorem campum beneficij Iustificationis, Anima, agnoscere possis, reliquis quinq; Capitibus discurras, suspirioq; eucharis ad contemplandam infinitam Dei clementiam, ædificiumque Iustificationis, quod Deus æternitati construit. Ad quodlibet ædificium necessarium est priùs bonum, & immotum fundamentum. In Iustificationis domo, est fundamentum *Fides*. Parietes & columnæ emittuntur extra terram: In Iustificationis domo talis, remotâ omni hæsitatione, est *Spes*. Tectum

defendit ab omnibus tempeſtatibus ædificium: Sapientia *Charitatem* pro tecto aſſumit. Alio modo ædificat etiam ſapientia ſibi domum propriam, per inſpirationes internas. Ad extremum, per diuerſas ædificat ſapiētia vocationes, præcipuè ad ſtatum Religioſum, in quo ſub varietate colorum & regularum, ſimile ædificiū conſurgit, ſtructuraque ſapientiæ excreſcit. Ad oſculum ergo, Anima, ſiniſtræ manûs perforatæ diro clauo, accede, & ora; quatenus hoc beneficium Iuſtificationis comprehendere gratitudine queas, vt & ipſa verum efficiaris Domini tui ædificiū, & imponaris in cohabitationem manſionis æternæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.

De fundamento Iuſtificationis, Fide.

CAPVT II.

FVndamentum, & principium Iuſtificationis, eſſe Fidem, omnium

Catholicorum Iudicio approbatum scio: *Sine fide impoßibile est placere Deo*; S. Pauli dictũ. Licèt nescio quæ perfectio bonorum operum ædificet Iustificationem, corruet: fundamento non solido posito, quid expectatur nisi ruina? Fides vera, vnica est; fundamenta igitur non multiplicanda: vnum fundamentum Iustificationis, *Fides*, quæ est fundata supra firmissimam petram Christum. Hic est lapis angularis structuræ tam sublimis, teste eodem S. Paulo: *Iam non estis Hospites & Aduenæ, sed estis Ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo* IESV. Describit triplex genus hominum, fundatorum suprà lapidem angularem Christum, Aduenas vel hospites, Ciues, Domesticos. Aduenæ sunt *Ethnici*, vnum Deum colunt, non scrutantur mysteria fundamenti, ibi desunt in ædificio: Velut Romani, qui fingebant & multiplicabant Deos ad voluntatem, tanquam hospites præ-

Heb: 11.

Ad Eph: 2.

tereun-

tereuntes, in alia atque in alia hospitia Deorum transeuntes. *Athei* sunt aduenæ, vix Deum nôrunt, Animæ cum corpore interitum credunt, terrena sola solatia Epicureâ voluptate prædicant, fundamentum in hac vita vltimarium iaciunt, nec vlteriùs in ædificio progrediuntur. *Arriani* sunt aduenæ, Christum cum Diuinitate in terras aduenisse, errore crasso, asseuerant, inuerso fundamento. *Caluini* sunt aduenæ, nouam fidem subtilitate falsâ stabilientes. *Lutherani* sunt aduenæ, libertatem licentiosam viuendi concedentes, certum cœlum solis meritis passionis Christi promittendo. Omnes denique *Sectæ* sunt aduenæ, vel quòd permutatione in varia dogmata alia aliam interimat; vel quòd diuersi diuersa affirmantes, nũquam inter se conueniant. Vt non immeritò quidam Poëta alludendo, multiplicitatæ fidei, non augendas, sed minuendas fides optârit versu:

Non augẽda fides, potiùs minuẽda videtur Iou: lib:3.
Vix cũ sint homines, tot quot in orbe Fides.

Sortitur sibi quisq; fidem, sibi quisq; Magistrũ,
Nunquam plus fidei, perfidiæq; fuit.

Anima Catholica Romana per Fidẽ, non aduena vel hospes est, sed Ciuis, & domestica Dei. Ante Baptismum quidem, cum Propheta Regio fateri debuit: *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes Patres mei*; qui originali peccato maculati, ad Iura Ciuitatis, & domesticorum Dei, non erãt admissi. Post Baptismum incorporatur Anima fundamento Ciuitatis cælestis Hierusalem, dupliciter: vt Ciuis, vel vt domestica Dei. Ciues quãuis sint subditi, rarò ad conspectum Dominorum admittuntur, nisi aliqua necessitas relatiua, vel Iudicium & Lis comparere faciat (& tamen non absque timore & reuerentiâ) ante Heri vultum: occupati sunt negotiationibus, tributum soluunt, laborant in commodum Regis, vel Domini proprij. Sæcularis vocationis & Iustificationis Animæ, sunt Ciues: si aduersitas & morbus premat, tũ primùm orationi vacant, & audientiæ

Psal: 38.

Diuinæ comparent: vel si Deus per mortem vicinam ad Iudicium aduocat Ciuem talem, præparat se cum summo timore; vti S. Gregorius ait: *Aperire Iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat: & videre eum, quem contempsisse se meminit, Iudicem formidat.* Homil: 13. in Euã. Satis facit interim præceptis Ecclesiæ, eleemosynis, & promotione cultûs Diuini, vtilitati Dei seruit. Domestica Dei est Anima, in statu Spirituali constituta; ingressus in interius cubiculum Principis semper illi patet. Dauid Rex Domesticus & Cubicularius fuerat Altissimi; in varijs Psalmis describit prærogatiuas Domesticorum, de ingressu in Cubiculum: *Introibo in potentias Domini, memorabor iustitiæ tuæ solius.* Psal: 69. Vigilant ad fores Domestici: *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Ibid. Emundant Cameram Domini: *Exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Psal: 76. Audiunt loquentes Dominos: *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Ibid. Adhærent illis semper: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Psal: 84. Dormiunt in Pa-

latio:

Pſal: latio : *In pace in idipſum dormiam & re-*
4. *quieſcam.* Expectant ſolutionem la-
Pſal: borum : *Inclinaui cor meum ad faciendas*
118. *Iuſtificationes tuas, propter retributionem.*
Pſal: Et alibi : *Retribuet mihi Dominus, ſecun-*
17. *dum iuſtitiam meam.* Præponuntur gu-
Ibid. bernationibus, & regunt alios : *Con-*
ſtitues me in caput gentium : Populus quem
non cognoui, ſeruiuit mihi. Mittuntur à
Dominis, vt itinera conficiant celeri-
Pſal: ter : *Viam mandatorum tuorum cucurri,*
118. *cùm dilatáſti cor meum.* Rege ingrediẽte
Palatium præcurrunt, & portas ape-
Pſal: riunt : *Attollite portas Principes veſtras, &*
23. *eleuamini portæ æternales : & introibit Rex*
gloriæ, & Rex virtutum. Ornant, & peri-
Pſal: ſtromata affigunt in Palatio : *Domine,*
25. *dilexi decorem domûs tuæ : & locum habi-*
tationis gloriæ tuæ. Apponitur à Domi-
nis cibus & potus ad menſam illorũ :
Pſ:22 *Paráſti in conſpectu meo menſam.* Et: *Calix*
Ibid. *meus inebrians, quàm præclarus eſt?* Et ali-
Pſal: bi : *Potaſti nos vino compunctionis.* Item :
59. *Edent pauperes, & ſaturabuntur : & lauda-*
Pſal: *bunt Dominum.* Benè tractantur dome-
21. ſtici Dominorum. Iurant in ſecreta

Regum:

Regum : *Iuraui, & statui custodire iudicia* Psal:
iustitiæ tuæ. Et : *Seruaui mandata tua, &* 118.
testimonia tua. Rogant Dominos de Ibid.
singulari aliqua gratia obtinenda : *V-* Psal:
nam petij à Domino, hanc requiram; vt inha- 26.
bitem in domo Domini omnibus diebus vitæ
meæ : vt videam voluptatem Domini. Si re-
darguuntur à Domino, pudorem con-
trahunt : *Tota die verecundia mea contra* Psal:
me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. 43.
Excitant Dominos si auxilio indige-
ant, vel si quid infausti præ manibus :
Exurge, quare obdormis Domine. Et : *E-* Ibid.
xurge Domine, adiuua nos. Munera of-
ferũtur à domesticis sæpiùs Dominis:
Afferte Domino gloriam & honorem : affer- Psal:
te Domino gloriam nomini eius. Cùm Rex 28.
transit, reuerentiâ colunt Dominos:
Adorate Dominum in atrio sancto eius. Ma- Ibid.
ximum onus, & acceptabilis reuerẽ-
tia, reddere vero Deo gloriam. Se-
creta audientia permissa domesticis :
Meditatus sum in omnibus operibus tuis : & Psal:
in factis manuum tuarum meditabar. Ve- 142.
stes dantur nouæ domesticis, maxi-
mè si sint attritæ : *Conscidisti saccũ meũ,* Ps:29

& cir-

& circumdedisti me lætitiâ: Splendida vestis. Hæc omnia operatur fides, nã iustus ex fide viuit : hæc confidentia domesticorum, fundatorum supra fũdamentum angularis lapidis Christũ.

Ad constituendum ædificium firmissimo fundamento opus. sex potissimum requirũtur ab Architectis causæ, ad bonum fundamentum. *Prima*: Electio terræ pinguissimæ, vel petræ. *Secunda*: Materia calcis & laterum excocta. *Tertia*: Fortitudo etiam cõtra insultus hostium, fundamento dirigitur ædificij. *Quarta*: Profunditas fundamẽti proportionata structuræ. *Quinta*: Duratio fundamenti in multa sæcula prætenditur. *Sexta*: Altitudo consideratur fundamenti, vt etiam aliquot contignationes illi superstrui commodè possint. Applica, Anima, ad fundamentum Fidei Catholicæ, Natiuitatem Christi.

Prima: Terra fructifera fuit Bethlehem Domus panis, vbi lapis angularis positus Ecclesiæ, Dominus natus, tellus pinguefacta à bestijs, ideò in sta-

bulo, à quibus Deus agnitus, & à Pastoribus vigilias noctis super gregem exercentibus, Pabulum præsens, & hominibus Bos, & ad comportanda victualia Asinus; & ad pascenda iumenta in Præsepio fænum. Venerat ille, de quo dictum: *Homines & iumēta, saluabis Domine.* Aderat Mater & Virgo simul, gratiâ plena, in qua licet Virgine, lac inueniebatur. Lacte ergo & melle terra abundans, lactauit sacro vbere Virgo infantem. Mellis copia in suauissimo nomine IESV: *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Non Samson solus, omnis creatura ratione pollēs, in Leone qui vicit de tribu Iuda, inuenit dulcedinem; ex forti hoc Leone, exiuit dulcedo. Profitetur hoc S. Bern: IESV *decus Angelicum, in aure dulce canticum: in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum.* De comedente exiuit cibus; Homo factus, comedit cum peccatoribus: exiuit ille cibus, cùm diceret: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et: *Qui mãducat hunc panē, viuet in æternū.*

Psal: 33.

Cāt: 4.

Ioā: c. 6.

Fun

Fundamentum certè fertiliſſimum, terra, ſtructuræ iuſtificationis per Chriſtum, tãquam lapidem angularẽ.

Secunda Materia, cõſona terræ, calx & lateres excocti: calx non eſt aliud, niſi innocentia vitæ, puritas, caſtitas.
Sap: 4. Inde canit Edæſia: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Potius Virgo parere debuit, quàm violari caſtitas. Superædificatur hac calce & fũdamento, ædificium. Multi vtriuſq; ſexûs viri & fæminæ, calcem amplexi hanc, albedinem videlicet caſtitatis, prætulerunt delicijs mundi: in igne calx elaboratur, charitas efformatio caſtitatis, quæ ſimul & aliorũ operum puram intentionem elicit: ſola enim caſtitas, nõ perfecta; quinque virgines fatuæ cũ caſtitate excluſæ ianuâ à Sponſo. Et S. Greg: dicit:
Hõ: in Euãg. *Nec caſtitatem eſſe rem magnam abſq; bono opere: nec bonum opus aliquid eſſe ſine caſtitate.* Lateres ad fundamentum ædificij adhibiti, arſerunt igne amoris, lapis angularis rubet igneo amore: *Di-*
Cãt: c. 5. *lectus meus candidus & rubicundus.* Can-

didus

didus castitate, puritate, vt calx: rubicundus amore; vti lateres propter nimiam charitatem suam, quâ *Dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Rō: 8. Similitudine peccatoris flagellis ruber; re ipsa amore ita excoctus, vt clamaret, *Sitio.* Apostoli, Martyres, voluntarij Mortificatores, Confessores, bene cocti lateres clamabant: alter, *Nouerim te Domine.* Alius: IESVS *amor meus, & nil amplius.* Alius: *Satis est Domine, satis est.* Alter: *Quàm sordet mihi terra, cùm cœlum aspicio?* Alter: *Cupio anathema esse pro fratribus meis.* Alter: *Domine, hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.* Alter: *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Psal: 30. Bona materia, & aptè collocata per manus Artificis. Fundamẽta sectarum, quæcunque fuerant & erunt, non ita permanẽt: vbi sunt Pharisæi, Saducæi, Essei? vbi Nicolaitæ, Pelagiani, Manichæi, & fæx similis? Arrianum caput, vt hydra, renascitur quidem: at angulis se continet, infamique plebi, & occultis pudore & ti-

more

more cordibus insidet, toties condemnatum, Sibilis veritatis exclusum? Lutherana vacillat: Caluina mutat, vix centum Anni, & diuersa ab originali prodeunt volumina, nouis erroribus vel tollendo præterita, vel sinuosè glossa corrigendo. Conuenit
Psal: illis: *Defecerunt in vanitate dies eorum,*
77. *& anni eorum cum festinatione.* Vbi calx præparatur Sectarum? In stercoribus & pluuiosâ terrâ, vel potiùs in vino & crapulâ: tali fundamento vita coinquinatur. Vbi lateres charitate purgati? Sanguine Imperia stabiliunt, aliena rapiunt, Ecclesiastica bona sibi vsurpant, defensores malorum operum, oppressores pupillorum. Apage, corruet fundamentum cum Dathan & Abiron, terrâ opplebuntur, & cum sonitu peribunt. Contrà, materia Fidei Catholicæ Romanæ fundamenti, triumphando patitur, & patiendo triumphat. Sicut enim Fides omnium virtutum est fundamẽtum: ita fidei fundamentũ, Natiuitas, Circumcisio, pucrilis ætas Christi, ex

eadem materia, quæ in superficie ædificij est, fundamentum ponitur simile: *Plateæ & muri eius, ex auro purißimo, & portæ nitent margaritis*; in structurâ. Non diuersa pulchritudo fundamenti, aurum charitas Christi purissimum: vt autem sicut verus homo factus fuit, ita vero auro inchoaretur fundamentum; tres Reges offerunt aurũ pro fabricâ fundamenti, se ipsos prò mystico Gentium, super lapidem angularem, fundamento. Nec defuêre Margaritæ, Adamantina innocentiâ splendente fundamẽtum ornatur, Adamas non, nisi sanguine diuiditu hirci. Vt aptaretur hic Adamas, corpusculum Redẽptoris, sanguine Circumcisionis scinditur, & imponitur fundamento. Sapphirus cœlestis coloris aduectitius lapis: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Ibidem collocatur Rubinus lapis: Sanguis idem innocens lucet in fundamento. Smaragdus vel viridis fæni color, vel quod in Christi & dorso, & viridi Paßionis futuræ, fabricaturi erãt peccatores dorso na-

Luc: 2.

Psal: 128.

ti; vti

ti; vti verba Saluatoris sonant: vel quod Hyems errorum transijt, & Ver gratiæ viridis in cunabulis apparuit. Insignis, firma, & pretiosa materia fundamenti Fidei Catholicæ.

Tertia: Fortitudo ædificij, etiam cōtra Hostium impetum, fundamēto efficitur. Victoria Christiana, in Fide est. Non absque mysterio conscribebatur vniuersus Orbis, fūdamēto Fidei in Natiuitate Redemptoris incipiente: Belli finis, Pax. Victoria & Pax, simul fundata cum fundamento Fidei, præfigurabat victoriam per Fidem. Ipsemet Christus, Fide propalatâ mundo, vicit mundum. Appositè S. Bernardus: *Hæc est victoria, quæ vicit mundum, Fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur: Fidem in nobis mundus in maligno positus odit, atq; persequitur; Fide quoq; vincitur; sicut scriptum est: Sancti per fidem vicerunt Regna. Quidni attribuatur Fidei victoria, cuius est etiam vita? Iustus, inquit, ex fide viuit.* Fortis est Fides, quam triplicem idem S. Bernar: assignat: *Aliam præceptorum, aliam signo-*

De fide, c. 88. in Floribus.

rum, aliam promissorum: id est, qua credimus in Deum, quâ credimus Deum, quâ credimus Deo. Credere in Deum, est in eũ sperare, & eum diligere. Per fidem signorum, credimus Deum, qui talia potest, & omnia potest. Per Fidem promissorum credimus Deo, qui quidquid promittit, veraciter complet. De Fide præceptorum, oritur spes veniæ: de fide signorum, spes gratiæ: de Fide promissorum, spes gloriæ. Sub tali Duce quis resistet? In exordio Fidei, multa millia Innocentum superârunt militiam Hærodis Regis potentis. Describit hanc victoriam S. Augustinus: *Aliorũ pretiosa mors Martyrum, laudem in confessione meruit; horum in consummatione complacuit: quia incipientis vitæ primordijs, ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit.* Et alibi amissam pugnam mundi insinuat, cùm mœrorem eius interfectione Innocentum notat: *Nascente Domino luctus cœpit, non cœlo, sed mundo; indicitur Matribus lamentatio, Angelis exultatio, infantibus transmigratio. Deus est qui natus est; Innocentes illi debentur victima, qui venit damnare mundi*

Ibid: de fide.

Ser: 10. de Sanctis.

Ser: 1. de Innocent.

mali-

malitiam. Mira fides, & miranda victoria! Per tot centenos annos, & Hæreses, & Arma, & calumniæ, & mortes, telis inuidiæ petunt fundamentum Fidei: nihil tamen proficiunt, cum ignominiâ & confusione recedunt. Stat fides immota, stabitque ad consummationem sæculi: sanguine cœpit fundari Ecclesia; sanguine propagatur; sanguine nutritur; sanguine finietur in mundo. Fortissimũ fundamentum eius Christus lapis angularis, iungitur Natiuitati lapis primus: super lapidem Christum Protomartyr Stephanus, lapides sanguine proprio miscet iniectos albæ calci innocentiæ, rubeoque lateri sanguinis, velut strictissimo glutino, superædificat primus. Sequuntur & alij

Heb: 11. Martyres: *Secti sunt, lapidati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* In fine Elias & Enoch, cõsummabunt sanguine structuram hanc, Fidei fortitudine vt fũdamento eleuatam.

Quarta: Profunditas fundamenti proportionata. Ecclesiæ ædificium

in cœlum vſque erigi debuit, fundamẽtum ergo è ſummâ eductum profunditate, à terra ad cœlum, quanta diſtantia! Dei ad hominem, quàm remota ſimilitudo! è ſtabulo ad ſedẽ Dei, Geometrica linea menſurando deficeret. Eo vſque fundamentum profunditate depreſſum, vt in ipſo cẽtro terræ (exemplo formicum in mũdo, in quo ſupplicio deſtinati detinẽtur) Infernali cauernæ vagabundum Dæmonem catenis ligatum, incluſerit Chriſtus, captiuitatis locum deſignando, & ex camera miſericordiæ egreſſus poſt Paſſionem, in imum fũdamenti deſcendens, Patres captiuos è lymbo eduxerit. Quanta à cœlo ad lymbum; tanta Fidei fundamẽti profunditas: imò tanta, vt cœlum & terra, intuendo in fundamento, diſtantiâ loci cauſante, poſitum Infantulum paruulum, dixerit: *Paruulus datus eſt nobis.* Tanta profunditas, vt & in ſæculo, & maior in cordibus hominum eſſet nox, ad ponendum lapidem primum, lux è cœlo ab Angelis appor- Iſa: 9.

tari debuit: Pastores aduocati tanquam testes, vt nocturni fundamenti iacti certitudinem comprobarent. Erat alta nox, asserente Scripturâ:
Sap: 18. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret.* Adfuit lapis fundamenti. Tu, Anima, si in tenebris sedes, neque exercendis bonis operibus vacare potes, accipe lumen Fidei: *Sicut is qui noctu, & flantibus ventis, lucernam manu tenens iter facit, opponit manum lumini: Ita* (& tu Anima) *oppone manus bonorum operum sanctæ Fidei, ne ventorum flatibus, qui Regionem istam* (id est Mundum) *perflare cœperūt, extinguatur, &* (te) *tenebræ comprehēdāt.*

Quinta: Respectu altitudinis ædificij, correspondens fundamentum. Tres contignationes structuræ Ecclesiæ per Christum, ad instar aërearum Regionum. Si iustificati per Fidem, actiones etiam naturales ad honorē Dei peragunt, siue dormiant, vigilent, ambulent, referentes ad voluntatem Altissimi, indeq; retributionē expectantes; in prima Regione sunt.

Si con-

Si contemplatione, suspirio, fletu, compunctione eleuantur à terrâ; in secunda Regione manent: ruat mundus, fulminent inuidiæ, horror mortis terreat, non commouebunt Animam, cœlo per fidem coniunctam; cum Rege dicent: *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Psal: 45. Lapis angularis Christus, fundamentum Fidei nostræ, audacter Iudæis, cùm capiendus esset, obuiauit, allocutus: *Ego sum:* Iudæi abierũt, & ceciderunt retrorsum. Ioã: 18. Non aliter tu, Anima, fundata in Fide, ingruente tentatione loquaris; Dæmone, mũdo, & carne, ad capiãdum te paratis: *Ego sum* Catholicus in Fide nutritus, confirmatus; faciamnè hanc rem indignam vocatione meâ? retrorsum cadent, abibunt tentationes, & tentatores: & licet Christus capi se permiserit; ideò factum, ne tu incideres in laqueum, vinculis proprijs robur, veluti alteri Samsoni, Spirituale tibi promerendo. Si vltrà res creatas se extollant, in tertia Regione compa-

rent; in ipso cœlo scilicet, vbi nulli turbines, nec venti, nec pluuiæ in perpetuum. Altitudinem Fidei exprimit S Bernardus: *Attingit* (Fides) *inaccessa, deprehendit incognita, comprehendit immensa, apprehendit nouissima: ipsam deniq; æternitatem, suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit.* Fundamentum nostrum Christus, è præsepio ad mõtes Euangelizando; è montibus ad Crucem, pœnas sustinendo; è Cruce ad cœlum, gloriam assequendo, altitudinem Fidei mensuratam reliquit.

Sup: Cãt: ser: 76.

Sextà: Duratio fundamenti nulla perennior, fundamento Fidei Catholicæ. Nescio quarum structurarum antiquarum vix rudera apparẽt: Hoc viget vsque ad mundi finem. Exurgant capita Hæreticorum, & successiuo errore opprimere nitantur fundamentum Fidei nostræ, frustrà laborabunt: Lapis angularis Christus, est Petra; rumpere Petram creatam non potuit nisi mors Christi: rumpere Petram increatam non poterit, nisi Iudicium Christi. Petra fortior; rupit Pe-

tras debiliores, sola morte: Petra vera solidatur morte Iustificatorum. *Non minuitur* (inquit S. Leo) *persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper ager Dominicus segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Et Bellarminus ait: *Nec fieri potest, vt illa Ecclesia non sibi constet, quæ ore Apostolico, columna & firmamentum veritatis, appellata est, & quæ Pastorem & Doctorem sequitur eum, cui dictum est à Veritate: Ego pro te oraui, vt non deficiat Fides tua.* Ingens iam agnoscendo beneficium Iustificationis, Anima, per fidem; age Redemptori gratias, qui te in Arca Noë Fidei suæ, per diluuium variarũ Hæresûm, saluare decreuerit: gemitu, suspirio, lachrymis, promoue te ad Iustificationem consequendam. In fundamẽto Fidei nostræ, quot gemitus, cùm pauper & inops nasceretur Saluator, emissi! Puer natus, frigore & penuriâ coactus, gemebat: mater præ cõpassione, & intrinsecâ consolatione, suspirabat: Ioseph præ admiratione anhelabat: Pastores præ

Ser: de S. Petro, & Paulo.

De verit: Cathol: Doctri. Cõ: 4

Luc: 22.

ſtupore, ſingultus lachrymis intermixtos edebant. Facito, Anima, fundamentum in te conformatum, pauperi Chriſto, & ei condoleas pro te algenti, quo iuſtificationis beneficiũ conſequeris. Oſculare illam exiguam manum ſiniſtram Redemptoris, qua poſteà cruentata in Cruce, promeruit tibi Iuſtificationem, transferendo ad dexteram fælicis prædeſtinationis. Iam de ſpe Iuſtificationis ſuccedet Caput, quæ eſt velut paries & columna ſtructuræ Eccleſiæ.

De pariete, & columnis Iuſtificationis, Spe.

CAPVT III.

SI Architecto firmum ædificij fundamentum videtur; nihil non audet ſuperſtruere, altitudinem, latitudinemq; coæqualem ſuppoſito ſecurè propellit; parietem, columnas, eâ qua vult craſſitie, educit. Fundamẽto Iuſtificationis Fide conſtituto, Na-

tiuitatique Christi conformato, Spes Christiana in altum extollitur, Parietis, columnarumq; similitudine ap- appropriata. Ad rem Bellar: *Iacto Fidei fundamento, Parietes Spei erigendi sunt: nec enim secus à Fide nascitur Spes, ac parietes à fundamento surgunt.* Et infrà: *Hic est eximius fructus huius præclarissimæ virtutis* (Spei) *vt hominem præsentem, robustũ, fortem, erectum efficiat; & à laboribus difficultatem, à doloribus pœnam, à felle amaritudinem, ab ærumnis & calamitatibus, mæstitiam, & animi deiectionem auferat: & ij quidem, qui in actione inter homines versantur, current, & non laborabunt: Illi verò qui in contemplatione rerum cælestium, & Diuinarum versantur, volabunt, & non deficient.* Cõc: in Assũpt: B. D. M. p. 1. Post parietem nostrum Christus prospicit, teste Sponsa: itaq; rectam Spẽ vitæ Chtisti accommodabimus. Cãt: 2. Vt enim ventorum rabies, pluuiarumq; guttæ, pariete impediuntur ne noceant: ita insultus Infernalium tempestãtum, tanquam pariete, imitatione vitæ Christi repelluntur; lædereque Iustificarionis progressum prohiben-

tur. Contrariò: Spei impiorũ si quis innititur, velut parieti inclinato, & inani confidentiæ, destituetur, & casu parietis conteretur. Sectarum omnium sectatores lactãtur vanâ spe, Caluini & Lutheri, aliorumq; simili parieti confisi. Ah miseri, audite Sapientem loquentem de Architectis huiusmodi: *Spes impij quasi lanugo est, quæ à vento tollitur; & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffusus est; & tanquã memoria hospitis vnius diei prætereũtis.* Omnes inuentores Sectarum, extra Doctrinã Christi præterierunt, & prætereunt; memoria eorũ delebitur, & sicut candelæ deficiente lychno, extinguẽtur. Instruunt, solam Passionem Domini sufficientem ad salutem esse? At vita quoque Christi sequenda proponitur; ipsemet Saluator toties inculcat: *Exemplum dedi vobis; &c.* Et quidem omni statui prototypon verum, vita Redemptoris. Si solâ Eremo inclusus foret: Monachis tantùm & Religiosis facem imitationis accendisset.

Sap: 5.

Ioã: 13.

Si ſolis Concionibus, reprehenſioneque mores correxiſſet: Statui Eccleſiaſtico, & Prædicatoribus, ſequendū ſe apertè iuſſiſſet. Si nuptijs ſolummodò interfuiſſet: copulam Matrimonij præſcribere omnibus viſus eſſet. Si Conuiuijs tantùm peccatorū adfuiſſet, ea probâſſe conuinceretur. Omnibus locis præſentia eius, & fructum ſpiritualem attulit, & ſequellā vitæ appoſuit: communē vitam elegit, vt communem ſalutem omni ſtatui à Deo propoſitā interpretaretur. Quæ ergo ſpes ex vitâ Chriſti ? Imitatio eius; hinc enim ſequetur quod ipſemet dicit: *Vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.* Ioā: 12. Qui imitatur Chriſtum, ſequitur illum: hæc ſpes non cōfundit. Ieiunauit ergo, vt nobis meritum Ieiunij commendaret: orauit, vt efficaciam orationis explicaret: fleuit, vt luctum præ gaudio eligēdum perſuaderet: fatigabatur, vt otium fugiendum declararet: bene fecit omnibus, vt nobis bene merendi de proximo doctrinâ præiret: dimiſit iniu-

rias, vt vindictam è cordibus nostris eradicaret: omnibus liberum ad se accessum præbuit, vt elationem animi à nobis auerteret: Paupertatem coluit, vt diuitias contemnẽdas esse, exemplo proprio instrueret: Contemni, & malè tractari voluit, vt honoribus, & ambitioni augendæ, in mundo viam intercluderet. Iam, Anima mea, si recollectione intrinsecâ aliquid ex virtutibus Christi vitæ commune habes, aspires certâ spe ad Iustificationis ædificium. Pariete & columnis cõsurgit structura. Christus enim est vera spes, non ad normã prouerbij mũdi: *Spes alit & fallit*. Alit certè Redẽptor quia omnipotẽs; sed nunquam fallere potest, quia infinitè verax. Alit te, Anima, rebus omnibus caducis; alit gratiâ suâ; alit Venerabili Sacramento Corporis & sanguinis proprij; nõ fallit veritate ipsâ
Mat: 24. docente: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Quid? res promissæ decipientnè? si verba cœlis immota, & deletâ fabricâ mundi, in-

teritum non agnoscent. Mūdo quarto modo proprium, alere & fallere: Ideò spes impij, lanugini & spumæ comparatur: *Quid faciliùs cadit quàm lanugo? quid faciliùs dissipatur, quàm spuma? si opes fures diripiant, vbi erit spes Auari? Si propter aliquam, siue veram, siue falsam suspicionem, à gratiâ Principis aliquis excidat, vbi manebit spes ambitiosi?* Sed durent hæ spes durante vitâ totâ, quanta longitudo? Caminus emittit fumum ea altitudine quâ ipse est: pari ratione spes impij non diu durat, vitâ deficiente. Spes omnis, quæ in opibus, honoribus, posita fuerat, tanquam paries corruit: spes, tanquam vnius diei præteriens hospes, non ex Deo, mundi est. Similitudine eleganti Bellarminus dictū Sap: accōmodat de hospite prætereūte: *Cùm amicus aliquis, quē multis ānis nō vidimus, iter faciēs, ad nos diuertit: quo apparatu, quâ lætitiâ, quo studio illū excipimus? Nihil loquimur, nisi de eo: nihil cogitamus, nisi de eo: nihil agimus, nisi pro eo. at postquā die sequēti recessit, alia negotia occurrūt animo, & statī amici hospitis*

Bell. in Cōc: de Assūpt: B. M.

Ibidem.

obliuiscimur. Ad eundem modum, cùm in hunc mundum ingredimur, qui non domicilium, sed hospitium est: continuò ab amicis, affinibus, opibus, honoribus, voluptatibus, tã- quam hospitio excipimur; omnia nos circumstant, omnia ad se capienda & cumulanda inuitant. At vbi mors, quasi nox quædam, vitæ diem claudit, nosq; de hospitio recedere cogimur: omnia nos deserunt, & domum æternæ obliuionis ingredimur. Spei verò bonæ domicilium, est æterna & felix æternitatis fælicitas: tali spe dilectus Deo Rex, ædificauit sibi in Palatio Iustificationis cameram quietam, separatam, & sibi soli reseruatam, Columnis & Parietibus bene firmam, à qua ipsemet clauem portaret, dicẽs: *Quoniam tu* (Domine) *singulariter in spe constituisti me.* Quare Sancte Coronate singularem spem tibi fabricâsti? Quæ tua inibi occupatio? Designârat mẽ-
Psal: 4. te & verbo, ante causam: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Spes certa, & parieti Christi innixa, conciliat somnum suauẽ: hæreditatem Domini spe deuorauerat; hinc optimè dormi-

erat exclamando : *Cùm dederit dilectis suis somnum : Ecce hæreditas Domini.* Falsa spes non habet requiem, turbationem parit, omnia timet, omnia suspicatur, omnia expectat trepidè ; quæ disparitas timoris cum spe incerta ? vnum idemq; est. Maxima spes mũdi, horam vnam post mortem tranquillam promittere non audet. Refertur de quodam Aulico, à delitijs Regis cuiusdam, celebri in vitâ, vicino morti, indoluisse Regem : legatio mittitur, omnia necessaria promittens ad vitæ conseruationem, gratiam Domini pollicens, luctum non celans. Ad hæc æger : Re aliâ prorsus non indigeo, nisi si mori mihi cõtingat, hospitiũ statim vnius diei securũ destinari à Principe, loco omnium cupio gratiarum. Subrisit Rex responso dato, post mortem, nec sibi, nec alijs prodesse se posse. Tum agonizans, stultitiæ propriæ improperando, lamentabili voce profert : Quanto labore, & vitæ fortunarumq; dispendio, merui fauorem talis Princi- Psal: 126.

pis, qui

pis, qui morti, mortuoq; succurrere non valet: & illi nullo me obsequio alligaueram, in cuius manu vita, vel mors perennis: fata si filum vitæ extendent, ei mancipare me intendam, cuius ope, & vita, & mors intrepidè decurritur. Conualuit, intentum effectu confirmauit; vitâ austerâ mortem benignam consecutus. Spes carnis, pondere corporis velut grauitate ad ima animam trahit. Vt S. Bernardus ait: *Traxit animam corpus in regionem suam, & ecce præualens opprimit peregrinã; factum est nempe talentum plumbi, non aliunde tamen, nisi quia sedet iniquitas super illud: corpus enim aggrauat animam, sed vtiq; quod corrumpitur; corrumpitur autem, imò etiam, Apostolo teste, mortuum est propter peccatum.* Spes mundi, carnis initiũ sumit ex corruptione: Physica docet ex terrâ Metheora generari, ideò recidunt in terram; vagetur spes vana paululum in aëre, similiaq; spei certæ exerceat, resoluetur postremò in carnem, terramque stillicidijs voluptatum, ac honorum, repetet. Dicere au-

Ser: in festo S. Martini.

re ausim de tali spe, cum S. Bernardo: *In terra oritur, in terra moritur: reuertitur in eam vnde est assumpta.* Toto cœlo hæ duæ spes differunt. Rectè Drex: vocat veram Spem: *Gaudium ante gaudiū.* Falsa spes, est gaudium ante cruciatū. Prior Spes dilatatur ampliori augmēto, & gaudio sine fine: posterior coarctatur bienni rupturâ, quæ dolore æterno intercipitur. Prior est triplex, secundum Bernardum, ex fide procedens suo fundamento: *Spes veniæ, spes gratiæ, spes gloriæ.* Posterior etiam triplex, deriuata ex Fide caduca: Fide hominū sine fundamento, contemnitur spes veniæ, despicitur spes gratiæ, hinc ambigitur spes gloriæ; & tamen falsò promittuntur hæc omnia, non mirum, latissima porta Spei. Numeres mihi, Anima, & paucos calculos separabis, qui non putent se spe tenere cœlum? Etiam flagitiosissima vita, denegari vitam æternam sibi non permittet. Spes vera, cùm timore & tremore operatur salutem; considerat angustam portam, secundùm do-

Ibid.

De cælo.

Ser: de fide.

ctrinam

ctrinam Saluatoris: Spes falsa obturat aures mortalium, & latam portã ad cœlum sibi imaginatur. Tu, Anima, oculos flectas in Cruci affixum Dominum, qui videns multos non verâ spe pergere ad portam perditionis, sinistrâ manu cruētâ prohibet ad eam ingressum; toto impetu enim rueret homo in gehennam, nisi obstaret manus læua Christi. Quid ergo? si tantoperè arridet infælix porta mortalibus, obstaculum manûs sinistræ, vel subsiliendo, vel declinando remouere necesse erit. S. Greg: assultum talem, & incuruationem transitûs deplorat: *Sperando & desperãdo, homines pereunt: sperando malè in vita, desperando peiùs in morte.* Præuidit Redemptor tres hostes impellere ad portam Infernalem ingrediendam: Carnem, Mundum, Diabolum. Quid fecit misericordia eius? Manũ opponit Cruci clauo iunctam intermediam, carne carnem dehortando ab ingressu; ligno ligni noxam diluẽdo; clauo potentiam Dæmonis affigendo. O Anima,

Homil: 5.

ma, dum carnem Christi pro tuæ carnis salute respersam sanguine, cogitas: audebisnè delitijs eius assentiri? Tua culpa si peribis, vanitate transilies manum carneam Redemptoris; sarcinâ peccatotum deprimeris vltra manum, si vltra eam in fundum æternitatis malignæ introduceris. Anima, crede mundum ligni fructûs esu, malignum redditum, ligno vitam resumpsisse: Intuere hoc lignum, & mundũ supera. Si Constantinus Cæsar in signo ligni vicit hostes visibiles; & tu in hoc ligno triumphabis de mundo immundo: & vim senties ligni, cùm Dominus ad iudicandũ venerit, vt in dexterâ eius collocêris. Clauus Christi contra spiritus infernales validus, si Creatoris manũ detinuit, nec dimisit donec mortuo euelleretur: quomodo non coërcebit, & occludet vires Auerni! Hoc ipsum exprimere fortè voluit Dauid: *Factus est in pace locus eius, ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Pax in Cruce post mortẽ Domini; statim Psal. 75.

contra-

confractæ portæ Inferni; & clauibus Christi aperta occlusis in lymbo patuit porta; gladius ablatus, bellum sopitum, victoria obtēta, nullâ morte lacessenda: *Christus non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* In medio ergo portæ peruersæ, manus sinistra Christi est: si medio ibis, Anima, allides in manum, & pergere prohibeberis. Est etiam Christus Via, Veritas, & Vita: sed secreta, quæ hac eadē manu sinistrâ mōstratur. Saluator agit gratias Deo Patri, quod abscōderit viā à sapiētibus & prudētibus, & reuelârit paruulis. Etiam in hoc sæculo iter ignorant magni Principes. Rusticorum est monstrare viā, ad quam vi & fuste compelluntur. Difficilis hæc semita, & via secreta, quam sibi Propheta Regius ab ipso Deo indicatam fatetur: *Semitam meā, & funiculum meum inuestigásti, & omnes vias meas præuidisti.* Ante rogârat idem: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Quis conductor semitæ & viæ huius? Filius hominis,

S. Paulus ad Rō: 6.

Psal: 138.

Psal: 24.

abiectio plebis habitus, verberibus & cruce adactus ad commonstrandam, non aliam nihilominùs trabeã ostendit: *Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem post me, & sequatur me.* Eo absente, quis ductor viæ? Spes in Passione & meritis eius; etiãsi indigna merita animæ, & perturbationes sæculi immissæ turbarent cœptũ iter; si patienter tolerentur, vti Christus crucem tolerauit, non aberrabis à via cœlesti. E diuersò, mũdi lata via ad perditionem, nunc hyems est, nõ trãsibis nisi vero Vere æternitatis subsequente, cum Sponsa: *Iam hyems trãsiit, imber abijt, & recessit.* Hyeme vbi diffusior via, nisi ad syluam? Quis non præsumeret ad opulentam ferri Ciuitatem tam trito itinere? Interim quò vlteriùs pergitur, eò magis altitudine syluarum cõtegitur, & vel via amittitur, vel multitudine niuiũ perit tecta. In spiritu describit Dauid has duplices vias: *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Moritur iustus, sepelitur absque ceremo-

Mat: 16.

Cãt: 2.

Psal: 1.

nia: spes deducit eum viâ notâ Deo. Moritur iniustus, conditur albēti cerâ, perit memoria eius, & viâ ignotâ Deo, spe fallaci trahitur vnco supplicij. In vitâ Christi vera spes, imitatione concepta, verus & fortis paries: imitator intuetur per fenestram huius parietis, spe in cœlum; imò spe iam in cœlo habitat. Et hæc de pariete: iam reflecte te, Anima, ad columnas ædificij Iustificationis. In Prouerbijs, Salomon sapiens structuram admirandam cognouerat intellectu, dum inquit: *Sapientia ædificauit sibi do-*
Prouer: 9. *mum, excidit columnas septem.* Mirabile ædificium, quod septenario nō æquali numero constat: disparitas meritorum, disparitatem parit præmiorum. Hieremias Propheta, erat ferrea co-
Ier: 1. lumna: *Ego* (dicit Dominus) *dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnā ferream.* Columnæ sustinent pondus totius ædificij, obsistunt ingruētibus procellis. Hieremias multas tempestates expertus Iudæorum, veritatis cōstantiâ, quasi columna inperterrita

perman-

permansit. S. Lucia virgo ad locum inhonestum ducenda, veluti immobilis columna, moueri non potuit. Spes Catholica semper fixa, non deterretur supplicijs; non emollitur diuitijs; non frangitur blanditijs; non pertrahitur tentationibus; non turbatur afflictionibus; non variatur mũdi vanitatibus; nõ corrumpitur pressuris; non dementatur honoribus; nõ dissuadetur contemptibus; non eneruatur dilatione, ac diuturnâ expectatione solatij. Columnæ sunt quadratæ: Spes, quatuor nouissimorum consideratione, stabilitur. Columnæ sunt rotundæ: spes æternitatis meditatione solidatur, quam circumstat gratia Dei, iuxta Dauidem: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* At, Anima, vita Christi, & mandata eius, sunt veræ columnæ spei nostræ. Septem Sacramenta in ædificio Iustificationis, nonnè sunt columnæ, & bases spei? *Baptismus* columna prima, quæ aliorum voce & promisso extruitur. De hac S. Augustinus: Bapti-

Psal. 31.

sandi infantes portantur in Ecclesiã. *Et si pedibus illûc currere non possunt, alienis pedibus currãt vt sanentur: accomodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, vt veniant; aliorum corda, vt credant; aliorum linguam, vt fateantur: vt quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægrauentur; sic cùm hi sani sunt, alio pro illis confitente saluentur.* Secunda columna, *Confirmatio*, quæ militem Christianum, iam mente adultũ, robustum contra inimicos inuisibiles creat, in Triariorum numerum inscribit, & tactu Colaphi cædere hostes, & cedere hostibus docet, iniurias nõ vlciscendo, nec vindictam reseruando: imitatione ducem suum exprimere iubet, spe illâ contentus: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Tertia columna, *Pœnitentia*, quæ ex reo maximo, intimum amicum Deo irato reddit, vbique residet. Magdalena in Conuiuio eam inuenit: Matthæus in Telonio: Petrus in Aulâ Põtificis: Latro in Cruce: Tiburtius in thalamo: Maria Ægiptiaca in Eremo: Pelagia in Concione: semper suspirio vnico

Ser: 10. de verb: Ap.

Rõ: 12.

com-

complecti ſe patitur. Dauid verbo: *Peccaui*: eam reperit, alioſq; docuit, cùm diceret: *Gemitus meus à te* (Domine) *non eſt abſconditus.* Quarta columna, *Euchariſtia*; ô ſtupenda! quæ panem cœli manducandũ proponit hominibus, in Filium Dei transformat, nutrit in vitam æternam, & ſpe ſecurà Iuſtificationis beneficium pollicetur. Quinta columna, *Ordo*, quæ eſt diſpenſatrix priorum Sacramentorũ. Sicut enim Chriſtus in Cruce obtulit Sacrificium cruẽtum pro peccatis mundi, Deo Patri; ſic Sacerdos ritè ordinatus, offert incruentum Sacrificium, renouatq; memoriâ virtutem Paſſionis, & recentia vulnera, recordatione mortis Chriſti medetur. Sexta columna, *Matrimonium*, quod propagatum, materiam ædificij Iuſtificationis ſubminiſtrat, ſeruoſq; Dei generatione conceſſâ procreat, ac loca deſerta Angelorum perfidiâ, multiplicatione occupat. Septima columna, *Vnctio extrema*, quæ reliquias inquinamentorum moriẽtis obſtergit,

Pſal: 37.

Oleo gratiæ præueniẽdo æternæ mãsionis ingressum. Stat ergo hoc ædificium his columnis suffultum Iustificationis, stabitque donec spes finietur, aut affectus beati consecutione, aut mundi totius consummatione. Verte te, Anima, suspirio, ad Passionem Christi: inuenies duplicatas septenas columnas, sãguinis & doctrinæ, per septem verba eius relictas.

Prima columna sanguinis, in horto plãtata, eradicârat plantationem Adami, in horto inobedientiæ iam excrescentem, voluntati Patris se subijciendo, ac terram, in Crucis formâ procidens, Corpore suo pretioso attingendo: ô Anima, attende ad hãc columnam, & spera, sed timore adiuncto, vti & Christus timuit, non sibi, nobis potiùs. Non semel Saluator thema considerandum proposuerat:
Mat. 20. *Multi vocati, pauci electi.* Columnam ergo metiri voluit Christus Electorũ, mensurâ extensionis corporis in terra, sudore sanguineo irrigandâ. Dixerat ante de semine, quod seminatum,

aliud

aliud cecidit in Petrã, aliud secùs viam, aliud inter spinas, aliud in terrã bonam. Quarta pars seminis bonæ terræ, reddidit eam fructuosam: tres inutiles mansêre, & absque fructu. Quis scit? an non horti magnitudo, vocatos; statura Christi & extensio, ac sanguinis conspersio, electos, designauerat? Spes suppleat, Anima, te fuisse inclusam in mensura istius columnæ, vt erumpere possis cum S. Augustino, in illa verba: *Tota spes mea est in morte Domini mei.*

Secunda columna sanguinis, Alapa faciei Redemptoris ferreo pugno impressa, quæ sanguinem eduxit, vt aliquorum est sententia. Cœlum contremuit tali ausu, & plorâsset, si lachrymarum vsu frueretur. Tu, Anima, scias, veritatis præmium à mundo Colaphum iudicari: si ergo mundi persecutionem sustineas iniustè, imaginare ædificari te in columnam percussioni Christi assimilatã; tali spe crescet structura Iustificationis tuæ.

Tertia columna sanguinis, ipsa colu-

mna flagellationi destinata, copia sanguinis ex plagis millenis corporis delicati Domini erumpens, fortissimam reddidit columnam Iustificationis; multiplicauitque & Electorum numerum, & imitationis exemplum. Hinc tot Martyres, vti canit Ecclesia: *Pro te* (Christe) *furias, atq; minaces Cruces, calcárunt hominum, sæuaq; verbera. His cessit lacerans fortiter vngula, Nec carpsit penetralia. Cæduntur gladijs more bidentium: Non murmur resonat, non querimonia, sed corde impauido mens bene conscia, Conseruat patientiam.* Multis nõ aliud desideriũ, quàm vt vario mortificationum genere, sub vexillo doloroso Ducis sui Saluatoris militantes, spes Iustificationis in eis cõfirmetur.

Hymno de Mar-tyr.

Quarta columna sanguinis, in Coronatione: verè debuit coronari Sanguis Christi, vti sanguis Regius; loco sceptri data arundo, mundo debetur, cui nihil proderit effectu columna hæc, cùm vario vento voluptatum & tentationum, sceptra eius tanquã arundinea confringantur. Electis hærebit

mente & æternitate, impressa capiti fortiter sãguinea corona; ideò in cruce Domini etiam post mortem durauit in capite sine dolore, vt post mortem Iustorum transformaretur in coronam retributionis, adiuncto solatio sempiterno. Hoc innuit Ecclesiæ respõsoriũ: *Tradiderunt* (electi) *corpora sua propter Deum ad supplicia; & meruerunt habere coronas perpetuas.* Excelsa columna, quæ cœlum ipsum, & merito, & fructu attingit. In. cõm: Mar.

Quinta columna sanguinis, Veronicæ sudarium, quod tanquam in marmore expolito, faciem patiẽtis Domini, oculis proposuit, hucusq; Romæ durat, terret Hostes, commouet amicos Dei; inscriptio columnæ formidabilis: *Nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros: Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Tremor occupat membra, cùm propter aliena peccata Deus tantũ sustinuerit; quid sperãdum creaturæ proprijs oneratæ! Difficilis structura Iustificationis, fletu & virore propagatur. Spes pœni- Luc: 123.

tẽtiæ lachrymis & ſuſpirio accincta, mereatur veniam, tanquam in ſpeculo, in ſudario Veronicæ faciem Chriſti deploratã, compaſſiuè aſpiciẽdo.

Sexta columna ſanguinis. detractio veſtium, renouatioque ſanguinis iam concreti in dolorem acerbum. Columna rubicunda, luxum, & veſtium ſplendorem iuſtificat: maxima ſpes oritur peccatoribus, qui licèt veſte innocentiæ, deprecato Patre, vt filij prodigi induuntur, delictis iterũ detrahunt illam tunicam, & ſanguinem Chriſti quaſi denuò effundere nituntur: tamen toties pœnitentiæ actibus & ictibus redeunt ad cor, conteguntur que veſte remiſſionis. Optimum integumentũ, veſtis & ſanguis Saluatoris, inde meritum noſtrum à Domino nobis traditũ; quod Diuus Cyrillus animaduertit, dicens: *Chriſtum cùm moriendum eſſet veſtes depoſuiſſe, vt oſtenderet omnia opera, & merita ſua nobis, vt noſtra, ab ipſo relicta.* Sublimis Spes ex hac columna, animæ afflictæ morbo peccatorum.

Lib: 9. c. 3 in 13. Ioã.

Septima

Septima columna, Clauorum in Cruce penetratio, perfectior alijs columnis, altitudo ad cœlum pertingit, latitudo per omnia sæcula durat. Septem quidem columnæ fuêre à sapientia extructæ : hæc vltima separato artificio eminet. In Creatione, Deus septimo die quieuit à labore : In Redemptione idem Deus, septimâ columnâ ædificatâ sanguinis, in sinum Patris reddito Spiritu filiali, requieuit : Sanguine illuminando pulchritudinem columnæ, verbis septẽ eam commendando, septem virtututum specimine edito. Nam verbalis *Columna prima*, Cruci affixi bonitatem incomprehensam deprædicat, dum pro inimicis prima Oratio funditur, quâ spes veniæ summis offensis conciliatur. *Secunda Columna* mansuetudinem propalat, dum Latronis societatem non aspernatur, eumque statim in Paradiso collocat, quâ spes omni tẽpore concessæ pœnitentiæ edocetur.

Tertia Columna obedientiam, vsque ad derelictionem à Patre proclamat ;

quâ ſpes, deſperatione damnata, etiam in anguſtijs erigitur. *Quarta Columna* benignitatem promulgat, Matrẽ Diſcipulo communicando; quâ ſpes adeptionis in filios Dei promittitur. *Quinta Columna*, reſignationis regulã & modum præſcribit, dum Spiritum in manus Patris commendat; quâ ſpes curæ de nobis in Agone definitur. *Sexta Columna* temperãtiam inculcat, dum ſitire ſe fatetur in tormentis; quâ ſpes affluentiæ futuræ cœleſtis, ſiti eius tanquam torculari exprimitur. *Septima Columna*, perſeuerantiam adamare præcipit, dum conſummatione vitæ finiuit Paſſionis exercere culturam; quâ ſpes leuitatis & incõſtantiæ noſtræ, ſolidatur. Firmi ergo parietes, & columnæ, ædificij Iuſtificationis ſunt. Sed obijciet aliquis, ſi Paſſio & ſãguis Chriſti effuſus, noſtra ſpes: quid dicetur de ſanguine cum aquâ poſt mortem è latere emiſſo? Myſterium magnum, multæque cauſæ. Ad hanc materiam hæc ſeruiat: Sanguis viuus Domini, ſpes Ca-

tholica Romana, quæ ad merita Passionis, opera bona coniungit, ijsque cooperatur ad salutem. Sanguis cum aqua Christi, spes dubia, quæ Sectarum solà Passione lactat Animas, & decipit: Sanguis Saluatoris & viuificat, & condemnat. Nonnè dictum à Simeone Propheta: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorũ.* Luc: 2.
Aqua ergo cum sanguine simul erupit, quæ vel delet peccata Electorũ, cum Rege: *Dele iniquitatem meam Domine*: vel cum eodem delet ex Cathalogo saluandorum: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Psal: 50. Psal: 69.
Tu, Anima, spem concipias ex Passione Corporis Saluatoris, cũ S. Augustino dicendo: *Est in ipso* IESV *Christo Domino nostro, vniuscuiusq; nostrûm portio, Caro & Sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. O quàm suauis hæc capitis cum mẽbris communicatio! quàm singularis Heri cũ seruo beneuolentia! quàm firma & indubi-* Cap: 15. Medit.

tata spes! Suspira, Anima, ad talem consequendam spem: si sinistram nũc timebis, & sinistræ manûs Christi sãguine te proteges; spem concipies te esse in ædificio Iustificationis. Spes plumea facilè attollitur: assume pœnas cõtemplationis, & eleuata à terrâ, contemne fallaces spes mortalium, quæ dissipantur varijs casibus, ad summùm morte: *Peribunt in illa die omnes cogitationes* (& spes) *eorum.* Pete à Deo donum Iustificationis, quod Fidem, Spem, Charitatem securam cõtineat. Ita te erige spe, vt possis brauium immortale accipere. *Nam sicut ingressus in stadium non acquiritur cursu, sed donatur fauore & liberalitate Principis: ita gratia Iustificationis non redditur meritis, sed gratis datur.* Succedit, vt de charitate Iustificationis, quæ est tectum structuræ Ecclesiæ, dicatur.

Psal: 145.

Bell: in Cõc: 16. Septuages.

De tecto Iustificationis, Charitate.

CAPVT IV.

Super-

SVperemmnere dicitur à S. Paulo charitas, omnibus virtutibus; & Deo, hominibusque eas patefacere: Ergo verè tectũ tam splendidi ædificij Iustificationis: *Domus* (inquit Bel:) *quam elegit Deus in habitationem sibi, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Et supra paulò ad nostram intentionem, tectum vocat charitatem; longioribus verbis (quæ inserere non abs re visum) existimâram testimonio tanti viri, vti in propositâ materiâ: *Quemadmodum parietes, nisi tectum eis superponatur, facilè mouentur & nutant; tecto autem superposito cõfirmantur, atque stabiliuntur: sic etiam spes nostra, firma, constansque esse non potest, nisi eam charitas, & opera bona comitentur.* Tectũ igitur charitatis, ad hanc spiritualem fabricam perficiendam, planè necessarium est: neque verò ad parietes confirmandos tantùm, sed etiam quia domicilium sine tecto, nec ab æstu, nec à frigore, nec à flatibus ventorum, nec ab imbribus & procellis, nec ab alijs multis & grauibus cœli iniurijs, satis nos tueri potest. Porrò non ineptè Charitas Tectum dicitur, nam si

Bell in Cõc: Assũ: B.V.

tectum à tegendo dicitur, certè Tectum est
Psal: 31. *Charitas. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata,* (inquit David) *Et quid obsecro, tegit peccata, nisi*
1. Petri 4. *Charitas? Charitas* (inquit Apostolus Petrus) *operit multitudinem peccatorum;*
Luc: 7. *Et remissa ei sunt peccata multa,* (ait Dominus) *quoniam dilexit multum: si tectum est pars altissima domicilij, rectè tectum est*
1. Corint: 15. *Charitas. Nunc* (inquit Apostolus Paulus) *manent tria hæc: Fides, Spes, Charitas; maior autem sublimior, celsior, latior horum est charitas. Si deniq; tecto absoluitur perficiturq; domus: certè tectum est Charitas. O-*
Psal: 118. *mnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Iam probatione maiori non indigeas, Anima, sciasq; tectum ædificij Iustificationis esse charitatem. Sit multo labore, & sumptu, elegantiaque ornata Domus, si tectũ desit, tempore & vetustate tota corruit, dissipatur, consumitur. S. Paulus Architectus insignis, quâ ratione tectum charitate commendet, patet omnibus: dicit enim omnia opera, quantumcunque bona & vtilia sint,

sine

ſine charitate, vigorē & vitam amittere. Tam mirabile artificiū eſt charitatis, vt S. Bernar: aſſerat: *Difficile eſt aliquid de Charitate dicere, ſentiens quòd ad eam tractandam, non cor, non lingua ſufficiat. Quomodo enim de amore loquitur homo, qui non amat, qui vim non ſentit amoris? De alijs nempe copioſa in libris occurrit materia, hæc autem tota intus eſt, vel nuquā eſt, quia non ab exterioribus ad interiora ſuauitatis ſecreta tranſponit, ſed ab interioribus ad exteriora tranſmittit: ſolus proinde de ea loquitur dignè, qui ſecundum quod cor dictat interiùs, exteriùs verba componit.* Quid ergo tibi ego dicam, Anima mea? De tecto audis, comparationeque eius, charitatis virtutem plenè iuſtificantem, ſuſpirio & corde amplectere. Cor ſpiret amorē, ſemper aſpiret eò, dilata cor tuum, & tāquam in camino, ſuſpirio deuoto & foueas charitatem, & in dies maiorem, fide & ſpe, tanquam ventilabro quodam, excita. Deus tàm amplæ ſtructuræ Iuſtificationis aureum Tectum, aperto theſauro Diuitiarum ſuarum, imponere

Tractat: de charit: c. I.

decreuit, diſtulit ad conſummationẽ totius ſæculi, cùm perfecto Electorũ numero in æternitate aureâ & fulgẽti reſidebit. Iam vti Domini, ſi Palatium aliquod conſtruunt, & tecto multi pretij contegere, tempus vel defectus materiæ excludat; ne exponatur tempeſtatibus hybernis, ſtramineo vel ligneo ad tempus tecto ſuccurrunt. Ita quodãmodo Deus, erecto fundamento Fidei, eleuatiſque parietibus & columnis Spei, decurrente hyeme mundi, charitatis tectum leue ſuperædificat in ſtructurâ ædificationis, vel ſtramine, vel ligno (at quia diuitijs abundat) vel tegula fictili, plumbo, vel laminâ æneâ operit Palatium ſpirituale, poſt mortem priuati ædificij, aut exitum orbis terrarum: tunc dicet, quiſquis perfectum tectum aureum intueri meruerit: *Iam* Cãt. 2. *hyems tranſiit, imber abijt & receßit, ſurge (Anima mea) & veni*: Et vide Tectũ aureum, commune Creatori cum creatura, æternitati conſtitutum. Redẽptor, vti Natiuitate fidem plantauit,

vita & passione spem erexit: ita morte charitatē perfecit. Quomodo ergo tanta charitas, quæ morte Dei cōsummata est, stramine, ligno, plumbo, lamine, & non auro ponetur! Dicam tibi quid vilius: spinis etiam & magis propriè contecta fuit. Supra caput ipsum, nimirum Charitatem, quæ & pro Inimicis deprecabatur, & Latroni Paradisum aperuit, & Matrem Discipulo, amoris vinculo copulauit, & quasi derelictam se in tormentis natura humana querebatur, & ingenti siti premebatur, & Spiritum à Patre acceptum reddidit, & ædificium cōsummationis verbo perfectū approbauit: nonne spinæ, Coronæ instar, supereminebant capiti, & tectū parietibus? Diuersis materijs artifex iste Diuinus (quia ipse Deus) Iustificationis domum texerat: & quia crucis formâ instituta structura, diuisione in quatuor partes tecti indigebat. Ad Orientem, in Paradiso, ligno scientiæ boni & mali, & tegulis obedientiæ, veluti tecto vsus fuerat: fœmina de-

traxit tectum, & fructum eius comedit, inde nudi parietes, & Parẽtes nostri. Ipsemet Deus, cùm se nudos profiterentur, interrogauit Adamum:
Gen. 3. *Quis indicauit tibi quod nudus esses?* Adã in mulierẽ, detractionem tecti, culpamque gustûs reiecit; hinc maledictio successit, & Parentum & terræ:
Ibid. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Ex quibus postea spinis aliud tectum in Charitate Saluatoris elaboratum, incomprehensibili acumine dolorum, & acumine ingenij Iudæorum: corruit itaque ædificium Iustificationis tecto ligneo sublato. Iterum Artifex Deus aliud extruere cœperat Tectum, per Abel seruũ fundamento posito, & tot Sanctorũ virorum meritis, vt Parietibus & Columnis constitutis, ne hyeme & peccatis Cain, aliorumque, opus demortuum destrueretur, ad Meridiem stramineum tectũ charitatis, Legem Naturæ ad tempus posuerat: superuenit diluuium, & stramine ablato ædificium prostrauit, aliquot Columnas

(Noë videlicet, cum Prole sua) intactas relinquendo. Tum desperârat de restaurando ædificio Artifex cœlestis, dicens: *Pœnitet me hominem fecisse.* Tandem placatus eloquentiâ Noë, qui gratiam coram illo inuenerat, instruere cœperat illud ædificium Iustificationis, duobusq; millibus annorum opus continuabat, ac plumbeum tectum charitatis per Moysen, lege Decem Præceptorum substituit. Nec illud durationi subiectum ante: ignis Gomorrhæ & Sodomæ, partem absumpsit Tecti, ignis auerti nō potuit, cùm nec decem inuenti qui extinguerent Incendium. Plumbum dum liquefit prohibet accessum, vrit & comburit auxiliatricem manum. Residuum tamen Tecti per Moysen reseruatum, succendit ignis alius Infidelitatis Iudæorum, cùm & Vitulos colerent, & Lupos adorarent, & graue tectum plumbeum in deserto quererentur, ita vt plumbeam seruitutē Ægyptiacam præferrent. Protectioni Altissimi, ignis & furor Dei vin-

Gen: 6.

dex inuasit tectum, aliosq; terra absorbsit, alios serpentes occiderunt, alios mors consumpsit, vt ex tot millibus vix duo ingrederentur in nouũ ædificium, terram scilicet promissionis. Ipsemet Moyses, styllãte plumbo incredulitatis adustus, in extinctione furoris Diuini perijt. Adhuc Artifex misericors, per Iosue & Iudices, è fictilibus tegulis tectum cõfecerat, excoctum bene ad ignem; ipse Sol stetit iussu Iosue, vt charitatis tectũ erga Creatorem, beneficio & miraculo, in cordibus minùs credentium efformaret: multæ tegulæ à vẽto ingratitudinis confractæ periêre; inter alios Heli sede collapsâ, improuisa morte, è Iudicum, & viuentiũ numero detractus. Tum è làmina ærea vel argentea, tectum charitatis per Reges, Saul & Dauidem, Regio opere confectum: Saul vnius Anni pueri innocentiâ ornatus, accepto Regno, eò deuenit malitiæ, vt è tecto decideret, ferroque sibi vitam abrumperet. Dauid diuturnitate gratiæ Diui-

næ se-

næ, tectum ex lamina in argenteum quasi converterat, dicens: *Probâsti nos Deus, igne nos examinâsti; sicut examinatur argentum.* Sed quid factum? Tectum hoc & fur abstulit, & aqua madefecit; ipsemet fatetur: *Imperfectum meũ viderunt oculi mei.* Et cum Iob potuit conqueri: *Oculus meus deprædatus est Animam meam.* Aqua piscinæ Bersabeæ rupit tectum charitatis; inde madidus Rex, & penè aquis obrutus, implorat auxilium Artificis: *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad Animam meam.* Cùm ergo animaduertisset Architectus supremus Dauidem, quem secundum cor suum inuenerat, in structura & Tecto aberrâsse: in Filio Redemptore nostro, tectum charitatis ad Septentrionem innouare cæpit, Lege Gratiæ. Venerat altâ Hyeme, & multâ nocte: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret*: Prodijt missus Architectus, vidensque ventorum Borealium, videlicet variarum superstitionum statu, charitatis tectũ dissi-

Psal: 65.
Psal: 138.
Iob.
Psal: 68.
Sap: 18.

pari; vti S. Leo de Romana Vrbe, & Dominio eius, disertissimè fatetur:
Ser: 1 in Natiui: Apostol: Petri & Pauli
Hæc autem Ciuitas (id est Roma) *ignorās suæ prouectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullā respuebat falsitatem.* Videns inquam, Architectus, Parietes, & Columnas raras, easq; absque tecto, stramen in stabulo tempore Natiuitatis suæ ad contegendum præparauerat, & duas partes Tecti veteris, & noui Testamenti Circumcisione & Baptismo cõfirmauerat:
Mat: 5.
Non veni soluere Legem, sed adimplere. Et duplici tecto roborauit charitatem:
Luc: 10.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & proximum tuum sicut te ipsum. Hoc tamen Tectum stramineum, ignem concepit; Petrus Apostolus Christi, stans ad ignem & calefaciens se, amisit Charitatem: mulier vnico verbo, vt in Paradiso, ligneo; ita iam stramineo, spoliauit Petrum, & Tectum charitatis demolita est. Plumbeum Tectum Domini, nec il-

lud perennè, dum Ieiunio, Oratione in horto, plumbeo ſomno oppreſſos Diſcipulos, fruſtra ad Charitatis Tecti laborem excitat. Ex lamina, in quâ multum argenti fuerat, Tectum Charitatis exterſerat Linteo Dominus, quo erat præcinctus, & Corporis Sanguiniſque pretioſi diſtributione perfecerat illud: *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Ioã: 13. Tamen inuentus fur, qui captus prædæ cupiditate, detraxit è Tecto argentum, & triginta argenteis confectis prodidit Artificem: tãdem ſupremâ arte Tectum, ex ligno Charitatis efformatum, & ex infinitæ Sapientiæ theſauro depromptum, ad occidentem ſecurum, & durabile conſtitutum. Refertur à Naturaliſtis, lignum Alnum, ſi in aquâ diutiùs cõſeruetur, nulli corruptioni ſubiacere poſſe. Lignum Crucis alnus, non in aquâ, in ſanguine Agni immaculati immerſum, nullam notitiam corruptionis vnquam admittet: ex tali Ligno Tectum Charitatis perfectæ ſolidum, ad occidentem verè poſitum,

tū quod & Sol in morte Domini occiderit, & ipse Architectus : *Ascendit super occasum, Dominus nomen illi* : Neuè iniurijs cœlestibus Tectum obnoxiū ventisq; esset, clauis obedientiæ affixit; furum appetitum cohibuit, carnem spinis puniendo, mundum paupertate & nuditate terrendo, Diabolum victoriâ & morte fugando. Durat, durabitque hoc Tectum Charitatis ad consummationē sæculi, ipso Constructore testimoniū perhibēte : *Consummatum est* : Si verò hoc Tectum temporaneum Iustificationis demolietur Artifex, vel priuatâ morte, vel communi obitu mundi ; aliud aureū æterno lumine ornatum substruetur ; vt S Paulus docet : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Ordinariè si ædificium destruatur; à tecto initium : detrahet Iudex tectum nostrum, quale fuerit rimabitur, nimirum de Charitate quæstio ardua post mortem, secundùm quam praemia & pœnæ distribuentur. Charitas ergo erga Deū,

Psal: 67. — Ioā: 24. — 1. Corint. c. 25.

est Pro-

est Procurator peritus in Iudicio; à tali Causidico victoria; Charitas carnis, & Procurator negligens in Iudicio, amissio causæ certa. Charitas Dei, est dispensatrix locorum, distributor hospitiorum & meritorum in cœlo: Charitas carnis, pondere materiæ trahit in profundum gehennæ, ibique loca impiorum partitur. Charitas Dei est ignis, quo accensus homo, mira audet. Hinc Christus: *Ignē veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Luc. 12. Laurentij ignis charitatis, extinxit ignem vrentem, quem vix animaduertit, nisi quando iam assatā carnē ludibrio verti imperauit. Magdalena, igne charitatis accensa, accurrit ad pedes Domini, & stagno lachrymarum non potuit extinguere. Stephanus flagrabat tantà charitate, vt neque grandine lapideo comprimi potuerit. Ignatius martyr, conciso & discerpto corpore, instar frumenti, charitati vix sâtisfecit. Omnia suffert charitas, estque ad instar potûs Turcici, *Mastok* nomen, quo inescatus

Barbarus, omnibus tormentis illudit; ipsemet cruenta vulnera sibi infligit gaudens. Doctor Gentium simili
1. Corin. 9 Pharmaco sumpto, gloriatur: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* At charitas mūdi & carnis, Simiæ instar, imitatur charitatem inuersâ ratione; quid non patitur mundanus mortalis amore inflammatus? Mercatorem charitas auri, tempestates, naufragia, pericula Latronum contemnere iubet; ambitiosum vmbra inanis gloriæ gratia ferre onera armorum, famem, sitim, vigilias, labores, vulnera, pericula, mortem tollerare inuitat. Cessarent bella in mūdo, nisi amore ambitionis & vanitatis excitarentur. Alexander Magnus imaginatione concluserat propriâ, debellato mundo alium quærere. Romani semper vlteriùs arma propagare nitebantur. Hannibal Alpium difficultatem suaui decursu, delectatus flore Italiæ, superauit. Nostro æuo, Gustauus gregarij militis labore, & indefessi sudoris assiduitate, magnam partem Im-

perij Romani, & forte totum, ipse & re (nisi Deus gregi suo subuenisset) deuorauerat. Ignis certè Charitas, & quidem ita accensus, vt bonæ charitatis laudabilis ambitio, nõ toto mũdo, vix cœlo satietur: Prauæ charitatis ignis, & vanitas detestanda, vix igne infernali sistatur. Ne pura charitas maculetur igne mundi, spineo tecto compuncta, redit ad se, vel potiùs ad ipsam Charitatem Deum. Spinæ dum florẽt, etiam calidissimo Vere, frigore replent aërem. Charitas erga Deum, in Conuiuio, in delicijs, in voluptatibus, non calefit; imò refrigeratur: desiderio maiorum & æternarum voluptatum, exemploque ac exhortatione aliorum, mitigat inordinatum calorem. Hospes est Charitas, in mundo raró diu vno loco fixa; iam recedit, iam iterum accedit, peregrinatur, vix stabilis: Spinis tentationum accersitur, patientiâ conseruatur, perseuerantiâ habituatur. Ante spineum, ligneum Tectũ Christi, & mortem, rara Phænix Charitas

Dei in mundo : Principatum Charitas reproba gesserat. Postquàm, ille
Ioã : passus & mortuus fuit, qui dixit : *Nũc*
13. *Princeps huius mundi eijcietur foras* : omnia tecta Charitatis, & straminea, & plũbea, & fictilia, & lignea, valida. Quoties Animæ Catholicæ straminea charitate tectæ, dolent, & iterũ in peccata recidunt ? tamen ad illud aureum tectum, multæ perueniunt. Latro in Cruce, emissâ solâ voce, instar straminis leuissimâ, in Paradisũ ingressus. Plurimi vno suspirio in agone facto, tanquam spinâ compunctionis, confixo corde, euolârunt in Charitatis solium. Plumbea tecta pondere humilitatis pressa, nulli vẽto tentationum cessêre, igne Charitatis cõseruato in abscondito, vti metalla montibus inclusa. Legitur Li-
2. Machab. 1 bro secundo Machabæorum : Quod cùm in Persidem ducerentur Iudæi, acceptum ignẽ de Altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo cõtutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset lo-

cus.

cus. Postea Nepotes Sacerdotum, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam: & iussit Nehemias haurire aquam, & afferre sibi, lignisq; superpositis, iussit aspergi aquam: vtq; hoc factum est, & tempus adfuit, quo Sol qui priùs fuit in nubilo refulsit, accẽsus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Ita plumbea humilitas, in puteum secretum conscientiæ demittit ignem Charitatis, & siccum à tempestate mundi; fitque ignota & contemptibilis omnibus, conuertitq; illam in aquam (lachrymam scilicet pœnitentiæ) crassam, eis qui dedignantur. Postquam Nehemias Iudex ille seuerus tãquam Sol refulget, qui iam est in nubilo, nec apparet; eruet hanc aquam pœnitentiæ, accendetur ex illa ignis Charitatis, ipsâ æternitate admirante. Plumbeum prorsus tectum humilitas, quæ & mater quasi est charitatis. Nonne postquam tecto plumbeo Deipara Maria contexerat Iustificationis intrinsecæ Cameram, prolato verbo: *Ecce Ancilla* Luc: 1.

Domini; concepit & peperit Charitatem? & viciſſim filia Charitatis humilitas. Nonne charitate Deus eminens: *Sic dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret?* Qui: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem.* Idcirco quodammodo genuit Charitas Patris, Filij humilitatem. Tegulæ fictiles in tecto Charitatis, à morte Domini durabiles: Monaſteria, Eremi, atque omnia loca Eccleſiarum, Xenodochiorũ, plena talibus tectis per mundi contemptum. Vilhelmus Princeps Aquitaniæ, à ſeruo Dei Figulo S. Bernardo, tegula impura & blaſphema, quæ dilabi malitiâ debuerat, ferreâ loricâ ita fortiter compreſſus eſt, vt duratione ſuâ aureo tecto includi meruerit. Paulus Apoſtolus, vas inimicum Deo, igne Charitatis ex equo ad terram alliſum, non tantùm non confractum, reſtauratum potiùs, & vas electionis efformatum? Lamina opertum tectum charitatis Perſeuerantia, in argentum puritatis ſeneſcente tempore mutatur. Cētum

Ioã: 3. Phil: 2.

& ampliùs anni, & Paulos, & Antonios, & Hilariones conſeruârunt, & iam ignotos mundo, notos autem Deo conſeruant; multiſque meritis onuſtos, in perfectius & ſolidius tectum introducunt. Ligneum tectum Charitatis, communeque omnium Chriſtianorum, amor Crucis, innumeras Animas protegit à perditione. Extrinſecè, ſupra tecta in Eccleſijs Crux imponitur, adoraturque; intrinſecè colitur ab Eccleſia: *Per lignum ſerui facti ſumus, & per ſanctam Crucem liberati ſumus* Magdalena quæ & viua viuæ adfuit Cruci, poſt mortem Domini, ſeptẽ milliaribus à Maſſilia Galliæ, triginta ſex annis ſub tecto amoris Crucis delituit. Quid? Ipſa corpore ſuo tectum fuit Crucis. Sicut enim vetuſtate cõſumptis tectis Muſcus viridis enaſcitur; ita in corpore eius crines excreſcentes, tanquam Muſcus, operuerunt Tectum Charitatis ligni, quod virebat nouis deſiderijs, ſepties ab Angelis in die eleuata. Stupendum tectum Charitatis

in morte Christi, spineâ Coronâ cõtectum: verùm sicuti inter spinas rosæ crescunt, sic sanguis Christi spinarum torturâ ebulliens, instar rosarum olfactu suo allicit ad amorem Passionis & Crucis. Ante mortem Domini adolescens venerat, de perfectione vitæ interrogans; responso accepto: *Vade vende omnia, & sequere me.*
Marcio. Cõfossus spinâ, abijt tristis. Post mortem, quot ad Apostolos venerũt turmatim substantias suas deferentes, & iã ferè sæpiùs legitur & auditur, magnos Principes Coronas aureas pro spineis commutare. Carolus Quintus Imperium pro Monastica vita, voluntate abdicatoriâ, vendidit. Ante aliquot annos Dux Modenæ, filio hærede relicto, Capucinorum inediam præ Conuiuijs elegit. Quis exemplis plurimis non detineret legentẽ? Ego, Anima, tibi propono adamandum tectum Charitatis Crucis, si non totâ imitatione Redemptoris, saltim spinoso suspirio cõtemplationis, & desiderij reiectionis offensæ Dei: tali

medio construitur Tectum Charitatis, licet fortè minùs perfectè, incipe tamen, Anima, arduum quidẽ est: *Nam virtutes duræ sunt incipienti*; sed vlteriùs audi S. Hieronymum: *Molles proficienti, suaues peruenienti.* Et S. Augustinus non diuersum æstimat: *Semitæ æquitatis dum inchoantur, arctæ videntur & angustæ: dum autem profectum accipiunt, spatiosæ videntur, & latæ.* Vides, Anima, Tectum versùs cœlum esse arctum, vlteriore latitudine totam domum circumdare. Lentè charitas acquiritur Dei, sed bonis operibus, oratione & eleemosynis extenditur; vnde: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Tectum, Anima, si vis ascendere, scalâ indigebis; hanc describit Rex Dauid scalam: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem.* Hæc est scala Iacob, per quam Charitas ascendit & descẽdit. Enitaris, Anima, vt altiùs semper virtutibus conscendere possis. Charitas Dei, verè est tectum: in Palatio nõ videntur sordes si quæ sunt, tecto ab extra imposito. Fuerint ne-

S. Hieron. S. August. Rõ: 5 Psal: 83.

ſcio qualia delicta, ſi Charitate tegã-
tur, non apparebunt in cõſpectu Ar-
tificis, cùm veniet circũſpicere quid
agatur in ædificio Iuſtificationis. Ma-
ria Magdalena nonne fæcibus pecca-
torum plena, venit ad Redemptorẽ?
Nihil vidit Dominus, tantùm Chari-
Luc: tatis tectum: *Remiſſa ſunt ei peccata mul-*
7. *ta, quia dilexit multum.* Lachrymis ſor-
des eiecit, crinibus pauimentum Pa-
latij emundauit, ideo omnia munda
inuenta ab illo, qui nihil non videt.
Videbatur Phariſæus meliùs videre
oculis carneis, peccatricem appellã-
do, ſicut & fuit: Non talibus aſpici-
tur Charitas; & Charitas Charitatem
optimè nouit. Agnouit Charitas ſum-
ma Charitatem Magdalenæ, & non
dixit: Remittuntur ei peccata multa,
quia venit ad Conuiuium, quia flet,
quia lachrymis tergit pedes: verùm
quia dilexit multũ. Contexerat cha-
ritate peccatrix peccata, & ne vide-
rentur, & abſolutione ſupremâ dele-
rentur: in Conuiuio publica pecca-
trix, vera charitate ductrice, peccata

aperit,

aperit, & Christus non tantùm non detegit, excusat potiùs: apud Pharisæum causam eius agit, absoluit, redire in pace iubet securam de veniâ. Charitas adultera, peccata occultata denudat: Pharisæi mulierem in adulterio comprehensam, fictâ charitate duxerant ad Christum: ille inclinans scripsit in terra (secundum multorũ opinionem) peccata eorum; quibus visis & promulgatis, omnes abierunt confusi. Charitas quæ ex Deo nõ est, caret tecto, ædificium imperfectum sine charitate: in Inferno nõ erit Tectum, quia tecti est superior locus in ædificio. Infernus, mundus, caro, in imâ parte fundantur, quid erit Animæ sine tecto Charitatis? Ædificium absque tecto exponitur omnibus mutationibus, sordibus impletur, & paulatim totum ruit: sic Animæ accidet. quod fortè Ezechiel audiuit à Domino: *Dic ad eos qui liniunt absq; temperatura, quòd* (paries) *casurus sit: Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrãdes desuper irruentes, & ventum procel-* Eze. 13.

dissipantem, si quidem ecce cecidit paries. Et inferiùs: *Erumpere faciam spiritum tẽpestatum in indignatione meâ, & imber inundans in furore meo; & lapides grandes in ira in consumptionem: & destruam parietẽ.* Furor Dei, pridem structuram nostrã ingratam sibi destruxisset, nisi charitatis tecto, tanquam scuto, Christus obuiâsset: pepulisset ad sinistram genus humanum, nisi sinistram manum cruentam Redemptor ad portam ingressûs, obtulisset. Ne plus vltra, duæ manus Christi, tanquam Columnæ Herculeæ; dextra vt charitatis portã aperiret; sinistra, vt hostes charitatis perire prohiberet, victoriam spineâ coronâ denotando. Absynthio similis amaritudo spinarum, ingratũ palato & potui Absynthiũ, acceptũ stomacho: corpori delicato spinæ non arrident, Animæ, quæ est quasi stomachus, quo viuimus & nutrimur, iucundæ. S. Benedictus in spinis, tanquã in molli lecto, volutabatur. Contraria seruiunt illis duobus Dominis, & quæ placent corpori, displicent

Animæ. *Ieiunium, cibus eſt Animæ: nuditas corporis, Lorica eſt Animæ: Infirmitas corporis, robur eſt Animæ: Charitas corporis, eſt odium Animæ: conniuentia corporis, eſt flagellum Animæ: nutritio corporis, eſt Animæ inedia.* Anima mea, charitatem excita, in te eſt initio dura, ſed prouentu delicata. Homerus princeps Poëtarum Græcorum, vir Ethnicus, ſed ſapiens, ſcribit Vlyſſem, cùm ea loca tranſire cogeretur, vbi Circe fœmina Maga, homines in belluas ſuis præſtigijs commutabat; aduerſus eas herba quadam ſe communiuiſſe, cuius nomen eſt *Moly*, quæ radices teterrimas, ſed flores candidiſſimos, & lacti ſimillimos habet. Sic tu, Anima, debes corporis præſtigias & incantationes ſufferre, quæ hæc Circe Maga excitat, & in belluas, & quaſi Dæmones, homines efformat. In circo, vel circulo, ambulant impij. Aſſume, Anima, herbam *Moly*, charitatem Dei, quâ emollias & vincas duras tẽtationes: radices ſpineæ, ſunt flores puriſſimi & lactantes, tanquam lac

Bell: in Cõc: 23 de Dõ: 1. Quadrag.

Pſal: 11.

castis suspirijs & desiderijs: sub tali Tecto, ab imbribus & lapidibus Ezechielis, tuta consistes, gustabisque *Pacem, quæ exuperat omnem sensum, quæ est pignus hæreditatis.* Et: *Manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Roga, accedendo ad sanguineam manũ sinistram Saluatoris, vt eius merito sumere possis hoc Manna, & illo æterno solatio pasci: sed cùm aliud ædificium Dei sit, per intrinsecam Iustificationem, quod breuissimo tempore perficitur, de eo iam agetur.

Phil: 4. Eph: 1. Apoca: 2.

CAPVT V.

De ædificio Iustificationis, per intrinsecam inspirationem.

GEnerale ædificium iustificationis, hactenus tibi, Anima, expositum, simplici discursu meditationis: tu suspirij vento, augmentoque deuotionis, propagare studeas. Iam vt mysterium Diuini Artificis magis commendetur, largiorque effundẽda vis suspiriorum tibi persuadeatur, attende.

tende. In mundo magni Artificij genus censetur, si grandia opera, angusta comprehenduntur manu: hoc facit Deus, cùm priuatam formam Iustificationis, penicillo gratiæ & inspirationis ita efformat, celerique structurâ perficit, vt ipsum opus intrinsecâ admiratione extra se sæpiùs rapiat: tota hæc ædificatio intus radicatur. Apparent aluearia constructa in ædibus, fenestra mediante, visui humano, labor ab illis reputatur secretus: homo qui intuetur constructionem aluearij, delectatur & industria rerum inanimatarum, & inuentionis suæ originem non damnat. Deus immisso iaculo resipiscētiæ è grauitate scelerum, mortali Animæ, in cubiculo Cordis, bonis operibus insudare dulci compellit iussu: ipse per fenestram cooperationis, Oculo auxilij, Parentis amātissimi instar, aspicit laborem, & consolatione recreatur: *Oculi Domini super metuentes eum.* Ps. 32
Et Apostolus imperat salutem operari cum timore & tremore. Iustifi Phil. 2.

cati enim reputant vanum conatum proprium, cum Euangelistâ Lucâ di-
Luc: 17. & 10. centes: *Serui inutiles sumus.* Existimāt neminem mūdanū, nosse in iustificatâ Animâ, characterem gratiæ Dei. Videtur nihilominùs, S. Stephani vultum Iudæi contemplabantur, vt vultum Angeli Dei. Interior pulchritudo, etiam exteriori formâ se prodit. Dauid de tali iustificata Anima:
Psal: 44. *Omnis gloria eius ab intus.* Est speciale artificium Diuinum: sicut enim Homo creatione est paruus mundus, ita Iustificatione est paruum cœlum. Deus residentiam suam in corde Iustificati constituit, ibi ergo cœlum est. Operationes omnes voluntatis & memoriæ, circa Deum tanquam obiectum versantur, est ergo cœlum. Æternitati fælici omnes actus seruiunt, ergo cœlum. Concentus harmoniæ & affectuum, in laudem Creatoris resonat assiduè:
Cāt: 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; ergo cœlum. Vno verbo, iustificatio intrinseca est cœlum ante cœlum, vel imago cœli, vel præludium

gaudij

gaudij cœlestis, vel atrium, ante ingressum cœli. Considera, Anima, quali methodo Iustificationis per Inspirationẽ ratio à Deo seruetur. Triplici, ni fallor, tempore Creator iustificat Animam, aut ante & post conceptionem, & natiuitatem; aut vitâ decurrente; aut senio, vel mortis pũcto imminente; neq; deerunt exempla, vt quod adeò latet, ijs manifestetur. Rariùs ædificium iustificationis consurgit, quod ante conceptionem extruitur, Mater Dei & Virgo MARIA sola; hæc quia partui virgineo seruabatur, maternitateq; Diuinâ donabatur, illæsa in altissimam structuram euecta, adeò vt beatam dixerint, dicãt, & dicturæ sint omnes generationes: tam conspicuum ædificium, vt etiam Ethnici eam venerentur; tam amplum, vt sub pallio protectionis eius, naufragi plurimi conseruentur, & portum cœlestem securi comprehendant; vnica Iustificationis domuncula hæc, non alia, sponso idem consonante: *Vna est columba* Cãt: 6.

mea,

mea, perfecta mea Ædificium post cõceptionem Iustificationis, neque illud pluralitate celebre, Hieremias & Ioannes præuenerunt Natiuitatis tẽpus, sanctificationis stolâ induti: ille Dei promulgatione, hic castissimæ Matris cum Virginitate aduentu, lecticæq; partus Diuini accessu, tripudians meruit anticipatiuè Iustificationis gratiam. Post Natiuitatẽ plures Iustificationis beneficium protulit: Iacob Patriarcha egressus paritate fraternâ, thalamum Matris, dilectionem Conditoris, fratri eiusdẽ odio relicto præripuit, ac postea primogeniturã, industriâ & obedientiâ maternâ, duplicato emerat. Inuenti multi, qui iuuentutis remora neglecta, eremo & Monasterijs dediti, Iustificationis compendiosam viam arripuêre. In vita decurrente, maximo numero Deus gratiâ Iustificationis ornauit. S. Franciscus, mercaturâ relictâ, nuditate & paupertate adeò locupletauit cœlum, vt & ipse Seraphicus Pater meruerit vocari in terris, & fami-

lia e-

lia eius propagata, velut arbor fœcũda, multis racemis ſanctitatis varietate hucuſque floreat. S. Ignatius Loiola, ex militia mundi in Satellitium Dei tranſlatus, ſaucius pede, conualuit capite; agnitaque vanitate ſæculi, Caput Ordinis Societatis IESV effectus. S. Tereſſa virili animo contemplationi dedita, virorum emollitum paulò Ordinem Carmelli, auſteritati priſtinæ reſtituit. Referam recẽs in Polonia factum: Erat quædam fœmina pietatis zelo nota; ad illam Aulicus vitæ ſecularis venerat, ſtatũ proprium precibus eius commendando; ſæpiùs id tentatum; tandem ſemel cùm ille eam accedere nõ intermitteret, ſermone vario mutuo occupati: Fœmina Crucem quam ante ſe habebat manibus apprehenſam, applicat cordi Hoſpitis, his verbis prolatis: Accipe gratiam Dei, quæ iam tibi datur. Vix edixerat, ecce ille in planctum & ſuſpiria reſoluitur, & nõ lubens, ad ſtatum Spiritualem trahitur: ignarus rei ipſemet, mirari inci-

pit; tum versus ille continuè nocte
Psal: 54. dieque auri insonabat: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, mãdauit in æternum fluctuationem iusto.* Eoq; deductus est, vt statum Ecclesiasticũ elegerit, viamque è diametro contrariam ducat, in bono hucusque perseuerans. In Genesi, cùm Deus limo efformato, Animam crearet Adami,
Gen: 2. dicit Moyses: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Sic noua Creatio Iustificatione instituitur. Quid est peccator, nisi limus absque Anima? putidum membrum, male olens vas, & putredo horrida? Lazarus vix quatriduanus, fætebat: & peccator quatuor dierum, mensium, annorum, ætatum non redolebit hircum? Ita corrumpet Animam, vt habitu æternitatis sordidæ contracto, odorẽ vnguentorum pœnitentiæ nunquam admittat. Quid ergo Deus? Ex Iustificationis electuario deprompto Oleo gratiæ, reuocat ad vitam; spiraculum, & suspirium vitæ æternæ, inspirat in faciem, (in intellectum videlicet mor-

talis mortui) funduntur lachrymæ, pectus tunditur, pœnitens cor gemit, officia vitalia Christiana exercentur, emortuum cadauer Spiritualiter resurgit. Iterum fit, vt sæpiùs deleatur Iustificationis beneficium, calamo Scribæ velociter peccãtis. Tanta misericordia Diuina, vt millies resuscitet pereuntem Animam. Non mirũ, si inter tot varietates, fragilitas Animæ perdat Sponsum suum, quando Mater Dei Filium amiserat in Tẽplo, non poterat intrinsecè amittere illũ, quem intimè dilexit corde. Extrinsecè figura ostensa, iustos posse priuari Saluatore, sed Puerulo, cùm adhuc rudimenta Iustificationis præleguntur Animæ. Qui raró merentur gratiam Iustificandi, sæpissimè perdunt & sponte Christum, & maximè in Templo, in quod intrant vt amittãt, vel vanis cogitationibus, vel inutilibus confabulationibus, vel occasionibus captandis peccandi, oculi vbique vagantur, solo Dei aspectu obcœcati: amittitur oculis Saluator,

Luc: 2.

amit-

amittitur auribus, amittitur linguâ, amittitur desiderijs noxijs. Quomodo ergo inuenies, mea Anima, quæ toties frustraris te ipsam conuersatione Dei? Redeas ad Templum cum Mariâ, alloquaris, dolentem te quæsiuisse Dominum; inuenies inter Doctores sedentem, Iustificationis gratiam doctrinâ cœlesti tibi instillantē Sacramentorum medio. Initium Iustificationis è Doctrina Redemptoris sumptum, pauci eiecti, è duodecim Apostolis, vnus Iudas. In cruce Iustificationis opus exercebat Christus, ipsam crucem iustificando, corpore pretioso appenso suo. Dextrum Latronem eripuit Diabolo dextrâ manu; sinistrâ manu blasphemū Latronem repulit à se, & remouit à Iustificationis dono: terret manus sinistra, quæ ideo affixa Cruci, vt arceat metu ab interitu, deterreat à peccato, viamque sinistram ingredi prohibeat. Cōsuetudo in Ciuitatibus maioribus, vt manus lignea ostendat iter, quod ingreditur viator ad aliam celebrem

Vrbē; alias vias euitare, & relinquere, tacitâ commonstratione docet: Ita & Anima, quando egreditur è Ciuitate forensium negotiorum, & itinere cursum ætatis consumere meditatur, non vna manus in ligno, duæ monstratiles apparent: Dextera, vt illàc quo mandata Diuina dirigunt, inflectat conceptum iter: Sinistra, ne latâ viâ ducatur ad perditionem, sanguine dehortatur. Si enim Deus innocentia ipsa, vt reuocaret à sinistrâ peccatores, & spinis caput, & clauo manum læsit: quomodo securè tali viæ peccatrix Anima se committet? Si aliquis in viæ cursu offenderet occisum, vel vulneribus affectum: sciretque esse Latronibus obsessum iter, etiamsi floribus consertum relinqueret; potiùs per abdita loca, & deuios saltus properaret, vt euadere posset insidiatores vitæ: sic non aliter sinistra manus cruenta, insidias peccati euitare monet, & Iustificationis dexteram arripere præcipit. Exiguum interuallum est viarum, dum incipiūt

separari: at quò vlteriùs, eò longiori distenduntur termino. Via iustificationis & perditionis, distant inter se longitudine extensionis manuum Christi; at spatium æternitatis consequens, verendum: aberrâsti, Anima, semel, errorem multo labore vix in perpetuum emendabis. In morte vltimo suspirio inchoatur via designata, ob merita vel demerita à Deo; at distantia summa post mortem, secundum Abrahamum: *Inter vos & nos, Chaos magnum firmatum est.* Sinistra manus clarè non permittit perditam viã sequi, inuitat Animam ad cor Christi apertum, apertam videlicet Iustificationis gratiam semper, morte & cruce Redemptoris. Miris enim modis Deus inspirat Iustificationis gratiã: vnum exemplum sit in testimonium. Non multo ante tempore accidit in Belgio, quandam virginem viam Iustificationis constituisse eligere, Monialiumque choro aggregari, dehortante Parente; eandem tandem puellam instigabat iustificationis dulce-

Luc: 16.

do, vt ingrederetur Monaſterium: Pater fruſtratus ſpe conceptâ, properat eo, vi educit filiam è Cænobio: ſed illa nocte profundâ aufugit, admotiſque ſcalis, altiorem tranſcendit murum, Clauſtroque ſe includit, nec vllo modo à Parente inde reuocari potuit. Quanta vis Iuſtificationis? Cum Dauide exilire valuit: *In Deo meo* Pſal:
tranſgrediar murum. Ante finem mun- 17.
di ignotus numerus Iuſtificatorum, quem in Apocalypſi dinumerare non fuit auſus S. Ioannes: poſt Iudicium finitâ gratiâ Iuſtificationis, apparebit amplitudo miſericordiæ Dei. In decrepitâ ætate, & mortis viciniâ exẽpla ſtupenda non deſunt, quibus Deus Iuſtificationis Regalem gratiam contulit, iam iam periclitantibus de ſalute, ex inexhauſtâ bonitate & clementiâ ſuâ. Agnouit hoc Regius Pſalmiſta, dicens: *Multiplicatæ ſunt in-* Pſal:
firmitates eorum, poſtea accelerauerunt. Su- 15.
periùs explicat, quorum ſunt infirmitates: *Sanctis, qui ſunt in terra eius.* Omnibus inſtitutus eſt curſus ad termi-

num

num felicem apprehendendum. Aliqui fortiter currunt in stadio, alij leniùs, alij posteriùs inchoãdo cursum, fidunt pedum velocitati, quorum celeritate sperant se obtenturos præmium. Quatuor animalia apud Ezechielem, figurant decursum in stadio Iustificationis: Homo alatus, bos alatus, Leo alatus, Aquila alata. Homo cum sufficienti gratia, alis misericordiæ & cooperationis Dei, currit ad terminum decenter. Bos, qui tantùm aratrum respicit, totus immersus in labores circa vanitates mundi; vt reçtè possit dicere cum impijs: *Lassatus*
Sap: 5. *sum in via iniquitatis, ambulaui vias difficiles*; imò comedendo nimium fatigatur: alis tamen gratiæ Diuinæ applicatis, propellitur ad consequendam Coronam. Leo furens, rapinis & oppressioni pauperum inhians, quàm procul à mercede Iustorum abesset, nisi alæ eædem cõcessæ bonitate Dei, effectiuè incitarent ad continuandũ derelictum cursum. Aquila supernè volitans, superbia ambitioneq; onu-

ſta, Aquilonem verſus, diuerſo à ſtadio itinere auolâſſet; flectit Iuſtificatio viam, ventoque ſpiritûs vehemẽtis, cogit vertere vela ad Orientem, & *Pſallere Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem*: alaſque accommodat efficacis gratiæ, quibus apprehẽdere poſſit finem creationis: *Orietur in diebus eius* (extremis) *iuſtitia, & abũdantia pacis*. Quare pedes omniũ animalium vitulini, & quare alæ adiunctæ? tarditatem naturæ noſtræ indicat pes vituli; diuiſa eſt, & Deo, & mundo ſeruit: alæ ſunt meritum Iuſtificationis, difficulter alæ applicantur pedibus vitulinis, rarum donum Iuſtificatio: quòd ergo omittis, Anima, curſum, occupationum tuarum mole, hoc acceleras, ſed tardiùs nimirum in fine decurſus ætatis, ex purâ & putâ gratia iuſtificante. Hinc maius artificium apparet Domini, qui pedes vitulinos & terrenos, euolare facit ad accipiendum brauium. In gratia Dei conſtituti, volant ad mandata Dei: *Viam mandatorum tuorum cucurri*:

Pſal: 67.
Pſal: 71.
Pſal: 118.

offendere Deum etiam leuissimis noxis verĕtur. Vitulini pedes tardè gradiuntur, neque lethali peccato lædere Creatorem, magni æstimant. Similitudine seruiente ad hanc materiam vtitur Bellar: *Sicut ij qui calceis sunt assueti, pedes teneros ac delicatos habent, adeò vt vel minimos lapillos, & minutissimas stipulas facile sentiant: Ii verò qui nudis pedibus incedunt, & rarò calceos induunt; iam occaluerunt, nec modò lapillos & stipulas nõ sentiunt, sed neq; magnis lapidibus, aut tribulis offenduntur. Sic etiam qui teneram conscientiam habent, facilè sentiunt spinas etiam minutissimas peccatorum, nec quiescunt, donec eas de conscientia exemerint, & Animam languentem atq; ægrotam curauerint: At qui rarò consciẽtiam purgant, rusticos pedes, & assuetos tumoribus, & punctionibus habent; non parua & leuia, sed neq; magna, neq; grauia, neq; horrenda, neque immania crimina eos perturbant.* Qui vitulinis pedibus ambulant, nunquam calceis vtuntur, pergunt, neque læsioni subiacent: amant carnem, eiusque mancipia sunt, cuius obsequũtur mãdatis,

Cõc: de Trib: 7.

nutri-

nutriunt, fouent, ac alimentorum copia habitu prauo impinguare ſolent, Crucem horrent, cum Scribis & Phariſæis dicunt ad Chriſtum: *Deſcende de cruce, & credemus tibi: non libenter Domine, te de iſto ſuggeſtu prædicantem audimus; deſcende de Cruce, & credemus tibi; de gloria, de Regno, de beatitudine diſſerere ſi volueris, te attentiſſimis auribus audiemus. At de caſtitate, de ſobrietate, de patientia, de cruce, de condonandis iniurijs, de perferendis incommodis, de periculis ſubeundis, tetrica oratio eſt, inuoluta, recondita, non capimus, non intelligimus: deſcende ergo de cruce, & credimus tibi.* Poſtquam alas Iuſtificationis accipiunt, omnia facile perferunt vitulini pedes. Hoc itaque volebat innuere S. Rex: *Multiplicatæ infirmitates eorum* (dum vitulinis pedibus ambulabant) *poſtea accelerauerunt*, dum alis Iuſtificationis, neglectum curſum adæquârunt. Faciunt quod ruſticus Alexãdro Magno reſpondit: Iurauerat Alexander primum animal obuium Dijs ſe conſecraturum; Ecce Ruſticus obuiam factus cum Aſino,

Bell: in Cōc: 20. Dom. Quinqua.

Pſal: 15.

Rusticum ex voto morti parat. Interrogante autem illo de causa necis, eamque perpendente, retulisse ad Alexandrum, non illum, sed Asinum quẽ propellebat, oculis eius primum apparuisse, eumque immolari debere: delectatus Rex ingenio Hominis, eo dimisso, Asinum interficiendo, promisso Dijs satisfecit. Ita Iustificati, scientes iram Dei semper paratã, accensam sicut fulgur, post mortem ergo in primo conspectu Iudicis, ne incidant in indignationẽ, Asinũ obijciunt, corpus videlicet, & dicunt: Offero tibi Domine, hoc miserabile corpus meum, in quod omnem iram tuam liberè effundas, tantùm ne deneges mihi amorem tuum: parce Domine, Animæ, in Asinum corpus meum, executionem furoris tui liberè exerce. Hinc fit, vt Sancti patiantur hilares in corporibus, tormẽta & vinculi mundani, in ianuã mortis, Iustificationis alis donati, libenter tollerant & morbos, & dolores, & mortem; exponũt Asinum corpus, vt ipsi

euadant pœnas æuiternas. Mirabile artificium: *Postea accelerauerunt.* Bononiæ vidi cutim detractã equo, Comitis Pepuli fæno fartam, in memoriam victoriæ in cursu equorum obtentæ sæpiùs: Est mos ibi, vt vicibus aliquot ânni, pallio vel præmio proposito ex Diuite materia, currant equi ad gradus Tẽpli S. Petronij: hic equus absque sessore currens, vicit multoties (nôrunt equi soli vsu frequenti terminum, per mediũ corpus applicatur zona, ex lateribus puluinaria plena aciculis volantia, ad vtrũque latus hærent, in cursu attolluntur puluinaria, quæ pungunt latera; ita incitantur ad maiorem cursum: nam quò fortiùs currunt, eo maiori impetu feriunt aciculæ corpus) Semel in medio cursus nominati equi, fæno plenus currus casu interuenit, ipsiusque stitit gradum: tum ille magno nisu trãsilit currum, & velocitate intensâ, dum præcurrit præcedentibus equos, aduolat ad gradus Templi, ibique corruit & moritur, victoria, Do-

mino suo, & gloria relicta. Tales sunt equi, & vituli, obtento Iustificationis beneficio à Deo, cognito termino vitæ, zona castitatis sponte, & virtutum aliarum se præcingunt, flagellis & afflictione addũt calcar cursui, & impedimentis omnibus reiectis, contemptuque mundanarũ voluptatum (quæ tanquam currus aggrauatus fæno, carnalium illæcebrarum offeruntur) intensè vni voluntati Diuinæ subiecti, antecedũt priores gratiâ Iustificationis, & ad portam Tẽpli illius cœlestis admissi, clamore edito cum Psalmista: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Morte sua triumphum Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis, imitandum posteritati, merentur. Verè dixisti in spiritu Propheta: *Postea accelerauerunt.* Verùm vt, Anima, exemplis etiam intelligas melius artificiũ hoc Dei, aliquot proponentur eorũ, qui & accelerauerunt, & qui occasione datâ, noluerunt accelerare, vt hâc consideratione viam Iustificationis ti-

Psal: 121.

nis tibi impetres, si non in vitâ, in mortis saltē peruigilio. Colitur Senis Sāctus, qui totâ vitâ pyraticam exercebat in terra, vno ante obitum anno, cordis pressus dolore, & angustus, desperans quasi de venia, nudū ensem apprehendit, manuque lapidē tenuit: Tam, inquiens, difficile est mihi, mereri remissionem peccatorum, quàm hoc gladio lapidem istum discindere. Infixit ictum lapidi, trāsijt ensis lapidem, totumque peruasit: capulus gladij instar crucis apparens, prostrauit peccatorem, repentè ita immutatus, arduam, arctamq; vitam, ibidem instituere cœpit: Vt eodem anno mortuus, in breui virtute consumatus, inuentusque à viatoribus, corpore odorem suauem redolēte, miraculis plenus, non expleto anno, à Summo Pontifice in numerum Sanctorum solenni apotheosi relatus fuerit. Multæ infirmitates antea; postea accelerauit nimia pœnitentia ad gloriam. Regium locum teneat Rex Galliæ, Carolus Octauus, post bella

multa, & prælia confecta, vbi infirmitates humanæ congregantur, domi in arce Ambosiensi à prandio sanus, vegetusque totus, aspiciendo pilæ lusum, assistente Regina vxore, & alijs Proceribus, subitò profert: Ab hoc tempore promittere se, cum Dei gratai, nunquam mortali peccato Creatorem offendere. Quibus verbis effatis, concidit in terram, & morte extinctus est. Postea accelerauit Iustificationis Regalis gratia concessa Regi. Eratne occasio, tempus, locus, tali resignationi? Mirabilis structura Iustificationis intus efformata à Redemptore, apparuit & euanuit, cõmendans artificem. Legi quendam Dominum habuisse seruitorem, garrulitate, & iocis eruditum, semper mensam Heri exhilarasse, assidendo, vna vice inter sermones iucũdos momento è viuis sublatum. Desperabatur de eius salute, cùm ipse aliquot dierum interiecto spatio, apparuisset Sodali cuidam, seque in numero saluandorum esse enarrauit: cùm alter

diffi-

difficultatem prætenderet, vitæ ante pessimè actæ memoria expositâ, ille subiunxit, ipso momento mortis, cõtritionis actum se elicuisse, ideo misericordiam consecutum. Re ipsa postea accelerauit, vno saltu, longiùs à meta distans Iustificationis, attigit fælicitatem, præcedentibus infirmitatibus superatis. Sed quid aliunde exempla petimus accelerationis, cùm in Polonia hisce temporibus nostris, fuerint in oculis frequentia? Quadrigas tibi exemplorum præsentabo: Anno 1633. Nobilis quidam épulis peractis, æger lecto impositus, superueniente febri calidâ, extra sensus abijt: nulla Confessionis sacræ ratio inueniebatur, iam exhalasse creditus fuerat animam, rediens ille ad se, validâ voce dixit? O Deus, quã mirabilis tu es in Iudicijs tuis! hilari fronte videbatur exprimere verba, statimq; somnum vltimum repetijt. Postea accelerauit sola misericordia Dei, sanante infirmitates in non sano corpore. In Polonia, Arrianus qui-

dam tota vita nullis flecti se ad verā Fidem passus disputationibus, & vexationibus: die ante abitum à mũdo, à nullo coactus, Sacerdotē aduocat, Arrianismum abolet, Baptisatur, & generali confessione absoluta, Sacroque viatico sumpto sequenti diluculo, non tam moritur, quàm oritur cœlo. Posteâ accelerauit, infirmitates anteactas, sacro lauacro delens. Noui mihi familiarem in Aula, magnæ prosapiæ virum, Hypocondriaca laborantem quidem, at bona valetudine constitutum, Varsouiâ voluerat abire, currûs erant iuncti, ascensum parârat: interim puerum iubet, vt celeriter Patrem Societatis aduócaret; fit, venit Sacerdos, dicit se velle festinanter confiteri, lachrymis & suspirijs institit peccata eluere. Postquam Confessarius protulit: Ego te absoluo; vidit se demittētem in terram pœnitentem, vult eleuare, non tamen potest; aduolant famuli, spiritu vitæ destitutum animaduertunt. Postea accelerauit, ac infirmitates &

melan-

melancholiam, in iucundos amplexus Angelorum commutauit. Ante duos annos, cognatus meus, familiæ præcipuæ, Hæreticã perfidiam toto vitæ tempore tenuit: sub finem tamẽ eius, duarum septimanarum circiter ante mortem spatio, eãdem est detestatus adeò gloriosè, vt pœnitentiam in summis doloribus terræ incumbẽs, agere se fateretur, Proli admonitione verè Paterna, maledictionem indixit, nisi resipiscerent, Catholicãq; Romanam Fidem amplecti precibus & minis persuadebat, errores hæreseos publico damnauit calculo, ita totus in planctum resolutus, solutus est à vita mortali. Posteâ accelerauit, infirmitates detestatus cõmissas, Iustificatorum numero est adauctus. Audias, Anima, duo exempla, à quibus acceleratio & Iustificatio reiecta, vnum domesticum Vilnæ accidit: Erant duo fratres, vnus Religiosus, alter hæresi infectus: laborabat bonus frater, vt Animã germani lucraretur, nihil tamen profecit. Ecce

periodus vltima vitæ instabat hæretico: iam Agonizanti adstitit Religiosus, spem adhuc salutis superesse inglutinans: stabat & Minister sectæ Lutheri Doctor, vtroque lectum circumstante, infirmo vero voce destituto nihil loquente, intendit frater, ne Animam suam perdat, Misericordiam Dei nō defuturam vni suspirio, cùm loqui non possit, porrigat manū, quo signo demōstret, in quanam fide moriatur? Sum ego, inquit, Religiosus, est & Minister, extendemus manus vterque, tuam vicissim dexteram iunge vni nostrûm. Æger attolit manum, suspensaq; fortè vno quadrāte, dubius quidnam agere deberet, subitò manu Ministri compressa, exhalat deplorandam Animam. Infirmitates acceleratione non sublatæ, neglectâ tam euidens gratia Iustificationis, ad Barathrum accelerauit miserum. Alterum Principis cuiusdam temerarium ausum, quod nostro æuo euenit, accipe. Magia hic tractanda delectabatur, compellat precibus Magum,

vt Diabolum in sua forma videret: excusante Mago, cùm nihilominùs ille vrgeret, suscepit se audientiam apud Dæmonem impetraturum, quatenus ipse possit eum hac de re interpellare. Promisso delectatur Princeps, voce Magus inuocat Sathanã, Princeps idem postulat: respondet teterrimus Dæmon, se adeò esse deformem & horridum, vt qui se intueri desiderat, vitâ priuetur. Nihilominùs pertinaciter instigante Principe, Hostis Animæ, distulit ad tres dies sui aspectum; videret interea, num probè id votũ conciperet; die designatâ iterũ Dæmon denegat, & dissuadet intẽtum, coactus tandem iteratis postulationibus, sequenti luce, hora primâ pomeridiana, soli Principi statuit se appariturum: factum est, apparet truculentum bellum, Principi eo spectaculo siccæ venæ grandiores pedis vtriusque disruptæ, toto corpore tremente, copioso sanguine effuso, tertio die necem Principi intulêre. Hæreditate inscripta, deuasta-

tioni Principatus, accelerauit deformi prospectu mortem sibi, infirmitatesq; vitæ elapsas, postea accelerauit ad maiores, nefando spectaculo. Tu, Anima, alto suspirio inuoca Deum, & quandoquidem multiplicantur infirmitates tuæ, in decursu dierum tuorum, postea iustificationis gratiam tibi vt acceleret, ac depositis vitulinis pedibus bifidis, quibus carni & mundo seruiuisti hactenus, terribilibus istis exẽplis excitata, dolore cordis vindictam Altissimi cohibe, assume duplices pennas, vtramq; manum Christi, quæ charitatem & misericordiam aperit amplectere, & pœnitẽtiam corde fouẽs, Regis ductoris tui
Psal: 88. vocem emitte: *Misericordias Domini in æternum cantabo*: vel præludium libri
Psal: 118. huius reassume: *In æternum non obliuiscar Iustificationes tuas* (Domine) *quia in ipsis viuificasti me.* Vt cùm sarcina corporis tui deponenda erit, nudaq; præsentari debebis Iudici, meritis Passionis, & vulnerum sinistræ manus, læto vultu, deuicto mundo, carne & Dia-

bolo,

bolo, erumpere valeas in verba Psalmi, dicendo : *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Restat vt de Iustificatione in statu Spirituali, vbi maius apparet artificium Altissimi, tractetur conformiter, vltimo Capiti libelli anterioris. Nam sicut status omnes sæculares, conseruatione Diuinâ stabiles, considerauimus : sic iam Spirituales Status, Iustificatione Diuinâ, mirabiles futuras tibi, Anima, demonstrabimus. Psal: 117.

De Iustificatione, per vocationem Statûs Spiritualis.

CAPVT VI.

IVstificatio per vocationem in quolibet statu palàm agnoscitur, Dei, si, impulsu cœlesti merè fiat, inde omnis status non caret præmio in cœlo: Particulari & secretiori viâ, tamē in Ecclesiastico, & Religioso vitæ genere comparet. Christus vocatione ad vineam, in Euangelio vocat

otiosos, sed ad laborem, postea ad mercedem. Religiosi ab Hæreticis vocantur otiosi, quia mundus contraria vocatione, opinione, laboriosos vocat ad otium, & postea ad perditionem. Est etiam labor otiosus, imò negotiatio: meliùs otio tali assuescere, quàm malo labori. Damnati lassati erant in via iniquitatis, non ergo otiabantur, fatigati vacuo labore & difficili Dupliciter Deus vocat otiosos ad laborem, vel merè otiosos: qui nulla re circa æterna occupati, vanitatibus mundi, & somno, iocis conuersationibus addicti, tempus consumunt, vt consumant. Ad tales directè Philosophus: *Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Vocatio Diuina horum otiosorum immutat animum, & Religioni inclusos, labori continuo volentes alligat. Vel vocat æstimatione otiosos, qui videtur otiari cùm maximè laborant: si quis tacito vultu in otio Spirituali considens de statu eligendo; de conformatione vo-

Seneca Ep: 1.

Iunta-

luntatis suæ cum Diuina; de constātia in seruitio Dei, meditetur; illos vocat ad laborem, vel potiùs ad solatiū in ipso labore, vti Dauid animaduerterat: *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Psal: 127. Manducare esurieti, quālis labor? Ita laboranti in vinea Domini, laboriosa est manducatio Spiritualis. Idem Rex, laborem talem fictum asseuerat: *Qui fingis laborem in præcepto?* Psal: 93. Verè fictus labor, respectu præmij realis, at iam absconditum præmium; vnde idem Psaltes hoc notat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Psal: 30. Labor extra apparet, intus dulcedo abscondita. Aulicam vitam vocant quidam, splendidam miseriam. Meritò sanè: nihil enim redolet, nisi bonum coloratum; re ipsa torquet, cruciat: Inuidia Aulæ pungit corda, ambitio fatigat, appetitus crescit, defectus expellit somnum. Vocatio Religiosa contrariò: videtur splendidus labor, non enim lassat, imò fulget, & præsenti solatio, & præmio futuro

Spon-

Sponsus in Canticis expressit laborē sine fastidio. Quis enim somnum appellaret laborem! *Adiuro vos Filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Religiosa vocatione iustificata Anima immersa, in contemplatione cœlestis Sponsi quasi obdormit, neq; vllæ res creatæ excitare possunt à somno dulcissimo; tam diu quiescit, quàm diu vult; die & noctu comedendo, & bibendo, & vniuersas actiones peragendo. Extra vocationem Religiosam non conceditur similis quies. Inuenitur aliquis Aulicorum, & sæcularium, qui meditari æterna cupit, incipit, at illicò abrumpit etiam inuitus, quia & cura rei familiaris, & amicorum accessus, & negotiorum turba innumera, iam cogitationum pereuntium strepitus, excitatorio sono, veluti Cãpanæ maioris, inclamat auribus, & turbat cõceptum somnum. S. Thomas Aquinas, in medio Conuiuij inclamauit: *Conclusum contra Manichæos*; Dormiebat sopore piæ meditationis mensæ accũ-

Cãt: 3.

bens,

bens, quomodo Hæresis Manichæorum extirpari possct. Lutherus sub lectione Euangelij: *Qui non baiulat crucem suam post me, non potest meus esse Discipulus*: vociferatur in Templo terna maledicta voce; *Non sum, non sum, non sum.* Cogitatio intrinseca peruersa, quæ cuculũ relinquere persuadebat, erupit per os, & ostio aperto effudit vocationis Religiosæ medullam. Fit & in Religione, vt quandoq; somno quieto careant, si non Deo vocante intrent Religionem, vt & in sæculo, reluctãtes vocationi, naufragio pereunt. Tale indicium Bellarmini est: *Multi versantur in sæculo, & non bene succedit eis, & sæpè iacturam faciunt Animarum suarum, quòd alius omninò esset status, ad quem à Domino vocabantur, sed non audierunt. Multi contra currunt ad Monasteria, sed non propterea efficiuntur meliores, nec scopum æternæ beatitudinis attingũt: quod & ipsi non vocantem Dominum, sed aliqua externa commoda secuti sunt.* Vbi verà voluntate Dei vocantur ad Religionem, fructu perseuerantiæ coronantur.

Luc: 15.

In Cõc: in Fest: S. Andre.

nantur. Mirabilis Deus in omnibus operibus suis: mirabilior in vocatione Religiosâ. S. Bern: dicit vocationes esse tres: *Diuinam*, sicut in Paulo: *Humanam*, in quinq; millibus conuersis ad vocem Apostolorum: *Necessariam*, in primo Eremita Paulo. In Paulo violenta fuit: in conuersione per Apostolos, persuasoria: in Paulo Eremita, euitans mortẽ naturalẽ. Ex prima, Vas electionis effectus Paulus. Ex secunda, Fideles in gremium Ecclesiæ admissi. Ex tertia, anticipata mors mundi & electa, præ morte assignata. Prima vocatio, ex persecutore Doctorem creauit. Secunda vocatio, è gentili superstitione, ad verum cultum exercẽdum instruxit. Tertia, è mundo & conuersatione ad eremum euocauit. Prima & vltima vocatio, figurabat Religionũ diuersitatem, quorum alij viuentes intermixti sæculari Ordini, subueniũt periclitantibus doctrinâ, cum S. Paulo: *Argue, obsecra, &c.* Alij inclusi Claustro, exemplo & oratione, compun-

In sent: f. 505

ctionis

ctionis ſpina, feriunt mũdana corda. Media vocatio eſt: Exemplar cõmunis vitæ Chriſtianorum, qui attendẽtes lectioni, vel Concioni aliorum, emendationis vitæ gradu proficiunt. Rara Iuſtificatio in ſtatu ſæculari, & præcipuè in Regio, non multi Reges Calendarij locum occupant. Non multi Alphonſi Reges, qui tripartitò tempora diſtribuebat; octo horas deuotioni; octo ſomno, & curis Regijs; octo iuuandis ſubditis, & audiendis querimonijs eorum, aſſignando. Mẽſæ autem accumbens, in primo Orbe argenteo, inſtar Stemmatis, Crucifixus exſculptus porrigebatur, cum inſcriptione: *Cibus Cordis.* In ſecũdo Orbe Beatiſſima Virgo, Infantem tenens; cum inſcriptione: *Cibus mentis.* In tertio Orbe, Panis efformatus, cũ additione: *Cibus ventris.* Anima nobilior duplici ferculo ante paſcebatur, tum corporis tertio fames ſedabatur. In Religioſo ſtatu, & vocatione, è diametro non frequens menſa abſq; lectione, abſq; ſilentij obſeruatione,

abiq; sanctæ temperantiæ æmulatione. Religiosa vocatio, vel est via & semita, qua manu Dei ducuntur prædestinati ad vitam æternam: vel est rete Christi, in quod Electi congregantur. Prima semita Rex duci cupiebat: *Deduc me in semitam mandatorũ tuorum, quia ipsam volui.* Et filius eius hæreditate pietatis, similem semitam Iusti describit: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei.* In quæ verba mellifluus Bernardus: *Per vias* (inquit) *rectas, viæ Domini, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ sine sorde, quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus iam mundus est intra Christi sagenam. Planæ sine difficultate, quia donant suauitatem.* Vocatio Religiosa, vera est deductio Dei per manum quasi Animæ: sinistra eius, apprehendit dextram manum hominis, cogitantis vitam Religiosam ingredi, & viam secretam, quâ à consortio mortalium, mortalem viam sectantium separat; cordis appetitum in

Psal: 118.

Sap: 10.

S. Ber.

paruam cellulam includit: Musicâ contemplationis intonante, in suspiria & lachrymas dissoluit: Temperātiâ, vegetum & velocē reddit: Vigilantiâ ad nutus excitatos voluntatis Diuinæ, cum Dauide: *Paratum cor meum Deus*; efformat, silentio garulitatem vitiosam, prolixitate verborum detestabilem expellit: Tolerantia contumeliarum, irrisionum, detractionum, agmina dissipat: assiduitate orandi, cognitionem iucunditatis cōsortij Diuini comparat; ita vt non tam vocatio, quàm euocatio è mūdo, dici rectè putetur. In Germania, quodam in loco est Monasterium Monialium, vbi quando votorum solennis professio peragitur, præcedētibus sacris, Virginibus velatis, feretrum, accensis luminibus, nigro panno intectū, præfertur. Sequitur Virgo, quæ vota Domino nūcupari debet, demisso vultu, statim velut tumulo importanda, nulli tunc, aut Parenrum, aut extraneorum colloquio, & consortio frui conceditur. Summa Dei sapiētia

Psal. 107.

& vir-

& virtus, euocat è turba vanitatum mundi, & mori ante mortem docet, vel potiùs mors spontanea, ante debitam mortem, inuenit sapientiam. Iob describit, vbi reperiatur sapientia: *Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum: abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoq; cœli latet: perditio & mors dixerunt: auribus nostris audiuimus famam eius.* Si mors mortua esset, non audiret: per Religionem ergo mortem sæculi interpretatur, hæc audit famam eius, & non tantum audit, sed sequitur. Ita quicunque Religioni se consecrat per mortē & condemnationē mūdi, acquirit famā sapientiæ, vel potiùs ipsā sapientiam. Addit Iob ibidē: *Deus intelligit viā eius, & ipse nouit locum eius, & dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapiētia: & recedere à malo, intelligentia.* In quâ Scholâ, & Academia, de timore & recessione à malo, frequentiùs disputatur quàm

Cap. 28.

in Re-

in Religione? Verè Deus cooperatur ſingulari modo per Religionis vocationem, dum viâ ſibi notâ Iuſtificationis ædificium conſtruit: via hæc eſt parua, pedeſtris, fatigans membra. Scis, ô Anima, pro pedeſtri greſſu ordinariè, ne à curru, & equis, iter & ſemitæ corrũpantur, lutoq; inquinentur, inſtar Crucis lignea obſtacula parari: Equites & currules eò veniẽtes, retrocedere coguntur; pedeſtris viator manu circumuoluit lignũ, ita vt ante & retro, circuitu ambiat corpus; ſic ſicco itinere ad metam deſtinatã peruenit. Clamat Pſaltes: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Pſal: 31. Si quis in mundo voluptatis iumentum conſcendat, vel currum Diuitiarum ſcrinijs onuſtum, ſemitã autem Domini meditetur progredi: quando ad lignum venitur, & ad crucem ferendam, acerba ſubit animum de regreſſu cogitatio. Audiui relationem de quodam magno Senatore Polono, qui cùm aliena in vita rapuiſſet, tandem reſipiſcentiæ ſtimulo

tactus, reddere volebat ablata. In tali deliberatione hærenti, à secretis famulus respondet: Si de reddenda substantiâ, quam alijs ademeras, cogitas, vix aliquid tibi de residuo relinquetur: territus alter mutauit propositum, & à semita Iustitiæ, quia curru affluētiæ vehebatur, retrò cessit. Noueram quendam qui dignitatibus maximis renunciauit, ne concubinæ cohabitatione priuaretur. Religiosus pedestre iter conficit securus: *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Describit
Hō. 11 in Euāg. S. Greg: latrones in hoc itinere: *In præsenti etenim vita quasi in via sumus, quâ ad Patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident: deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* Religiosus vacuus thesauro mundi, vacuus vitijs
Psal. 88. carnis, vacuus curis sæculi, lætus decantat: *Misericordias Domini in æternum cantabo:* Thesaurum spiritualem portat secretò secum, & tanquam auri summa eminentior, paruulo loculo concluditur: ita ille charitate tegit

varieta-

varietatem virtutum, laudes exteriores non quærit, tacitè in sacculo cordis prætiosam margaritam, & aureũ nummum, vtraq; in parte, inscriptione videlicet amore Dei, & amore proximi signatum, recondit in abdito præcordiorum, suspirio & lachrymis euentilando, ne rubigine complacẽtiæ maculetur. Seculares, & Sectatores mundi, crassam monetã & grauem; iam ostentatione, vt videantur, iam distributione, vt laudentur, iam pro peccatis ipsis elargitione, vt iusti existimentur, portant: ideò à Latronibus Infernalibus sæpiùs deprædantur, & viam angustam Dei ingredi, onere prohibentur. Religiosus verò in semita mandatorum Diuinorum pergit, & si crucem ligneam, vtpotè, flagella, persecutiones, præ oculis habuerit, patientia & labore superat: si latera cingant afflictiones, in vita & vsq; ad mortem perseuerãs, imitatur Dauidem: *Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Patientia superat ictus, & actus maleuolorum. Psal: 34.

Mūdi aulicus, si Crux aliqua premat, vel detractio famæ, etiamsi vera, vel quid simile ingratum auribus innotescat, vindictam parat. Describit hoc Bell: cùm inquit: *Si quis fortè auarus, vel intemperans, vel irreligiosus appelletur, mox cum stomacho respondebit: non est ita, mentiris, hoc ferro ostendam me virum probum, atq; integrum esse. Videte hominis dementiam, & quàm stultum argumentandi modum didicerit, gladio probare vult se virum probum & integrum esse: quid habet gladius cum probitate? etiamsi hostem ille suum occidat, nunquid propterea constabit nobis illum neq; auarum, neq; intemperantem esse, neq; irreligiosum? Optimum igitur & saluberrimum vltionis genus hoc est. Auarum te appellauit? exhibe te erga illum ipsum liberalem, obrue illum beneficijs. Intemperātem te esse dixit? sobriè viuito, ieiunijs operam dato. Irreligiosum te nominauit? Tu Templa sacra, Conciones frequentato, sic enim vinces in bono malum, & carbones congeres super caput eius.* Vbi hoc addiscitur? In Religione. Ipse Bellarminus, Societatis IESV alumnus, licet

Cōc: 28. in Dō: Læt.

Rō: 12.

Cardi-

Cardinalitio pileo ornaretur, Regulas Societatis videbatur rubrâ tātum purpurâ contexiſſe. Mirabilis Dei Iuſtificatio, inuocatione Spirituali & Religioſa enitet: euocatio planè è mundo vocari meretur, vbi nihil è mundanis ſordibus adhæret; tali di-
citur in Canticis vocationi: *Egredimi-* Cāt:
ni Filij è Sion, & videte Regem Salomonem. 3.
Explicat hæc verba quidam Doctor:
Illi habentur digni hac læta viſione, qui ſe Sup:
quadam pœnitentiæ lege concluſerint, & di- Cāt:
ſciplinæ coarctauerint cuſtodiâ, quorum re- Caa-
nuit anima conſolari: vis noſſe quàm bona ſit tic.
concluſio? Hortus concluſus, fons ſignatus, ſurge, propera amica mea, & veni. Vides iam quomodo illam (Sponſus) *inuitat, & amicam vocat, quæ ſe ipſam concludere nouit.* Tum alloquitur idem Religioſas: *Quod ſi concluſæ eſtis, nolite egredi, donec Chriſtus vos inuitet.* Egrediuntur Religioſi è Mundo, non egrediuntur de Clauſtro, niſi vel obedientiæ verbo, vel mortis citatione euocati. Egrediuntur ſæculares in Mundo, & egreſſu ingredi faciunt peccata; idem

Doctor egressionem bonam & malã depingit: *Egressa est Dina non educta, & egressa est, non vt Regem Salomonem, sed vt mulieres videret eius Regionis: quid inuenit, vos nostis. Egressus est Lazarus, cùm illũ Dominus reuocaret ad vitam: egressus est Noë de Arca, quæ ipsum inter huius mundi fluctus illæsum conclusit; sed egressus est, cùm ei reclusit ostia Dominus: egressus est Abraham de terra sua, vt promissionis terram videret, sed vocatus egreditur. Conclusus est, & cõclusus miserè, qui ad beatam hanc visionem ingredi nec nititur, nec meretur.* Securus Religiosus qui se Claustro cõcludit, & securus egreditur, si obedientiæ magisterio euocetur. Sæcularis nunquam securus, obedientiæ enim freno rupto indomito, voluntatis ductu vagatur. Egreditur Religiosus aliquãdo accommodando se historiæ, quam citat Iustinus: Dum in vna Ciuitate mactatis Dominis, serui Principem eligere inter se decreuissent, qui primus Oriẽtem Solem notasset, eum pro capite sumi debere. Instructus seruorum quidam (hic Dominũ

Ibidem.

occul-

occultè neci ſubtraxerat) occidentis Solis montes intuebatur: irridebatur quidem à conſeruis, verùm radij ſolares è diametro conſpecti in occidente, primo omnium, prudentiam reconditam Domini ſeruati prodidêre. Non aliter Religioſus vir, orientem Solem Iuſtitiæ concupiſcens intueri, exit contemplationis perambulatione, & occidentis Solis montē Caluariæ, pro radijs & ſpeculo ſibi proponit. Mortis Domini tempore tenebræ erant in illo occidente, at iā vti Crucis ignominia in gloriam verſa, ita & obſcuritas mortis Chriſti, in ſplendorem immutata radios oriētis gratiæ ſuauiter emittit, & diem æternitate fulgentem præcedit. Vel Religioſus ſuum occaſum meditationis repercuſſione ſibi repræſentat, cum Epicteto: *Non ſum æternitas, ſed homo; Id eſt, particula vniuerſi, vt hora diei: venire igitur me oportet vt horam, & præterire vt horam.* Memoriæ inculcat Religioſus, tempus illud terribile Iudicij: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret* Mat. 24.

in occidentem, ita erit aduentus Filij hominis. Fulgur & lucet & terret, terrebit Iudicium impios, fulgebit Electis, &
Sap: 3. ipsos fulgore perfundet: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Religiosus ita se parat vt fulgeat, & non terreatur aduentu Domini, incedit semita recta: & si inuenit Crucem, non coactè, libenter, dulciter humeris suis imponit. Vel egreditur Religiosus, vt exemplo & doctrina, sæculariũ occasus, id est mortes peccatorum proponat, eosque à perditione aperta liberet, impellatq; suasu, vt crucem à Deo impositam patienter sustineāt. Religiosa via est Magistra ferendæ Crucis: inueniuntur quidem & Religiosi, qui cũ Cyræneo impelluntur vi ad Crucẽ cum Christo baiulandam: rariora tamen exempla talia, infinita propè in sæculo. Quæ autem merces Cyræneo assignatur ab Euangelista, pro labore in portata Cruce suscepto? Nõ
Marci 25. alia, nisi quod Patrem nominet Alexandri & Rufi: *angariauerunt præter-*

euntem

euntem quempiam, nomine Cyrenæum, venientem de villa, Patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret Crucem eius. Exigua certè remuneratio. Fortè si Religiosus vel aspiratione amplioris dignitatis, vel vanæ gloriæ respectu, tanquam posthumæ hæreditatis tumore, portat Crucem, vel doctrinæ segetem, cõplacentiæ gustu colorando, aspirat vt nomẽ eius ore hominum celebretur: ecce stipendium baiulationis Crucis cum Regio Propheta: *Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis.* Psal: 48. Merces post mortem alia assignatur: *Sicut Oues in inferno positi sunt, Mors depascet eos.* Ibid. Non frequens talis in vita baiulatio Religiosorum, sæcularium frequentissima: ideò addit Dauid: *In terris suis*: vt Diuitum mundo seruientium, non sponte sua Crucis toleratum pondus cum Christo, qualis est in Religione, propalaret. Est ergo semita Iustificationis certa, per vocationẽ Religiosam. Iam quòd & rete Saluatoris, vel sagena Euangelica, sit omnis Religio,

videndum. Si homines sunt pisces, ergo Religio particulare & speciale rete, iustificans Electos pisciculos. Bellarm: aliquot ponit rationes, cur pisces vocentur homines. Piscuim proprium est, vt in aquis habitent marinis, quæ tametsi claræ & perlucidæ videantur, & ad bibendum inuitent; tamen amarissimæ & salsissimæ sunt: Sic hominibus peccatoribus, mundanæ res pulchræ & dulces videntur, cùm tamen amaræ & falsæ sint. Pisces sunt frigidissimi, calore naturali destituti: homines peccatores piscibus sunt frigidiores, cùm ardore charitatis non penè, sed penitus sint orbati. Pisces delectantur sordibus & Cæno, nec manus, nec pedes habent, vt inde se proripiant: peccatores homines, quid non faciunt pro Cæno carnalium voluptatum? imò nec pedes, nec manus habent, nec aures, vt inde egrediantur. Postremò pisces alij alios deuorant: idem hominibus peccatoribus cum ingenti animi dolore ordinarium. *Quare non respicis,*

Cõc: 1. dẽ S. Andrea.

(inquit Abacuc) *ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* tales piſces in ſagena Diaboli comprehenduntur. Religioſi diuerſo modo Piſces, vita tota in mundo degentes, conculcantur & deprimuntur, nec videntur ab hominibus, vt in aqua piſces amaram ſalſam vitã ducunt, cùm interim habitatio illorum ſit iucunditate refertiſſima. Stulti aliquando dicent: *Vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei*: quia ſagena Chriſti comprehenſi. Piſces ſunt naturâ frigidi: Religioſi nullo calore mundi & vanitatum accendũtur, delicias fugiunt, flagellis aſſueti, & mortificationi non incaleſcunt, illecebris ſæculi. Piſces in ſordibus & cæno volutantur: Religioſi in cinere & terra cubant, ſordibus Cilicij & veſtium ſe operiunt. Non manus, nõ pedes habent, vt reſurgant ab aſſueta patientia, quaſi lugentes & contriſtati ſic humiliantur. Piſces alij alios deuorant: per Religionem, alij alios

Abacuc 1

Ecl: 5.

Psal: 34. 1. Corin:4 lucrantur Christo. Vt S. Paulus: *Nam in Christo* I E S V *per Euangelium ego vos genui.* Exemplo, verbo, transmutant sæculares in Religiosam substantiã. Tales pisces sagena Dei attrahuntur. Religionem, Doctor noster Christus, & cœleste Regnum, sagenæ missæ in mare, & ex omni Piscium genere cõ-

Mat: 23. Bell: de S. Andrea: Côc: 1. gregãti, comparat. At quomodo rete Religio ex omni genere congregans pisces? Rete est ex multis filis contextum, plenum nodis, quod complicatum est paruum, explicatũ est magnum: & partim propter plumbum tendit ad imum, partim propter tractionem supernatat super aquas. Vti in præcedentis Libri Capite vltimo considerando, beneficium conseruationis Dei ostensum tibi est, Anima, quàm diuersis artificijs & opificibus, absq; defectione conseruet Deus mũdum: Ita hîc sagena Saluatoris iustificans multitudine, & varietate Religionum, tibi apparebit. Religio, quẽadmodũ rete ex multis Regulis quasi filis contexitur, plena est nodis innu-

mera-

merabilium & maximarum difficultatum: habet nodos mortificationũ, quibus connectitur: habet nodos promissionis Diuinæ, quibus firmissima redditur. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Cõplicatum rete est paruum. Religiosi in summa paupertate & silentio resident: vna parua domuncula, aut Monasterium exiguum, multos complicat & continet. Religionis cuiusque initium paruum est. Explicatur rete magnum, dum Religiosi vel Concionibus, vel scriptis, vel sanctitate totum mundum implent: Religiones progressu temporis, in multis Regnis & Prouincijs dilatantur. Rete propter plumbum tendit ad imum. Religiosi humilitate sese deijciunt, & Ieiunijs exhausti, cum pœnitẽte Rege: *Humiliant in Ieiunio Animas suas.* Religiosos si quid vanæ gloriæ & ambitionis, instar Camelini gibbi accrescat, virga pœnitentiæ, baculo humilitatis Camelum percutiunt, & eo humiliato, ascendunt, & deprimunt

Mat. 12.

Psal. 34.

insurgentes tẽtationes, ac exclamãt: Psal: 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Rete aliquando supernatat aquis: Religiosi vel ecstasi eleuati, vel contemplatione actuali maiores mundo constituti, tandem extracti è luto sæculi, cœlestibus Choris inferuntur. Pulchri & sapidissimi Pisces Religiosi, qui vel assi mortificatione continuâ, vt Confessores; vel cocti tortura, vt Martyres; vel elixi continentiæ amore, vt castæ virgines à Piscatore & Domino, Conuiuio cœlesti apponuntur. Religiosi profundum attingũt in hac vita vt rete, cùm pœnas & supplicia gehennæ sibi cõminantur: sursum remanent vt rete, cùm gaudia & præmia æternæ beatitudinis sibi pollicentur. Sagena verè Religio ex omni genere congregata, non tantùm Nationum, Linguarum; verùm Regularum & vestium, intùs reformationem mentium ostendentium. Hinc Spiritu Sancto ordinante Ecclesia Catholica, Patriarchas Religionum ita elencho Calendarij

inſcripſit, vt ſingulis Menſibus ſingulos Religionum Fundatores nobis proponeret.

I. *Ianuarius* primus receptus anni Menſis, primogenito Eremitarum Fundatore Paulo gaudet, vti hic mẽſis, nec ſeminat nec metit, ita hic Sãctus abſq; meſſe à procuratore prouẽtus ſui Coruo, multis annis paſcebatur: vt quem affinis propter panem interficere meditabatur, cum eo rapax animal partem prædæ diuideret: & qui viuens nonaginta annis homines fugerat, eum Sanctus Antonius moribundum inuiſit, duplicatamque portionem allatam à Coruo miratus, Sanctiorem ſe animaduertit, omnibuſq; propalauit, & quem ſepulturæ, ſoror cum marito, hæreditatis cauſâ inferre citiùs cupiebat, ei duo leones naturam ferocem exuentes, miraculoſum ſepulchrum vltra centum annos Seni eruerunt. Veſtis ex palma Pauli victoriam ſignificat, ordo iam illius, candorem Pauli, palmæ habitu albo, interpretatur. Floret & in

Polonia nostra Religio hæc, primogenitaq; Castitatis, professa castitate, voto, Deipara Częstochouiensis, primogenitis filijs Eremiticis, custodiæ eorum locum tradidit, Miraculis delectum confirmans.

II. *Mensis Februarius*, assumpsit sibi Romualdum Abbatem, Fundatorem Camalduensium : in Polonia Mons vocatur Argenteus, vbi Monasterium illorum situm, & hic, & vbiq; abditam vitam peragunt, argenteo splendore, niueoq; vestium colore, virtutum perfectionem notantes, Ecclesiam Dei illustrant.

III. *Mensis Martius*, Benedicto Patre Monachorum gloriatur vtriusq; sexus, plena eius Fundationis Cænobia, niger color mortuos mundo significat : ex hoc Ordine S. Scholasticæ Anima, velut Columba egressa è corpore, inde & illam, & multos ex ea Religione, Sponsus inuitat ad cœlum : *Veni amica mea, columba mea*. Columbina simplicitate in sinum cœlestis Sponsi euolant.
Cāt: 2.

IV.

IV. *Mensis Aprilis*, Frãciſco de Paula decoratur: Minimorum Ordo Iudicio & nomine in mundo, ex humilitatis voto emerſit, maximus erit & indicio, & nomine, in cœlo exaltationis gloria coronatus, abſtinentiaque illius, voluptatis torrente compenſabitur, argillæ inſtar veſtium colorem efformauit. Figulus ſupremus Iuſtificatione, in fulgentem, vt ſol amictum, mutaturus.

V. *Mensis Maius*, recenti flore, vti in Vere enato, Philippo Nereo, iucunditatem contemptus mundi commendat, Orationis aſſiduitatem inſtituendo, inde Patres Oratorij appellati: niger nunc apparatus veſtiũ, ornabitur candida æternitatis ſtolâ.

VI. *Mensis Iunius*, Norberto Præmonſtratenſium Legiſlatore claret, ille purgatos ab inquinamentis mundi Diſcipulos, doctrinâ & Regulis, veſte alba incedere iuſſit, vt quod interiùs geritur, etiam exteriùs candidum premeretur.

VII. *Mensis Iulius*, copioſam meſſẽ

adul-

adultâ ſegete declinantis ſæculi, per
Ignatium Loiolam Societatis IESV
Parentem collegit, qui tàm vetus,
quàm recens zizanium, à Luthero &
Caluino proſeminatum, euellere ni-
titur, Chriſtiq; ac Eccleſiæ agrum,
lolio & tribulis expurgare. Viget
Religio ab ipſo fundata incorruptio-
ne morum, integerrimæ ſanctitatis
ſpeculum politiſſimum, Iuuentuti
excolendæ & erudiendæ addicta, pro
gloria Summi Numinis (quod vnicum
in votis ſemper fuerat Ignatio) ſpiri-
tualium bonorum incrementis, Ec-
cleſiæ horreum locupletans. Nec im-
meritò veſte nigra hæc dilecta IESV
Societas tegitur: excipit nimirum
liuidæ ictus inuidiæ, maleuolorumq;
perſecutionibus impetitur, abſq; vl-
la integritatis ingenitæ iactura. Ipſi
ſeſe denigrant Aduerſarij, ſuiſque ſe
telis conficiunt, immerſi ſcelerum
fæculentiæ. Poteſt liberè illud ſapi-
entiſſimi Regum Societas vſurpare
effatum: *Nigra ſum, ſed formoſa*; etiam
fructuoſa, & cœlo & Eccleſiæ, & or-

bi vniuerso laboriosa meritis, formidolosa hostibus. Idem Mensis, Eliam Prophetam fundamentum Montis Carmeli continet : Religio hæc reformata à Deipara Virgine, eiusdem Mensis sexta decima die Scapulario porrecto, vel potiùs transmisso è cœlo ad terram : color eius & terrenus inferior, quia ab Elia ortus : & albus exterior, quia à Matre castitatis oblatus. Hunc Ordinem Sanctissima Virgo dilexit, & veluti suum complexa est.

VIII. *Mensis Augustus* ferax, triplex horreum Religiosorum impleuit Fūdatoribus. Dominicus Caniculus cœlestis, à Lupo Infernali gregem defendens, Prædicatorio nomine adornauit Ecclesiam Christi, habitus ab intra candidus, mansuetudinem affectuum prædicat, extrinsecus niger, Concionibus & exēplis deterret peccatores, ne scelerum habitu denigrēt conscientiam, æternis cruciatibus destinandam. Bernardus mellifluus, ipse mellifluum gregē protulit Creatori,

tori, vti Apes in Alueario, ita inclusi in clarissima valle, & vallo Monasterij, Fratres, mellifluâ contemplatione fructum afferũt Domino spiritualem. In Polonia disciplina Religiosa feruet, Peplinum Commissario & Abbate Leonarde à Rembovv, manu tenẽte, floret: vt & Oliuense Monasteriũ. Rectè sanctissimus hic Ordo, Dauidicum illud accroama occi-
Psal: 50. nere potest: *Ego sicut Oliua fructifera in domo Dei.* Augustinus Doctor Ecclesiæ, Ordinis duplicis author, Canonicorum Regularium albedo, puritatem cordis, Eremitarum eiusdem Religionis nigredo, mundi renuntiationem denuntiat.

IX. *Mensis September*, Doctore altero Ecclesiæ, & multarum Regularũ institutore, non inferiorem se reputet S. Hieronymo videlicet; cuius Regulæ in Hispania, Italia, odorem suauem hucusq; reddunt, hortumque Ecclesiæ Romanæ floribus virtutum implent.

X. *Mensis October*, geminatis Fũda-

toribus vindemia Spirituali celebris. Franciscus ex vna vite Paupertatis, sex botros diuersitate imitationis, & laudandæ æmulationis produxit. Admiranda Religio, quæ particulari quâdam Methodo sanctæ conuersationis, hamo simplicitatis plurimas capit Animas, & in cœlestem sagenã infert. Bruno loquacitatem sæculi stupendi silentij, elicit obseruantiâ arctissimæ Religionis, omnes præcidens voluptatum occasiones, Cellâ includit Sectatores vitæ suæ perpetuâ: non confirmatus Ordo nisi à solo Deo, fortè quòd Diuinum, & non humanum, ab omnibus institutum iudicetur.

XI. *Mensis Nouember*, S. Martino Ordinis proprij Fũdatore delectatur, locus propè Turronum, in Gallia, mater Monasteriorum vocatur Gallica lingua: parit certè & nunc Religiosorum multum pietate numerum.


XII. *Mensis December*, nescio an Colophonẽ imponat Fundatore summo tunc nato; an principium det, vt

anni Ecclesiastici; sic omnium Fundatorum & fundationũ Natali Christi. Nunquam plenè exprimi poterit factis Regula huius Legislatoris. Omnium Mensium suprà nominatorum Patriarchæ, ex huius Patris Patriarcharum vita, & doctrina, tanquã è mari, vel ex immenso Oceano virtutum, cisternas imitatione fodere cœperant perfectionis. Ille est fundamentum structuræ variæ Iustificationis: laborauit, sudauit ad sanguinem, & ipsum sanguinem: pedes & manus cruentæ, arduum opus commendant: manus sinistra rubore tanquam sigillo quodam, sinistram portam Inferni occlusit, clauoque firmauit. Apprehende, Anima, suspirio, lachrymis, hanc sacrosanctam conspersam cruore, & perforatam clauo manum: aspira cum Rege tuo, ad Iustificationis gratiam consequendam, perfora contritione & planctu, pro delictis commissis, cor tuum, si non sanguine, ellue pœnitentia, osculando manum Christi sinistram. Ora, vt sit in te

fructus Passionis Saluatoris, quatenus eripiaris è sinistra auerni, quæ aperto ore expectat peccatores, tali, vel simili oratiuncula.

ORATIO.

DEVS, qui merè bonitatis abysso, iustificationis beneficio præuenis malitiam peccantium, humili affectu prosterno me, obnixè supplicans: digneris in Catalogum consequendorum præmiorum Iustificationis me inscribi, vt satisfactione in hoc mundo, ex meritis Sacratissimæ Passionis, & acerbissimæ mortis Filij tui proueniente, expleta, cùm sarcina Carnis, mandato tuo, deponenda erit, in Iudicio districtissimo præsens comparendo, absolutionem reatuum merear obtinere. Per eundem Dominum nostrum IESVM Christum, &c. Amen.



IESVS, MARIA, ANNA.

SVSPIRIVM ANIMÆ POENITENTIS.

Ex beneficio Glorificationis.

LIBER VI.

Psal. 16. *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.*

De Glorificatione in Genere.

CAPVT I.

GRauis & ſublimis materia, quã ſi conceptu & cogitatione, cõprehendere vix poſſumus, quomodo calamo & manu deſcribere poterimus? Difficulter & præteriti libelli conſcripti ſunt, facilitatem tamẽ experientia ſuppeditauerat: Creatio eſt ferè palpabilis: Redemptio annuo

recursu memorabilis : Conseruatio penè omnibus momentis manifesta: Iustificatio multorum vsu virorum cognita, ad cuius possessionem plurimos gratiæ Diuinæ ductu euocârunt. Glorificatio excedit sensum, soli suspirio est reseruata. Hinc Poëta: *Os homini sublime dedit, Cœlumq; tueri.* Quâ causâ os concessum? Cœlum comedi, deuorari non potest, gustari nequaquam. Hinc Rex minimè famelicus, saturitatem nihilominùs desiderat: Iustificationis etiam veste indutus, clamat, suspirat, vt ibi ad satietatem in thalamo Iustitiæ apparẽs, admittatur. Os suspirare debet: os appe[illegible]re: os suspirio ad illam mẽsam saturitate plenam se præparare: os satietatem, beneficio Glorificationis impetrare. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur Iudicium.* Psal. 36. Quomodo meditatio ori conuenit? suspirio: tali armatura scrutatur homo intima Dei arcana, & tandem sapientiã rimatur Altissimi; id est locum, & sedem eius Sapientiæ, ad quam suspi-

rando

rando meditatione euolat. S. Paulus raptus in tertium cœlum, negatiua commendauit eloquentia cœlum:
1. Corin: 2 *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit*
Rō: 8 *diligentibus se.* Et alibi: *Non sunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Linguâ Iudicium Dei elocutus, ore meditabatur illam pulchritudinem cœlestem, & prodit exuberantem conceptum:
Ibid. *Quis me separabit à charitate Christi?* Et: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hæc sunt suspiria pro nobis relicta, ab illo rapto in cœlum. Idem lætissimũ carmen occinit Rex Propheta:
Psal: 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit Anima mea in atria Domini.* Quò concupiscit? Non visu, non auditu, non alio sensu, sed suspirijs & lachrymis; ideò subiun-
Ibid. xit: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.* Ecce suspiria & ploratus, tali via *Ibunt* (Sancti eunt) *de virtute in virtutem.* Primo, excitando in se gratitudinem beneficij Creatio-

nis: Deinde gratitudinem beneficij Redemptionis: tùm gratitudinem beneficij Conseruationis: altiùs, gratitudinem beneficij Iustificationis: postremò, gratitudinẽ beneficij Glorificationis, qua *videbitur Deus Deorum in Sion*; & hoc ipsum elegit Propheta suspirio, & voto, potiùs *Abiectum esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal: 83. Dolens, lugens, in hoc mundo contemnitur, suspiriũ reprehenditur, melancholia vocatur lætiori genio, Musicâ, tripudijs expellitur, & prorsus excluditur è tabernaculis peccatorum. In domo Dei ibi suspirium suscipitur, fouetur, colitur: peregrinum suspirium in mũdo, non reperit domum in quâ continuò resideat. Gloriatur Rex Dauid, se habitaculum præparâsse lachrymis, & suspirio: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psal: 6. Sempernè noctu apud te lectus plenus suspirijs, & lachrymis, Rex sanctissime? Bersabeæ fortè interrupit planctum, gemi-

gemitus ac lachrymas cohibuit, tabernaculum tantum in mundo ſuſpirio conſtruitur: ipſum ſuſpirium, fabricat ſibi domum in æternitate fælici, Architecto ſupremo ædificium & conſtruente, & perficiente. Mouentur ſuſpiria peccatorum vno ex loco, in locum alterum, velut tabernacula Paſtorum, interrumpuntur voluptatibus, & ætatum varietate, occaſioneque deliciarum aliò tranſmigrant, vel in Senium eijciuntur: & dum plantari incipiunt, morte eradicātur, ac vno cōmuni vltimo ſuſpirio euaporant, mors omnia tabernacula diruet ſuſpiriorum. Agnouit moriens
Iſa: 30. Ezechias: *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum Paſtorum.* Domus ergo ſuſpirij in mundo infirma, caduca, æterna habitatio vera domus eiuſdem. Vulgare Prouerbium ait: Manus quod conſtruit, hoc eadem diſſoluere poteſt: nulla hic munitio tuta, vel cuniculi, vel impetus Hoſtium, vel proditio, vel fames expugnat fortitudinem caſtel-

li ma-

li manu facti : ſola domus cœleſtis extra omnem metum conſiſtit, Glorificatio non expugnatur vllis fraudibus. Reliqua Beneficia Dei collata, mundani curſu ſpatio labuntur, corruunt, hoſtiumque aliquando cedunt ſpolijs. Nonne Adami domus pomo decuſſa ? Moyſis, incredulitate deiecta ? Dauidis, aſpectu importuno piſcinæ conquaſſata ? Salomonis, voluptate coinquinata ? Saulis, præſumptione deiecta ? Iudæ, auaritiâ diſrupta ? Petri, negatione labefactata ? Omnium deniq; Animarum ſtructura, peccatorum ſordibus conſperſa & fædata ? Non iniuriâ potentiſſimi hoſtes in vicinia excubant : vt rectè quidam comparâſſe Animã arci obſeſſæ ab hoſtibus, exiſtimauerit. Tres inimicos robuſtiſſimos ſibi habet ſẽper aduerſarios : Diabolum, Mundũ, Carnem. Diabolus agit Cuniculis, quia & lento gradu, & inuiſibiliter à longè ſuffodiendo malis inſpirationibus, conſuetudine, neceſſitate peccandi ; tandem morte euertit hanc

Arcem. Mundus palàm tormentis, ſcalis, murum aggreditur, vel pactis Conuentis: tormenta ſunt minæ mũdi, quibus quatitur murus Animæ, id eſt voluntas; ſcalæ ſunt, conſuetudo manducandi, bibendi, iocandi, ſaltã-di, ſemper enim liberiùs agitur, & aſcenditur, augeturq; peccatum: Pacta ſunt, voluptates, honores, diuitiæ, quibus Anima quaſi conditionibus paciſcitur cum mundo, ne ab eis deſeratur ſibi timens. Caro eſt proditor in Arce, omnia ſecreta cùm ſciat, reuelat, & per illam ſi primis telis opprimere non valent, tanquam inſtrumento carne vtuntur, cui maximè fidit Anima. Tu ergo, Anima, ſuſpirio ad illam Domum æternitatis anhela, vbi omnia peccata proculque turbatio, hoc confert beneficiũ Glorificationis, quod omnium beneficiorum maximum eſt; cùm & ipſa Veri-
Mat. 16. tas dicat: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quid prodeſt Creatio, Redemptio, Conſeruatio, Iuſti-

ficatio, si æternitas damnata hæreditario Iure, miseram Animam sibi vsurpauerit? Aperi, Anima, oculos Contemplationis radijs illuminatos, ad quem finem præcedentes libelli te instruunt? nisi ad obtinendum beneficium Glorificationis, quod non saltu, & ludis iocisque, at compunctione cordis, gemitu lachrymisque edocetur. Considera finis tui præstãtiam, cùm ad societatem & hæreditatem Creatoris tui sis condita: Glorificatio est scopus tuus, eò dirige metam, illuc globo mortalitatis emisso tangere contende. In terra qui libenter ad metam iaculantur, exercitio quotidiano ita manum & oculum aptant, vt quando tempus de præmio aduenit, facili negotio, vel punctum non declinent, vel vti in multis partibus fert cõsuetudo, Galli ligneum simulachrum in perticâ sublatum feriunt: multorum ars, altiùs ictum dirigere consulit, pondere enim & quassatione bombarda depressa, globum ad scopum iustâ declinatione

defert. Idem ingenium obseruet, Anima, Exercitio Spirituali, separata à commercio curarum sæcularium, sæpiùs assuescat meditatione tangere scopum æternæ Glorificationis, proba vita, & semita mandatorum Dei, assiduè terminum mortalitatis inculcet memoriæ: fiet, quando tempus definitum à Creatore aderit, exuendæ carnis, vt facilè punctum Glorificationis attingatur; vel Gallus ille, quem decutere Christus admonet, *Vigilate*, Coronam promerebitur. S. Hier: horologium excitatorium, ne obdormiret ad tactum Galli, tubâ sibi instruxerat: *Surgite mortui, venite ad Iudicium*: ita inuentus est vigilans. Et tu, Anima, vtinam in discessu è corpore, ex hymno S. Doctoris Ambrosij dicere possis: *Surgamus ergo strenuè, Gallus iacentes excitat, & somnolentos increpat, Gallus negantes arguit.* S. Petrus ad Galli cãtum negauerat Christum, ante Passionis exitum error remissus, compensat Ecclesia Pastoris sui defectum, in Galli cantu multis in lo-

In laudib.

cis Matutinas preces cum iubilo decantans. Obserua & illud, Anima, vt semper supra metam dirigas iaculum; vim tibi infer, merita Sanctissimæ Matris, Apostolorum, summorũ Sanctorum attingere studeas; tamen fragilitate tuâ, inconstantiâ, debilitate virium, vix vltimo fortè loco in cœlo consistes, aut saltem in medio ætatis circulo, ad medietatem propositi termini labores peruenire: si enim vltimæ senectuti id permittes, verendum, ne depressa iaculatio, terræ potiùs, quàm scopo hæreat cœlesti. Sed dices, Anima? Laboriosum est meditari semper terminum æternitatis, variæ occupationes impediũt & prægrauant animum, & diuturnioris vitæ vota differunt Contemplationis desiderium. Facile responsum etiam ab Ethnicis accipe, qui labore omnia vendere Deos asserebant. Philosophus inquit: *Labor optimos citat: Non quærendum est, quid, aut quantùm patiamur, sed quàm bene, & ob quantum præmium.* Prosper etiam eleganter cecinit: *Vir-* Seneca de Prouid. c. 5.

Lib: 2. de cœlo c. 13. *tutum gaudia vulnus habent.* Drexelius adiungit: *Sine sudore & sanguine, non enitescit virtus; per labores & pugnas itur ad triumphos, post conflictum sequitur victoria, post bella pax, laborandum & pugnandum. ambis Coronam? ne refuge pugnam.* S Bernardus asserit, laborem & dolorem hæreditate ab Adamo nobis relicta.

Nū: 183. Idem citat S. Hier: *Labor nullus durus, aut tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Certè nullus labor, vbi verus amor. Christus vt alijs promereretur Glorificationem, quāta passus totâ vitâ? quanta in Cruce? Et tu, Anima, propriam salutē molli lecto mercaberis? vt terrenæ res acquirantur, omnis sudor contemnitur: Vt gloriosus suo in ordine miles appareat, quid non molitur? In periculum discrimen vitam euocat, & quasi ludos, Martis prælia contemnit. Pudeat te, Anima, delicatâ vitâ promereri cœlum, ex delicijs temporalibus obliqua via est ad delicias æternas. Epuloni quies, loco possessionis horreorum, in Inferno promittitur; infausta

fausta quies, quia sine quiete. Vtentur damnati in Gehenna verbis Bell: *O vita mortifera! ô mors immortalis! Si vita es, quomodo occidis? Si mors es, quomodo duras? Neq; igitur mors, neq; vita dicenda es, quoniam vtrumq; eorum aliquid boni habet: vita quietem, & mors finem; tu verò neq; quietem, neq; finem habes.* In hâc vita tanquam in stadio currendum; cursus sine fatigatione non perficitur, fatigatio laboris est instrumentum. Non diffiteor & angustam viam, & angustiorem portã cursus. O si porta, quæ est mors, semper oculis appareret; singultus & suspirio excitaret plurima, quæ dilatare portam angustam possent, tenera materia, priuatio, etiam à vento gemituum distenditur. Verùm iterum interrogabis, Anima, cur ad tanta Palatia Regalia cœlestia, non lata Porta? *Quis cognouit sensum Domini?* Ex visibilibus sumatur similitudo. Rex aliquis si Comœdiam, vel ludos iucundos exhibet, ne multitudo hominum accurrentium compleat loca, omnibusq; accessus

Bell de arte bene moriendi. lib:3. c. 3.

Rõ. 11

pateat; portam inclusit secretam, quà vel ipse, vel designatus ab ipso demittat admittendos: alibi cartulas distribuunt, qui schedulam, vel aliquod signum protulerit, à spectaculo non excludendo; qui vacuus conabitur intrare, vt contumeliosus repelletur. Tùm ingressus ijs, quos Regia voluntas introduci voluerat, aperitur latior porta, secundum loci capacitatem introitum concedēs vniuersis. Ait Christus de se: *Ego sum ostium.*
Ioā; 14. O quàm exiguum! internis oculis cōsidera, Anima; paruus in præsepio, non magnus in Cruce. Præsepe & Crux, vtraq; Porta, & stricta, & dolorosa: post mortem, magis coarctata porta, latus apertum. Vti vulnera Saluatoris in pedibus, & manibus, applicata sunt præteritis libellis, beneficijs superiùs consideratis; ita restat, vt hoc Glorificationis Beneficium, lateri aperto assimiletur. Mysterium ingens, cur latus apertum mortuo Christo? Est ianua latus Christi ad cœlum, angusta, sed pro-

funda : nonnulli existimant cor ipsũ fuisse apertum à Longino. Si *inscrutabile est cor hominis*, verè impenetrabile & inscrutabile est latus Christi : post mortẽ aperta Porta Iubilæi, at aperta ferro, & à Milite. Militia vita hominis, vi ergo Regnum cœlorum comparatur, tanquam ferro, duritie, non mollitie, vitæ patet cœlestis ingressus. Egressi duo fontes ex hac Portâ, sanguis & aqua: notant Martyres & Confessores, solos Dominos Portæ. Angusta nimis; *Pauci electi*: ad hoc Ostium stat Rex Iudex, intromittit Animas Electorũ, quæ comparatæ damnatis exiguo sunt numero. Post diem Iudicij latior Porta patebit, cùm & corpora Sanctorum introibunt, omniaque vacua loca, circumferentiâ gloriosâ occupabunt. At replicabis Anima? At erronea eius mẽsura mortalium, quæ maiorem misericordiã, præ Iustitiâ in Deo ponit, imò putat Misericordiâ Creatoris se posse abuti. Quod & Bellar: animaduertit dicens: *Nunc tanta facilitate quidam ore im-*

Ier: 17.

Iob 7.

Cõc:

65.de Dō: 21. post Pēt. Cōc: 21.de Dom: Quadrag.

puro blasphemias euomunt, & in alia facinora se præcipitant, vt quasi in manibus suis Dei misericordiam habere videantur. Vis scire ampliùs, Anima? *Si cum Theophilacto dicamus, à Christo portam angustam, & viam arctam esse appellatam, non tàm quòd talis sit, quàm quod talis proceris ac pinguibus, atq; onustis Bacchi amatoribus & cultoribus videatur: verè enim si essent homines parui, atq; humiles, si multa inutilia onera deponerent, si omnia vestimenta penitùs exuerent, angustiam fortasse in via & Porta Domini non inuenirent: nunc verò nihil aliud cogitant, quàm quomodo perpetuò crescant, corpore pinguescant, animo intumescant, extendantur, dilatentur, inflentur. Neq; vnquam cessant onerare se oneribus grauibus, curarum ac sollicitudinum terrenarum. Et quid mirùm, si hominibus eiusmodi Porta Regni cœlestis arcta, atq; angusta esse videatur? Non talis certè videbatur Apostolis Domini; non talis ijs postea visa est, qui Apostolicam perfectionem imitati, renunciauerunt omnibus quæ poßidebant, & nudi nudum Christum sequi voluerunt.* Sanctus Franciscus veste depositâ, nudus renunciauit Pa-

ternæ potestati, paupertatem Domini imitatus. Multi amputatis diuitijs & pauperibus distributis, leues in hoc certamine sæculi cursum consummârunt. Non decipiaris, Anima, Hæreticorum promissis, qui eandem portam ita dilatârunt: *Vt etiam homines ebrij (qui alioqui diu laborant, vt ædium suarum fores inueniant) per hanc sine errore & offensione ingrediantur.* Ibid. Bona opera non necessaria iudicant, Confessiones nō admittunt, omnibus vitijs ianuam aperiunt; & tamen securos de Porta ingredienda esse iubēt: sola Dei gratia cum bonis operibus coniuncta, suspirioq; & lachrymis adamata, aperire & dilatare potest hanc portam. Ita S. August: contemplatione ingressus est latus Saluatoris, & exclamat: *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intraui, & ibi requiesco securus.* Et tu similiter fac, Anima, certò requiesces & nunc quiete conscientiæ, & in cœlo quiete perpetuâ, cum depositâ veste per angustam portam introibis, meritis Christi ornata,

tuis lateribus onusta, vbi æternitate suaui dilaberis, synceris voluptatibus inebriaberis, non his prætereuntibus, at nunquam cessaturis. Errant, qui à delicijs terrenis ad cælestes sibi transitum persuadent: *Stulti sunt tales mercatores, qui magno sumptu emunt merces, quas magnâ iacturâ postea vendant; quia emunt vbi caræ sunt, & vendere volunt vbi superabundant: sic illi qui delicias quærunt, vt in cœlo vendant, vbi torrentes fluunt voluptatum, cùm hic vix gutta videatur.* Ipse Christus valedixit omnibus voluptatibus & diuitijs, dum viueret: si enim aliquam speciem huius mundi voluptates & diuitiæ verã haberent, nunquid non eis vsus esset ille, qui nouit discernere vera? Audiui de Rege quodam Angliæ, qui adamantem ingentis magnitudinis annulo inclusum diu portauerat: superueniens aurifex, agnouit falsum & supposititiũ adamantem, statim digito Regio Rex gemmam deiecit, & ab oculis suis terræ allisit. Nos (& tu Anima) adamamus tanquam veras voluptates,

Bel-lar.

honores, diuitias huius sæculi; ecce venit aurifex, & creator auri, clamat, esse falsa omnia, quæ mundus palam obijcit: *Faciliùs est Camelum ingredi per foramen acûs, quàm Diuites intrare in cœlum.* Auditurne hoc effatum Saluatoris? Non imitamur illum Regem Angliæ, non reijcimus ea; impostori mundo magis fidimus, portamus Diuitias, oneramur voluptatibus, attollimur honoribus; quæ omnia excludunt à porta cœlesti, quæ licet angusta, at iustæ Animæ desiderabilis. Vt ergo, Anima, illud desiderium in te augeatur, ac beneficium Glorificationis magis cordi imprimatur, sequens Caput proponet tibi materiam per contemplationem, ingressum Animæ beatæ in æterna tabernacula; tenuiori quidem, sufficienti tamen, minerua exponens.

Mat. c. 19.

De ingressu Animæ in cælum, beneficio Glorificationis.

CAPVT II.

Mors

MOrs timetur & à malis, & aliquando à bonis, ab his ne illos incautos opprimat, & incursu nondũ expleto virtutum adoriatur, ab illis ne vita mortali quam immortalem sibi blãdiuntur, fortè exuantur, neuè non satiati caducis voluptatibus, eò trahantur, vbi nec imaginatione vnquàm se futuros sperabant. Describit David in spiritu vtramq; mortem, bonorum: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Quare pretiosa? Sanguinis Christi est pretium infinitum, pretio eius mors Iustorum est empta. Inde S. Petrus dicit: *Non corruptibilibus, auro vel argẽto, redempti estis de vana vestra conuersatione Paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi.* Deinde: Pretium est ingens, esse Filium adoptiuum Dei, adoptatio & hæreditas Iustorũ, morte ad effectũ perducitur. Tertio: Mors est ianua ad cœlum, somnus suauis, quo obdormiunt in Domino Electi. Exitus è carne, quæ ab illis despectui habebatur, finis exilij, laboris con-

Psal. 115.

1. Petri, Epistola c. 10.

ſummatio, moleſtiſſimæ ſimul ac periculoſiſſimæ peregrinationis terminus, grauiſſimi oneris depoſitio, de Domo ruinoſa liberatio, reditus ad Patriam, ingreſſus ad vitam: pretio mortis hæc omnia Anima lucratur, quid ni ergo pretioſa? Malorum mortem cōdemnat Pſaltes: *Mors peccatorum peſſima.* Quare? Eſt ianua ad gehennam: eſt initium omnium laborum & dolorum, anguſtia incomprehenſibilis, ſupra Iudex iuſtus ſedet tonitrua iaciens, à dextris mundus deſerens, vix interulam veterem, quâ tegatur deforme cadauer, relinquens: à leua truculentæ beſtiæ Infernales, egreſſum Animæ præſtolātur; infra ſepulchrum cum vermibus offam auidè expectans. Si ergo origo beneficij Glorificationis, & inſtrumentum, eſt mors, certè optanda: quia quò citiùs electam Animam emittit mundus per mortem, eò velociùs tanto fruitur beneficio. S. Frāciſcus moriens, tarditatem diſſolutionis quaſi incuſans, vtitur verbis

Pſal: 33.

Pro-

Psal: 141. Prophetæ: *Educ de custodia Animam meam, ad confitendum Nomini tuo, me expectant iusti donec retribuas mihi.* S. Hilarion increpat timorem Animæ è vita exeuntis: *Egredere, quid times? Egredere Anima mea, quid times? Septuaginta propè annis seruiuisti Christo, & mortem times?* Properant Sancti ad mortem, venerantur illam, & lætè excipiunt, ingressuri triumphali curru Vrbem illam, in qua à tot Conciuibus iucundè expectantur. Apud Romanos Triũphatores exquisitâ pompâ Romam ingrediebantur. S. August: Romam triumphantem videre, desiderio ardenti cupiebat. Narratur de Pompeio, post deuictas tres partes mũdi, Europam, Asiam, Africam, sumptuosè Romam inuectum. Nihil id est, imò puerile quiddam, in comparatione Animæ beatæ intrantis cœlum, post debellatos triplices hostes ad instar Pompeij. Europa est caro, quæ blanditijs Animam superare haud valuit, captiuata est, & flagris cæsa cũ S. Paulo; fame macerata cum S. Hie-

In vita S. Hilarion.

ronymo ; laboribus & gemitibus aſſiduis addicta cum Dauide ; fugata titione igneo cum S. Thoma Aquin: In ſpinis cruẽtata cum S. Benedicto; niue obuoluta cũ S. Franciſco ; igne toſta cum S. Laurentio; lapidata cũ S. Stephano : hic debellata caro patientiâ, ibi triumphus erit in gloria. Secundus hoſtis Aſia, id eſt mundus. Huius voluptates, amænitates, deliciæ effæminatæ, inclinationes malignæ contemptui habitæ, prælegente lectionem Doctore gentium: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* I E S V *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Iob in ſterquilinio illuſit mundo : S. Ioannes in Eremo temperantiâ irriſit mundum : S. Petrus in patibulo, capite inuerſo, deſpexit mundum: S. Iacobus gladio ſeparatus à mundo : noluerunt Sancti eſſe ad momentum fucati, ſed in ſempiternum ſplendidi. Noluerunt eſſe ad horulam libidinoſi, ſed in æternum glorioſi. Non ſunt imitati Electi Lyſimachum, hunc (narrat

Gal: 6.

Plu-

Plutarchus) apud Getas eò fuisse siti redactum, vt se propterea cum toto exercitu in potestatem hostium dederit: cùmq; iam dedititius frigidam bibisset, dixerit: *Prôh, me hominē prauum, qui tantillæ voluptatis gratiâ tantum amiserim Regnum.* Anima triumphans cum Saluatore, in morte magis sitit æternum Regnum, quàm hîc frigidis delicijs exiguo spatio enutriri: impressa habet verba talis Anima, sancti Bernardi: *Cogita vnde veneris, & erubesce: cogita vbi sis, & ingemisce: cogita quò vadis, & contremisce.* At talis cogitatio amara, in iucunditatem spiritus accersit homini iusto morienti, imò dum ingreditur cœlum ex reuerētia, non ex timore, cū potestatibus tremit suauissimè, in conspectu Altissimi. Tertius hostis nigra Africa, id est Diabolus, fæcunditate longitudinis vitæ, & prolixitate misericordiæ Diuinæ lactans, verecundiam peccandi tollens, eandē confitendo restituens. Quidam Sanctus viderat in Templo auribus hominum Diabolum aliquid

1 parte Mor: lib: de Sāct: tuen.

De primor: & nouiss: Sermo.

insu-

inſuſurrantem, interrogatum autem quidnam imponeret, reſpondiſſe: *Quod abſtuli, reddo.* Pudorem dum peccarent ſuſtuli, nunc ad pœnitentiam & confeſſionem accedentibus, libenter cum fænore reſigno. Anima ſanctè ingreſſa cœlum, triumphat de Africa tali, cum S. Martino repellendo cruentam beſtiam, cum S. Antonio fugando etiam verberibus Dæmonē. At interrogabis, Anima, quâ arte vincitur in mundo Dæmon, vt meritò triumphum talem promereri poſſit? Abſtractione auditûs ſuperatur, ex ſententia Bellar: *Suggerit tibi Diabolus non eſſe ieiunandum, noli audire: ſuggerit aliquid contra fidem, noli cum Sophiſta contendere: ſuggerit impuras voluptates, illicita lucra, Simoniacos contractus; obſtrue aures: nam profectò neq; citiùs, neq; faciliùs Diabolus vincitur, quàm cùm à nobis ad colloquium non admittitur, ſed contemnitur & reijcitur.* Suſpirio etiam vincitur, ſuſpirium bonum eſt ſignum mœrentis, & in cœlum ſuſpicientis: hæc duo offendunt hoſtem Animæ, qui lætitia continua

Cōc: 10. ſu per Pſal: 90.

exhi-

exhilarare studet hîc, vt æterno fletu remuneret. Suspirium sequitur stylũ Curiæ cœlestis, in qua planctui moderno, vita Æternitatis iucundæ succedit: aspectus cœli, cordis contriti fugat inimicum, suspirio quasi coniungitur Anima cum corpore, vt detestetur facinora; ita suspirium cœleste, vtrumq; bolum eripit Diabolo, qui Diabolus secundum S. Bernard: à duobus bolis dictus, deglutire enim cupit & corpus, & Animam. Tali armaturâ vicerunt Sancti Cacodæmonem, & in triumpho de Africa Infernali Bestia gloriantur. Pompeij itaque exemplo triumphat de triplici subiectâ parte hostium, Anima, ingreditur æternam Hierusalem, triũphum Animarum iustarũ. Describere nititur Rex in penultimo Psalmo, illis verbis: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in Nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobi-* — Psal: 148.

les co-

les eorum in manicis ferreis. In triumphi excellētiâ, musica aduocatur: quidni exultatio in gloria Sanctorum, præcinente musicâ cœlesti, inexplicabilibus suauitatibus resonabit? Mortalibus auribus non audienda, neq; Iudicio finito discernenda, Pauper Frāciscus, musicam aspernatus præsentem, meruit cœlestem Fidicinem, obrutus cæli symphoniâ, deliquio excepit sonum: & tanti viri perfectio animi debilitata est, & sensuum: an nō magis nostra, qui infirmi sumus & imbelles? Languet natura humana ad concentum cœlestem, non ad illū tantùm, quem imaginatione vix potest animus cōcipere: verùm nec hîc melodia in Laudes Dei diffusa, diu auribus grata. Totas noctes musica Bacchi in vnam contrahit horulam, vna horula Musicæ Ecclesiasticæ, totius diei longitudinem videtur adæquare: quâ causa? Defectu auditûs. In cœlo exultabunt meritò Sancti in gloriâ, nacti videlicet aurium aptissimum organum: quo non tantùm in

fine Psalmorũ, vt nunc, semper momentis momentorũ perennitate consonante, summâ cum voluptate excinent, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in sæcula sæculorum. Addit Diuinus Psaltes: *Lætabuntur in cubilibus suis.* Cubile est summum quietis receptaculum: In terra non datur firma quies, etiam in cubili. Torquet ambitiosos, inquietatq; membra locus: Libidinosis fætida inquies polluit cubile: Iracundis, stratum ferri instar, acuit vindictam: Dolentibus nocturna sedes materiam luctûs affert: cũ ægrotis, rotarũ instar, voluitur depositum. Idem & Sanctis accidit in mundo; fatetur pœnitens Rex nomine illorum, & quasi præcipit: *In cubilibus vestris compungimini.* Ita planè Maria Magdalena lapide puluinaris loco vsa, quot guttas pretiosas pœnitentiæ emisit? Maria Ægiptiaca, tellurem emolliuit fonte lachrymarum. Casimirus relicto Regali lecto, humi compunctionis dolore Coronam Castitatis meruit.

Psal: 4.

Fran-

Franciſcus vltimum vale terræ (nudus cubili tranſitorio relicto) precatus, ad illud Cubile lætantium tranſlatus. Verè iuſtitia Dei cubilibus reſpondet; ſquallida cubilia, lætantibus in æuum cubilibus commutans: Cubilia vanitatibus exultantia, cubilibus abſq; fine torquentibus compēſans. Quis eloquio ſufficienti Cubilia Sanctorum in cœlo explicabit? In vitâ hac cubile Draconum & Beſtiarum iure appellari poteſt. Cubilia potiſſimùm noctu petuntur, prædam quam Anima nefariâ cogitatione & pactione nanciſcitur, nocturno tempore eam diuidit, eaque fruitur: aliquos pudor cohibet, alios luminis reuerentia arcet à malo: Tenebræ omnia diſpenſāt, cubilia lenones ſunt flagitiorum. Eccleſia nouit noctium vitia, ideo Hymno deprecatur Dominum: *Nam lectulo conſurgimus noctis quieto tempore, vt flagitemus vulnerum à te medelam omnium: Quo fraude quidquid Dæmonum in noctibus deliquimus, abſtergat illud cælitùs, tuæ poteſtas gloriæ.* Nox eſt In Feria 6.

 quaſi

quasi cubile peccati, & quies, in qua peccator liberiùs cogitationibus & opere securus in illa quiete, Deum offendit; imitatur feras, quæ noctu rapiunt alienam escam: verùm veniet dies, Dies illa calamitatis & miseriæ, ibi detegentur obscuritates flagitiorum. Pulchrè Rex Dauid hoc in Psalmo aperuit: *Posuisti tenebras, & facta est nox,* (permissiuè peccatores in nocte è tenebris vitiorum sunt cōstituti) *in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ* (ex peccato in peccatum transeunt multiplicando illa, velut bestiæ intellectu circa Diuina carentes) *Ortus est Sol* (cùm exurget Deus ad Iudicium, vt Sol orietur Iustitiæ) *& congregati sunt* (ad sentētiam condemnationis audiendam) *& in cubilibus suis collocabuntur* (æterno lecto Inferni & pœnarum affigentur) Iam se conuertit Psalmista ad Electos: **Exibit Homo** (iustus, Deoq; seruiens) *ad opus suum,* (ad exercenda bona opera, & augendam Dei gloriam, quæ est finis & exercitium Sanctorum) *& ad operatio-*

nem suam vsq; ad vesperam (perseuerantiâ bonorum operum durante vsq; ad exitum vitæ, vbi iterum æternitatis Aurora renitescet.) *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti* : (Talis cogitatio assidua Iustorum, hoc in cubiculo cordis, hoc in cubiculo strati meditãtur.) Inde concludit, & mercedem assignat: *Impleta est terra* (viuentium in æterna Gloria) *possessione tua* (id est numero Electorũ) Vides, Anima, suspiria cubilium, lætitiâ simili remunerari. Egregius Triumphus, dignus ingressu Ciuitatis Diuinæ. Vlteriùs progreditur Dauid: *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Non satiatur quisquam cibis carnalibus, nisi guttur impleatur. Ibi in cœlo guttur plenum Sanctorum saturitatẽ deprædicabit, quam diu in gutture potus suauitatem redolet, & cibus transmissus amittit: sic renouatio semper Conuiuij in terra reformãdæ iucunditatis causa. In cœlo delectatio saporis præsens, continua, indeficiens, Gurgulio eminet è gutture:

putāt aliqui esse reliquias non concocti pomi Adami, furor Diuinus superueniens, timore residuum conseruauit indigestum. In cœlo eò maior exultatio, quò guttur illud ante peccans, pro merito Sanguinis Christi, pœnitentiâque consumptis reliquijs delictorum, amore Redēptoris gloriosum triumphat. Guttur horret ensem, quousq; guttur integrum, mucronis ictus euitâsset. Guttur nostrū subiectum suffocationi, subiectum gladio. In cœlo exultationes in gutture Sanctorum, neq; præfocationē metuentes, gladiorumque minas vili pendentes. Ideò sequitur: *Gladij ancipites in manibus eorum.* Procul à gutture, potiùs vt alios feriant, quàm sibi ipsis metuant. Pars Triumphi est, manu tenere gladium, Coronationes Regum illa cæremonia adornantur, hâc illâc vibrat Rex gladiū, agilitatem militarem, & præeminentiam Regalem designans. Præcipui honores, gladij iure æstimantur. Herbipolis est Ciuitas Germaniæ,

Episco-

Episcopum habet, & Ducem ſimul; vtitur illo verſiculo: *Herbipolis ſola iudicat enſe, & ſtolâ.* Timorem & amorem conciliat gladius, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos, gladij doctrina: ſancti Ancipites gladios in manu retinent, parati in vitionem nunc Aduerſariorum Dei. Ancipites verè, Angelos enim hominesq; iudicabunt: *Neſcitis* (verba S. Pauli) *quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis Sæcularia?* ſpiritus, & corpora, Decreta eorum expectabunt. Imperatores depicti amictu Triumphali, enſes manibus comprimunt. Iſti cœlo veri Imperatores: ibi mucro anceps apprehenſus manu, triumphat de triplici inimico. Quod in ſequentibus verbis eiuſdem Prophetæ ſonat: *Ad faciendam vindictam in Nationibus, increpationes in populis.* Hoſtis Caro redarguitur, increpatur: de illâ vindicta à Sanctis ſumitur. Chriſtus peregrino habitu ad Emaus properantibus apparuit Diſcipulis, non credentes, appellat *Stultos & tardos ad credendum?*

1. Corin: 6

Luc: 24.

Quomodo Sancti damnatos compellabunt? Dicent certè insanos. O stulti! carnis voluptates veris æternis prætulistis: Diaboli tentationes, præ inspirationibus Diuinis, adamâstis: Mundi territamenta æternis horroribus maiora reputâstis: erit vindicta in Nationibus, omni creaturâ armante se ad vltionẽ Creatoris contra insipientes. Ipsi reprobi fatentur stultitiam propriam, dicentes: *Nos insensati, vitam* (proborum) *æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Armaturam Electi sument Gladiũ Dei, eoq; guttura impiorum transfodient condemnationis sententiâ: Increpationes erunt in populis variarũ Prouinciarum, & Fidei: nec Catholici immunes erunt ab increpatione, quorum eò grauior pœna, quò maior gratia Sacramentorum præcessit. Fuerũt in gremio Ecclesiæ beneficio Dei, exciderunt maleficio proprio. *Et quid miseriùs est, quàm in Ecclesia esse dum exulat, non esse dum Regnat.* De Diabolo, hoste secundo, triumphus Sanctorũ:

Sap: 5.

Bell: Cõc: de Dõ:

Ad al-

Ad alligandos Reges eorum in compedibus. 21. post Pēt.
Non quod sit Rex, vel Princeps Diabolus, sed quod per suggestiones malas efficit, vt Animæ peccatis proprijs subijciant se Dæmoni, & imperio eius. Saluator, meritis & morte, alligauit compedibus hunc Regem: Anima electa, vti participat de meritis & morte Domini, ita & de alligatione huius Regis. Peccatrix Anima alligatur ab illo: vicissim bonis operibus constringitur ab Anima, nullum venenum tentationum illi nocet. S. Antonius tanquam Cani, fune virtutis Dei alligato, insultabat Diabolo, verùm hic imperfectus triũphus: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Est 1. Co rint: 10. lucta potiùs cum hoste, iam superiores, iam inferiores, inimicis illis inuisibilibus sumus. In cœlo verus triumphus Sanctorum de Diabolo Rege: tanquam captus in Prælio, vinctus trahetur in opprobrium coram vniuersa Curiâ cœlesti. De Mundo, tertio Hoste, triumphus: *Nobiles eorum in manicis ferreis.* Rex assistentia frui-

tur nobilitatis, Aula nobilibus ornatur, Sequaces mundi sunt Nobiles. Detestatur hanc Aulam S. Paulus, & se ignobilem appellat, & stultum:
1. Corin:4 *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.* Stulti contemptu nutriuntur: in Aula mundi peccatores omnes sunt nobiles, præcipuè Tyranni, quorum executione Martyres Christi tormẽtis subiecti, & morte affecti sunt. Manus eorum pollutæ erant sanguine Innocentum, Nobilitatis prærogatiua erat in manibus illorum: Imperabatur manu, torquebatur manu, caput amputabatur manu. Iã à Martyribus ducentur in Triumphum illi Nobiles mundi, & serui effecti: illæ manus quæ antea libertate fruebantur, manicis ferreis erunt colligatæ: sic ingressum Electorum in æternitatem beatam, squallore & cincturâ ferreâ manuum adornabunt. Quid ampliùs, ô Rex Propheta, facient Sancti in introitu triumphali? *Faci-*

ent in eis Iudicium conſcriptum : Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius. Executores impietatis, executione Diuinâ lege præſcriptâ, punient Sancti: Iuſtitias illorum iudicabunt : hæc erit ſumma & infinita Gloria Electorum. Romanorum triumphus curru ferè ſemper celebrabatur, ad quem potiſſimùm Cerui vel Leones iungebantur : Cerui velocitate & ſenectute, à Naturaliſtis, præ cæteris animalibus cõmendantur ; compertum trecentis annis Ceruum viuere. Itaq; Romani putabant non otio parari triumphum, & vt ſenectutis memoria non deleret merita victoriarum, vota illorũ fuêre. Anima electa, curru gratiæ Diuinæ vecta, talibus Ceruis trahetur, tentationes omnes celeri reiectione ſuperando, ſenectutem illam, æternitatis videlicet poſſeſſionem exoptando, currit vt Ceruus ſitiens, ad fontem æternitatis beatæ : *Deus Dominus* (exclamabit) *fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis ca-* Ha-bac:

Psal: 41. *nentem.* Quid canet Anima? *Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima ad te Deus: Sitiuit Anima mea ad te Fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ceruus ad fontem currit vt se refocillet, cornua demittit agilitatis remoram: Sancti currunt lassi & patientes, continua sitis in cursu vitæ ad cœlum, suspiriorum agmina effundunt. Cursus enim generat suspiria, quibus & respirant, & vt metam attingant, suspirant. Humilitas & patientia cornua superbiæ deprimit in Electis: celeriter ergo curritur, non implicantur cornua superbiæ arboribus huius sæculi densissimis. Absolon cornutis superbiâ regnandi crinibus hæsit suspensus, & perijt. In mundo cornua quasi deprimuntur ab humilibus, vera laus & erectio reijcitur ad futurum sæculum: *Exaltabũtur* (ibi) *cornua iusti.* Inimici verò Sanctorum configuntur tanquam cornibus, humilitate & patientiâ, exemplo Saluatoris, qui excelluit duobus

Psal: 71.

his cor-

his cornibus; & vt cum Bellar: proferamus: *Tanquam fortissimis machinis, Patientiæ & Humilitatis, duas munitissimas & penè inexpugnabiles Arces, prosternebat & deijciebat, iram videlicet Omnipotentis Dei, & arrogantiam cordis humani.* Achab iniustus, humilitate distulit vindictã Dei, quidni faciet iustus? exaltabitur inuectus his ceruis in cœlum. Christus enim humiliatus & patiens, exaltatus est adeò, vt omne genu sit incuruandũ iussu & mandato Patris. Et in Cantico Annæ, promittit exaltationem idem Pater: *Sublimabit cornu Christi sui,* Christus autem sublimabit cornua Sanctorum, victoriâ sublimi dicente Anima electa: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Trahebatur etiam in triumpho Romanorum currus Leonibus; fortitudo & contritio inimicorum exprimebatur. Sancti fortitudine freti Diuinâ, superant carnem, Diabolum & mundum, cùm Leonibus similes carnem dilaniant. Proprium enim iustorum est, carnis effre-

In Cōc: 45. DÕ: 21 post Pēt.

1 Re: 2.

Ibid.

natas domare cupiditates, Cilicijs, Ieiunijs, atterere: Vigilijs, insomnio, vires eneruare: Diabolo terribilem se, instar Leonis, præstare: signo Crucis, alijsq; bonis operibus, deterrere: Mundum etiam irridere, ipsiusque pompas & delicias contemnere. Meritò ergo Leonibus vecti, ingrediuntur illam Ciuitatem. Sancti in vita hac refecti cibo Spirituali Sanctissimo Sacramento, *Tanquam Leones ignem spirantes, ab illa mensa recedunt, facti Diabolo terribiles.* Millies magis terribiles in ingressu triumphali ad mensam Agni accedunt, quorum nomina tantùm in terris expauescunt Cacodæmones, fuganturque è corporibus. Iam itaque, Anima, imaginare, vel alienum, vel tuum, Deo dante, ingressum in cœlum, & suspirio deuoto auge in te affectum. Si Dauid asserit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Quomodo non magna, quando aperietur glorificatis à te? Mundus multis præparatorijs vtitur ornamentis, Rege,

S. Chrysost: Homil: 60. ad populū Antioch.

Psal: 30.

vel

vel Principe ingrediente Metropolim : exiguo dispendio, præparatio peragitur cœlestis introitûs : *Declina à malo, & fac bonum.* Purgatam Animã sordibus peccati admittit Ianitor cœli, os suspirio, oculi lachrymis, emũdant obstacula ingressûs. Hoc intendit Rex Dauid, dicens : *Gustate, & videte quàm suauis est Dominus.* Gustare suspirio, videre lachrymis potest Anima, quàm suauis est Gloria Domini. Spiritus Sanctus in turbine & vento demissus è cœlo, Apostolorum cordibus infusus, suspiriorum meritoriorum, vento, & turbine contritionis, mansionem præparatam tibi, Anima, occupabis. O si scires, quali apparatu expectat te Deus cum beneficio, & Laureâ Glorificationis ! A contrario formetur argumentũ. Ingressus Christi in mundum, propter salutem tuã, qualis extitit ? In stabulo, nudus, pauper, egens, inter Bestias, in tenebris comparuit, vt tibi è diametro ingressum splendidum in cœlum mereretur : ibi ditissima, ornata veste in-

Psal: 36.

Psal: 30.

nocentiæ, diuitijs affluens, inter Angelos in summa luce apparebis. Si Regnum Hispaniæ, vel Galliæ, tibi promitteretur: quid non faceres, quid non patereris, dummodo Regno potiri liceret? Promittit tibi Deus Regnum æternum, fortiter ergo labora, patientiâ, virtutibusq; omnibus promereberis illud. Hic tempus certaminis, illic triumphi: hic sementem facere, ibi metere oportet. *Nunc sedeamus, nunc humiles simus, nunc laboremus, nunc nesciri cupiamus.* O Anima, intra Cameram illam, Latus Christi apertum in acerbo cubili, compũgere & meditare illud momentum, quo cœlum ingressura es, qualis lætitia illa! Frequenter occurrit memoriæ: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Saxonis Electoris Legatus, Curiam Senatoriam Regis SIGISMVNDI Tertij ingressus, ne verbo prolato obmutuit; fassus se Maiestate Regiæ, & assistentia Magnifica ita territum, vt sensum loquẽdi amiserit. Qualis stupor occupabit

Bell: Cõc: de cæ lesti Glo- ria.

Psal: 121.

Animam, immissam in illam capacitatem, & Maiestatẽ cœlestis gloriæ? Se ipsam præ gaudio nõ capiet. Quali Hymno salutabit Deum, & Sãctos Conciues suos? Existimo magnum remedium contra tentationes occupari tali contemplatione: hæc cor incendit ad sublimia, despicit transitoria, calcat voluptates, irridet mundi delicias, carnis mortificatione delectatur, splendorem vanitatum non admittit, bonis operibus sese occupat, otio non torpescit, ambitioni renuntiat, suspiria dolorosa generat, lachrymis potũ & cibum miscet, vitam mortem æstimat, mortem vitam interpretatur: nihil demùm cum S. Greg: *Quod carnalem vitam trucidat, perhorrescit.* Ne verò tantum Animæ solius ingressu beneficium Glorificationis concludatur, vt eò maiori ad Patriam illam feraris affectu, sequẽti Capite, de Glorificatione Animæ corpori iunctæ, proponetur quæstio examinanda. Interim, Anima mea, ingressûs illius cælestis delectare cogita-

Hõ: 21. in Eua.

gitatione, vt ipsa experiẽtia, tempore à Deo præscripto, exultare possis contemplatione æternâ.

De coniunctione Animæ cum corpore, beneficio Glorificationis.

CAPVT III.

COmmunis vox omnium Sapientum est, Hominem esse paruum Mundum: Machina grandis exiguo corpusculo coarctatur, Artificium Pictoris Altissimi, ac admiratione omnium, Mũdus in charta & tabula, vno oculo & motu conspicitur, totus mundus in homine exprimitur. Multis de causis homo, paruus mũdus vocatur. Possessor est in vitâ magni mũdi: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Psal: 8. Paruus mundus homo, continens omnia Elementa & creata in se, ignem habet concoctionis ventriculi similitudine: Aquã habet aquæ pituitæ existentiâ: Aërem habet halitu suspirãdi beneficio. Terra est, quia formatus

è terra, & in terram reuerſurus; *Cœlũ eſt homo virtuoſus*, intellectum contemplatione rerum Diuinarum paſcens. Infernus eſt eodem intellectu, inclinante irâ efferueſcens. Sol eſt, lucẽs ſplendore perfectionis Chriſtianæ, iam radijs Diuinis illuminatus, iam ſuggeſtionibus Diabolicis nigredine terrenâ obuolutus. Purgatorium eſt, Sacramentis eluendo ſordes delictorum. Aurum eſt, pondus virtutum in corpuſculo terreno fouens. Argẽtum eſt, puritatem innocentiæ albedine caſtitatis elucentem, conſeruãs. Ferrum eſt, crudelitatem & vindictã latitantem nutriens. Lapis eſt, obduratione cordis, in eius naturam duritie transformatâ apparens. Magnes eſt, obſcuritate virtutum, & tenebroſo vitiorum habitu indutus, ad illicita ſtramineum & obſequentem miſerum affectum attrahens: verè paruus mundus. Nonne Pariſiorum Vrbs Gallicè paruum mundum ſonat? Nõne Socrates Ciuem mundi ſe fuiſſe confeſſus eſt? In cœlo vocabitur A-

S. Bernar: ſup: Cãt: Ser: 27.

nima, & homo electus, magnus mũdus. Maius miraculum, vocabitur
Luc: 6. Filius Dei: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur*: similitudine Dei in paradyso formatus, maiori similitudine in humana carne à Deo redemptus. Ita & homo est in Deo, & Deus in homine: Homo in Deo præscientiâ ab æterno; Deus in homine, ex quo ab eo dilectus: vel Deus in hominis natura erat tempore finito Redẽptionis; Homo adoptione in Deo erit tempore infinito Glorificationis. Mortuus Deus vt Homo, Redẽptionis effectum consummando: *Consummatum est.* Mori homo cogitur, Glorificationis gratiam consequendo:
1. Corint: 15. *Oportet hoc corruptibile induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatẽ.* Induit mortalitatis naturã Christus, vt pateretur: promeruit, vt Homo indueretur immortalitatis dono, & regnaret. Patientia eius in mundo morte finita, ea mediante, absq; fine impassibilis Corona Electis collata. Insignis humanitas in humanitate

Chri-

Christi, egressus è cœlo humano amore inductus, humanitate assumptâ, multo labore ad participationem Diuinitatis humanum genus admisit. Infinita Humanitas, post mortem in Cruce latus aut cor aperiri permisit, secreta cordis infiniti amoris reuelando, vel amisso loquendi vsu per os, ad imitationem & compassionem inuitãdo, latere aperto tacitè loquebatur: vel cœlestem illum loquendi modum imitatus (vbi alter alteri aperiendo cor omnia manifestat) ore iã morte clauso, latere non occluso, apertam semper misericordiam Dei Patris nobis conciliauit. Infinita Humanitas cùm à morte introduxisset Corpus Christi, Ascensionis die, in cœlum, tanquam Idæam pulchritudinis Patri obtulit, simulq; interpellauit Patrem, an placeret illi tantus Corporis decor? Pater ad hæc: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; & propter illũ, & dilecta generis humani corpora: Ita Corpus glorificatum Saluatoris, quinq; vulneri- Mat: 17.

bus, vt lucidissimis stellis, artificiosè adornatum, oculos Paternos affecit, vt corporibus alijs Electorum facilẽ ingressum concesserit. Latus apertũ Domini, sanguine & aquâ, tanquam duobus suauissimis riuulis, Iustitiam & Misericordiam Diuinam patentẽ omnibus proposuit. Iustitia postulãte, oreq; Iudæorum condemnante,
Mat: 24. effluxit Sanguis Christi : *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Pro electis, & cœlo destinatis, sanguis, misericordia postulante, stillabat : *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et quò copiosior sanguinis fluxus, eò maior Electorum numerus crescebat. Post mortem sanguis, quia post mortem Redemptio cõsummata. Aquam latus emisit apertũ, tanquam fontem vitæ, & misericordiæ. Ita vt cum Dauide, coniuncta Anima
Psal: 35. Deo, dicat: *Quoniam apud te est fons vitæ.* Reliquit aquam & fontem, vt ex illo hauririẽtur aquæ pœnitentiæ. Rex maculatus aspectu aquæ, in qua Bersabæe se lauerat, in spiritu præuidens

hanc

hanc lateris aquam Chriſti, rogat il-
lâ ablui : *Ampliùs laua me ab iniquitate* Pſal:
mea, & à peccato meo munda me. Sanguis 50.
& aqua, ſũt fluuij nauigabiles ad por-
tum fælicem. Saluator ſanguineum
Corpus intulit ſplendidiſſimum cœ-
lo: Matris Dei MARIÆ lachrymo-
ſum, & aquâ compaſſionis madidũ;
meritis Filij, limpidiſſimum Corpus
introductum. Figuræ in Veteri Te-
ſtamento, fontes è latere Diuino pro-
manantes, Iuſtitiam & miſericordiã
ſignificant. Mare rubrum, muro quaſi
erecto aqueo, tranſitu cõceſſo Iſraë-
litis, ceſſit: Ægyptios idem mare op-
preſſit. Mare rubrum, eſt Sanguis
Saluatoris pretioſus, ſaluandis tran-
ſitum fælicem, eo itinere, quo ipſe
tanquam via præceſſit, (phaſe enim
tranſitum Domini ſignificat) emeru-
it. Idem Sanguis Chriſti Iuſtitiæ iu-
dicio, condemnationis ſententiâ, de-
glutiet abyſſo reiectos. Iordanis flu-
uius albedine conſpicuus, tranſitu nõ
prohibuit Hebræum populum, ſed
vna parte aquâ decurrente, altera im-

nota consistente : post transitũ cum primũ & illa stans fluere cœpit. Aqua lateris Christi misericordia stante, iustitia vero fluente, & abolente meritis passionis, iustos in terram promissionis transmittit, simulq; cum illis decurret Iudicio finito, inuoluens iniustos rapido fluxu Iustitiæ, in omnes æternitates. Duo hi riui laterales Domini, sunt duo vexilla ad instar Tamerlanis exposita. Eius erat mos, vallata obsidione aliquâ Ciuitate, tria vexilla ostendere : Primo die album, condonando vitam omnibus, si deditio sequeretur. Secundo die rubrum, præcipuos rebelles pœnâ sanguinis puniendo, reliquæ plebi indulgentia concedebatur. Tertio die nigrum, internecionem omnibus, & mortem publicam denunciando. Mitiùs Rex noster Christus, humanã naturam, Ciuitatem munitam obsidendo, duobus exercitibus, Misericordiâ, & Iustitiâ. Album vexillum patuit in paradyso, Innocentiâ & libertate, & vitâ primis Parentibus, &

humano generi, concessa, absq; effe-ctu vllo, imò pomo inobediētiæ impetitum. Rubrum vexillum in Passione euoluit: *Vexilla Regis prodeunt*: Ingratis & præcipuis Diuinæ gratiæ rebellibus, magnis in terris & elatis mortem pollicendo, plebeculam, paruos vitâ donando; ita agit gratias Patri: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelásti ea paruulis.* Mat: 11. Nigro vexillo abstinuit, mortem generalem non imponendo, imò ab Electis in cœlo auferendo: nam *Mors non erit vltrà.* Apo: 21. Fontes hi duo coniunctionem corporum cum Animabus in Gloria, meritis Domini interpretantur. Sanguis in corpore est, exāgue corpus cadauer, Anima aquæ assimilatur, altior est corpore vti aqua terrâ; est quid Spirituale: *Spiritus Domini super aquas ferebatur.* Gen: 1. Aqua transformat hominem, & regenerat per Baptismum. Morte Christi arcanum lateris aperitur: vti ergo miro modo aqua & sanguis simul coniuncta fuerant, ita maiori miraculo cor-

pus &

pus & Anima, in apertione sepulchrorũ, vniuersalis Iudicij die, sociabuntur. Non passus Christus aperto latere, quia mortuus: non patientur corpora & Animæ electæ, quia Passionibus mortuæ erunt, translatæ ad vitam. Addit Bellar: rationem, cur homo paruus Mundus: *Omnia creata Deum tanquam vltimum finem habent, & ad eum tendere, atq; in eo conquiescere debent, quia verò ea, quæ rationis & intelligentiæ expertia sunt, per se Deum attingere non valent; idcirco eorum Opifex & Conditor Deus, sapienter instituit, vt omnia homini famularentur, & per ipsum eo modo quo possent, tanquam per gradum quendam in Deum ferrentur. Quemadmodum igitur cùm homo rectâ ad Deum tendit, res omnes creatæ ad eundem Deum per hominem aliquomodo perueniunt: sic etiam cùm homo à Deo recedit, simul res omnes non ampliùs in Deũ referuntur.* Et infrà: *Ideò Christus Nicodæmo dixit: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, non hunc mundum, sed hominem intelligit.* Idem dicit, omnes res creatas expectare diẽ

Bell: Cõc: 12. de S Stephano.

Iudi-

Iudicij auidè, in quo omnes filij Dei per adoptionẽ, in suis gloriosis corporibus apparebunt, sublatis de medio peccatoribus, & in Gehennæ carcerem detrusis, res omnes creatæ de onere seruitutis, sub quo nunc gemunt, liberabuntur, & in statu meliore ac beatiore positæ, conquiescent. Ceciderat per peccatum Homo, hinc Ecclesia gratitudinis plenam orationem pro Redemptione vsurpando, non dicit: *Deus, qui in Filij tui humilitate iacentem* (hominem) sed iacentem, *mundum erexisti*: Itaq; Homo est mundus. Adhuc paruus mundus Homo appetitu, semper crescit Ambitio, & habendi cupido. Paruus mundus auaro videtur affectu, reputat exiguũ: hoc sæculo Antipodes inuenti, & vlterius inquiritur mundus, neq; sufficit carnalibus. Spiritualibus etiam hominibus paruus mundus, contemnitur vt res exigua, & vili penditur. Cœlum solum magnum, corpus & Anima illuc mutuũ dirigunt cursum, ibi tandem magnitudine satia-

Dõ: 2 post Pascha.

buntur. Paruus igitur mundus homo & in mundo: magnus in cœlo, cùm corpora Animabus sociabuntur. Vis scire, Anima, cœlũ hucusq; esse quodammodo imperfectum? Coniunctio Animarum cum corporibus ædificium perficiet. In spiritu Dauid orat consummationis huius progres-
Psal: 50. sum: *Benignè fac Domine, in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalẽ. Tunc acceptabis Sacrificium Iustitiæ, oblationes & holocausta: Tunc imponent super Altare tuum vitulos.* Et caro, & Anima, coniunctæ in cœlo, perfectum Sacrificium offerent Deo, & muri Hieru-
Psal: 121. salem (*Quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipsum*) diruti Angelorum malorũ eiectione, reparabuntur hominum cum corporibus & Animabus introductione. O quàm iucunda Societas illa erit in resumptione corporum ab Animabus glorificatis! Deus in Paradiso videns non esse bonum hominem esse solum, vxorem è corpore & costa ædificauit; è corpore prima Societas ædificata; è corpore

perfe-

perfecta Societas primogenita. Vere ædificauit Deus Euam, initium ædificij ab innocentia acceptum, in cœlo consũmatio ædificij ab omnibus virtutibus stabilis. Propones Anima, cur post mortem, non simul Anima cum corpore glorificatione honoratur? Scias sedem corporis esse mundum, spirituum cœlum, vti in vtero priùs formatur corpus, infunditur à Deo postea Anima: sic in cœlo priùs Anima, velut in patria, quiescit, tùm Socius gaudij aduocatur. Deinde, si pœna manet peccati non exoluta in homine, culpâ ex misericordia Dei remissâ, Anima purgatorio eluit maculas, corpus corruptione & esca vermium punitur. Adhuc dices Anima: Viri sancti mors, quæ est pretiosa in conspectu Dei, meretur cœlum; quare Anima recta tendit ad præmium, corpus maceratur putredine? Quis immunis à peccato, nec infans vnius diei? licet perfecta satisfactio, persuasione Animæ, & prærogatiuâ Dominationis, delictorum succedat,

& egressus electi absq; ruga peccati Iudicio Dei compareat: tamen corpus, datæ occasionis offensæ Creatori causâ, absconditur, expectationeq; gloriæ futuræ detinetur. Facit Deus exercitium Sartoris; hic laceratæ vesti succurrens, dissuit nexum, ferro dissecat compages materiæ, vt iterum renouet, pulchritudineq; maiori cõsuat. Rex gaudet de restaurata veste
Psal. 28. lacera: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ* Et in alio Psalmo:
Psal. 27. *Refloruit caro mea.* Gloria & miraculũ Dei ingens, in cinerem redactum corpus, vt integritatem membrorum cõpositione admirabili recipiat. Est & alia ratio, cur dispari tempore beatitudo Animã à corpore glorificat.
Gen. 3. Decretum Paradisi: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Peccatum primorum Parentum subiecit sententiæ acerrimæ, corpus corruptioni. Omnia peccant corpora, omnia ideò Cinerea: solus Saluator, in cuius ore non est inuentus dolus, tertio die post separationẽ Animæ à corpore, resumpto

eo, Diuina propria potentia intulit, Aſcenſionis die, vtrumq; cœlo. Bea tiſſima Virgo MARIA, ab omni macula præſeruata, ſecuta Gloriam Filij, tertio à morte die in Corpore Glorificato, ab vnigenito aſſumpta triumphat. Mouebis iterùm Quæſtionem, Anima: Quare Animæ ſeparatim emiſſæ è corpore, diſiuncto tempore cœlo inferuntur: Corpora omnia vno die Iudicij vltimo coniũcta, gloriâ ornabuntur? Paſſus Chriſtus corpore vno die pro omnibus, meritò omnibus ſimul Reſurrectionis tempus aſſignatum. Poſt Reſurrectionem erit nouum cœlum, & noua terra, renouatio eodem tempore congruè fiet: Decretum reuerſionis in Cinerem, contra Hominem ſemel latum, ſemel etiam tolletur, diceturque vale, & morti, & corruptioni. Quanto ardore amoris, Anima, corpori iungetur, cuius ſocietate labor exiguus, ingenti præmio, & æterna requie compenſabitur? Reformabitur, vt Aquilæ, iuuentus non cogni- Pſal: 102.

ta ampliùs vnquam senectute, perfectio summa fælicitatis subsequetur.
Ari-stot: lib: de moribus. Philosophus, libro de moribus, hominem fælicem docet debere esse quadratum. In cœlo corpus quatuor proprietatibus fælicitatis coruscabit: *Claritate agilitati iunctâ. Penetrabilitatis prærogatiuâ, Impassibilitate, Immortalitate.* Salomon comprehendit quatuor proprietates has breuissimo cõpendio: *Fulgebunt Iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, Iudicabunt Nationes, & dominabuntur populis, & Regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Sap: 3.

I. Fulgor & claritas, ornamentum corporis Glorificati. Ipse Christus orat Patrem: *Pater, clarifica Filium tuũ apud temetipsum, Claritate, quam habuit priusquàm mundus esset apud te.* Ad quid Glorificationem postulat quã habuit olim Christus? vt edoceret Discipulos Diuinitatis suæ certitudinem, & vnà impetraret illis claritatem, propterea addit: *Ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua* Ioã: 17.

mea sunt, & clarificatus sum in eis. Gloriatur de glorificatione sua per discipulos Euangelio promulgato, & illorum vicissim, quam Passione suscepta promeruêre. Tenebræ infidelitatis erant ante aduentum Domini in Mũdo, doctrinâ & Euangelio claritas resplenduit: vt Sol splendore totam terram illustrat, sic Deus splẽdore Euangelij claritatẽ attulit mũdo. Quàm exosæ tenebræ naturæ, & carcer formidabilis ob tenebras, sic Animæ sanctæ omnia in mundo sunt tenebræ, & ipsa vita carcer: claritas mundi exterior tantùm est, succedent tenebræ, carcerq; sepulchralis. Redarguit splendorem talem Dominus Pharisæorum, qui videri volebant ab hominibus: splẽdor mortalium vanus, & claritas vana, in vestibus, quas tinea consumit, in opibus quas fur aufert, in gemmis quæ tempore vilescunt. In cœlo splendor & claritas vera, lucebunt corpora mutuato lumine à Creatore. Lucerna est Agnus in cœlo, loco Solis

Corpore gloriosissimo fulgens, ab illo distributi splendores proportione meritorum dimanant in corpora electorum. Rex Dauid oblitus splendoris Regalis, illuminari à claritate
Psal: 118. Diuina desiderat: *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* Et alio Psalmo:
Psal: 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quēadmodum Deus intrinsecè est splendor, ita intrinsecè illuminat Sāctos. In Transfiguratione Christus, ne Discipuli morte ignominiosa futura terrerentur, gloriam suam tribus Discipulis ostendere decreuerat, non alio modo quàm claritate: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Eò delectationis statim ferebatur Petrus, vt dixerit:
Mat: 7. *Bonum est nos hic esse.* Delibârat tantùm humano intuitu, eoq; breuissimo, claritatem Corporis Christi, & prægustata dulcedine cœlesti, hîc tabernaculo erecto, fixam mansionem exoptabat. Quid erit glorificato visu immergi, & interiori claritate repleri? Lætum carmen Ecclesia præ-

cinit : *Turres Hierusalem gemmis ædificabuntur.* Gemmæ quam diu in terra hærent squalidæ tenebrosa maris cõcha, tenebrisq; conclusæ nesciũtur, & ab ignaris contemnuntur, eædem expolitæ visum recreant, æstimatione peritorum dignoscuntur, Coronisque Regum inseruntur. Corpora Sãctorum terreno aspectu squalida, cadauerosa, despectibilia : *Hi sunt* (dicent impij) *quos aliquando habuimus in derisum:* morte & igne Purgatorij mũdata, Dei & Angelorum æstimatione magna iudicantur, visum delectant, & tanquam turres aliquæ splendidæ, cingunt ambitum cœlestis Hierusalem, & Coronis cœlestibus decorata ordine disponuntur. Prorsus gẽmæ, quæ vti ante claritatem tenebrosæ sunt, ita corpora in mundo Electorũ, priùs in speluncis, in Monasterijs, in simplicitate ignoti mundo degentes, æternæ claritati à morte inferuntur, quam nulla noctis caligo obscurare vnquam præsumet. Solis radij lucidissimi sunt, continuoque rotatu in

Sap: 3.

circuitum voluuntur, tenebras tamē noctu tetramq; inducunt terræ caliginem, claritas finita corporis in hoc mundo, ad instar candelæ, lychni defectu terminum lucis imponit. Ea de

Luc: 1. causa clamat Zachar: *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Excellentior erit lux corporum in cœlo, nulla reuolutione succedent tenebræ. Duratio claritatis æterna: *Fulgebunt itaq; iusti.*

II. Penetrabilitas corporum agilitati iuncta, secunda proprietas in cœlo: *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Impedimentū in sarcina corporea agilitatis, est pondus & grauitas. Imaginaria quædam agilitas corporum in mundo videtur, quod &

Sen: de trāq: Ani: c. 15. Philosophus putarat: *Humanus animus naturâ agilis est, & promptus ad motus.* At qualis agilitas, vel motus? Peregrinantes, alienis pedibus vehimur: ægroti, alienis manibus portamur: claudi, alienis brachijs sustentamur. Ianua ad ingressum & egressum, fenestra ad prospectum, dissolutio parie-

tis ad

ris ad fugam necessaria. Mirùm si aëri in saltu diutiùs immoratur pes; stupendum, si funis securè plantis decurratur: vltra captum, si in duobus locis vnum corpus vno instanti temporis visui præsentetur. Hoc postremum Sancti viuentes in carne miraculo comprobârunt. Contentio Nautarum de S. Francisco Xauerio describitur pro miraculo, quemlibet eorum præsentiam eius prætēdentiū. Rex Prophetico spiritu penetrabilitatem cœlestium corporum præsagiens, dicit: *In Deo meo transgrediar murum.* Omnia aperta erunt corporibus Sanctorum, Cœlum, Terra, Infernus, patebunt: Christus Agilitatis mysterium, ianuis clausis ingressus ad Discipulos post Resurrectionem, corpore suo declarauit. At sicuti in prima proprietate claritatis, tenebræ in vita splendorem cœlestem corporum præcesserunt, ita Agilitatis penetrabilitatem illam gloriosam, intima & assidua cum Deo animi coniunctio iugi contemplationi assueta, præcur-

Psal. 17.

rere debet. Accipe similitudinem moralem. Saltatores, vt agilitati assuescant, graues ante saltum plũbeos calceos induunt, nimios cibos reijciunt, onera vestiũ deponunt. Eadem præparatio ad æuiternam Agilitatem Humilitate, quæ viuentia corpora in sæculo deprimit, simulq; ad cœlos eleuat. Summè commendat Bellar: his verbis: *O dulce nomen Humilitatis! ô virtus præclarissima, mundi sapientibus minimè nota, sed ab ipsa Dei sapientia mirificè commendata! Tu furorem iustissimum Omnipotentis Dei placasti: tu manus eius dulciter colligásti: te vnam Dæmones reformidant, te cœlites omnes apertis brachijs complectuntur: tu Custos omnium, fundamentumq; virtutum. Qui colligit sine te, spargit: qui non ædificat super te, destruit: qui te repellit à se, etiamsi sedem haberet in cœlo, à Domino repelletur: & qui in sinu collocat te, etiamsi in cœno peccatorum iaceret, in sinu Domini collocabitur.* Saluator noster quomodo Agilis factus? *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortem, propterea exaltauit illum Deus, &c.* Præparatoriũ

Bell: Cõc: 65 de Dõ: 21 post Pẽt.

agili-

agilitatis insigne est etiam, Ieiuniũ; quod idem Bellar: existimat: *Aggrediamur ergo, aggrediamur magno animo* (Ieiunium) *nutricem Animarum, Antidotum peccatorum, sapientiæ procreatricem, vitiorum expultricem, Parentem sanitatis.* Et paulò infra: *Arripiamus istud sanctum, militiæ Spiritalis scutum, & aduersus omnes Diaboli terrores, & minas carnis, inuicto atque infracto animo dimicemus: Esuriamus in terris, vt saturemur in cœlis.* Obęsa & onerata corpora, si saltare cuperent, risu solo volarent. Ad agilitatem, oneris depositio requiritur, Spiritualis depositio talis est Eleemosyna agilitati futuræ in cœlo subueniens. Bellar: ad idem faciendum exhortatur: *Consilium sapientissimum capiamus, partem nostri oneris super humeros pauperum imponamus, vt hac ratione, cum nostris diuitijs salui & incolumes ad portum salutis perueniamus.* Beatissima Virgo Humilitate ex Ancilla, Mater Dei facta, Ieiunijs & Vigilijs præparauit se, vt Cõciperet Filium Dei, Paupertate, & in Paupertate genuit Saluatorem. Ala-

Cõc: 24 de Dõ: 2 Quadra.

Cõc: 28. de Dõ: Læt. in fine.

ta qua-

ta quatuor Animalia conspecta in cœlo, Homo, Bos, Leo, Aquila: Homines Iudicio in via Mandatorum instructi, & perfecti, altiùs eleuabũtur in cœlo alis virtutum. Homines velut Boues terrena versantes, Ieiunio & maceratione, eodem euolabunt. Leones ira rabidi, Eleemosynæ alis eodem transferentur. Aquilæ Ambitione & Diuitijs plenæ, humilitate superueniente, ad nidum æternæ gloriæ ascendent, Bellar: testimonio: *Qui sanctis nexibus reuincti non sunt, & mundi negotijs liberiùs implicantur, sub alis Humilitatis, à Dæmonis insidijs tuti sunt.* Interim Anima, agilitatis suspirio ad illam agilitatem te præpara, Imago est penetrabilitatis suspirium, volat, penetrat ipsos cœlos, in terris emittitur, & in conspectu Dei apparet. Despice agilitatem caducam, quæ fatigatione pedum & morbis corrumpitur, illa impassibilis manet.

Cõc: 65. de Dõ: 21 post Pẽt.

Et hæc est Tertia corporis glorificati proprietas; *Iudicabunt Nationes, & dominabuntur Populis.* Reges, Princi-

pes, liberi à fortunæ prolapsione, propter opulentiam rerum, & armorum potentiam. Non verebuntur vllum casum Sancti in cœlo, cum Dauide dicentes: *Quia eripuit Animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu* (ita) *placebo Domino in Regione viuorum.* Et populis, imò cœlo & terræ, & Inferno dominabuntur. Si enim hic in terra Deus voluntatem facit timentium se, multò magis faciet gloriâ & impassibilitate donatis: verùm ad impassibilitatem per Passionem in mundo, via: Prodroma est Passio impassibilitatis. Christus via non alia impassibilitatem corporis primus aperuit, vt ipse loquitur: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam!* Iter relictum tutissimum ad impassibilitatem. In longinquam Patriam, plano spatio via non absoluitur, in Italiam per Alpes arduas semita, in cœlum non delicato itinere proceditur. Passus Dominus hic in Corpore, vt hîc corpora paterentur, & in altera vita impassi-

Psal. 114.

Luc. 26.

bilitate donarentur. Quæ corpora hîc Passione carent, cum fænore æterno cruciatu pensabunt, & vicissim pressuris, vulneribus, præmia impassibilitatis æternæ distribuentur. Nulla militia absq; Passione; Militia, cicatrices enormes in gloriam vertit. Explicat audacter Miles vulnus vultui Imperatorio, & meretur condignam remunerationem: interim cicatrix manet cruenta, lurida, ingrata aspectui. In cœlo non item, pro Deo vulnera & Passiones toleratæ, impassibilitatis ornamento cingentur, & includentur in circulo æternitatis, vti in annulo pretiosa gemma, ac ita vegeti Electi impassibilitatis pretio, æternitatis spatia decurrent, nullo ea ætatis decrepitæ tẽpore, amissuri.

Et hæc est *Quarta Proprietas* Glorificatorum corporum, cùm Animabus Immortalitas dabitur: *Regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Christus promeruit illa voce orando Patrem:
Ioã: 12. *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & Minister meus.* Immortalis Deus, immor-

talis & sectator Dei. Dauid fatetur idem: *Beati qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* In mundo *omnes stipendiarij sumus mortis.* Quotidie mors in nobis corruptionẽ operatur, nihilq; magis in vita timetur quã mors. In cœlo nullus timor, ipsa mors morietur, memoria eius pereunte. At de immortalitate, & æternitate, vltimo Capite fusiùs. Ad te, Anima mea, me cõuerto, suspirio, pœnitẽtiâ, & lachrymis, cõprime affectus prauos corporis tui, eius consortium amicum subterfuge, quia peruersum est, ad illam societatem te serua, *Quæ corporibus propè infinitis, vnicum gaudet inesse animum.* Ad delicias cœlestes ardua via quidẽ est, sed terminus suauis, eò vela bonorum operum dirige: sic coniunctionem cum corpore amore foue in mundo, vt iucunda, secunda, & diuinissima, charitatis coniunctione, gustu suauitatis cœlestis, æternùm reficiaris. Consultum ergo, vt desiderium maius excites in te, & illam suauitatem

Psal: 83. Drexel: de cęlo, l. 1. c. 25. §. 2.

Drexel: de cælo, l. 2. c. 9. §. 1.

ſupernæ Ciuitatis Hieruſalem, quam ſuccedens caput, Deo ſuppeditante tibi explicabit, ſuauiſſimè mediteris.

De ſuauitate cœleſti, beneficio Glorificationis.

CAPVT IV.

NOn tantum corpus, quod antea cinereum erat, Animæ iunctũ, illis quatuor proprietatibus & donis ornatur, ſed infinitis propè circumdatum, & circumuolatum eſt in cœlo beneficijs. In terra paruus quidẽ mundus vocatur, licet contineatur in vtero ante ortum exiguis terminis & limitibus: in vita vix aliquid terræ & agelli poſſidet, quod vi, ſucceſſione, hæreditate, ingenio, Marte, acquiri ſolet, poſt vitæ occaſum in tumulo exiguo concluditur. In cœlo magnus mũdus vocari deberet Homo, verùm ipſo Homine maius cœlum, cùm Hominem in ſe contineat. In terra exigua gleba appetitui humano non ſufficit, hinc ge-

neratio vnius, alterius corruptio, gladio, voto, ſucceſſione expectatur, & paratur hæreditas. Cœlum capacitate maximum, quamuis omnes admitteret homines, impleri maiore gauderet numero. Chriſtus ipſemet dicit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Credendum Veritati veriſſimæ. Ioã: 14.
A condito mundo hucuſque excipit cœlum ſibi deſtinatas Animas, ſpatia infinita adhuc ſuperſunt capiendis. Propones Anima, maiorem eſſe mũdum cœlo, ille à multis ſæculis omnes ſuſcipit enatos, cœlum paucitate Electorum commendatur, cum Inferno diuidit, minore parte, ſpolia mortuorum. Falleris, motu ſucceſſiuo in mundo alij alijs naſcendo ſuccedunt, vnaque portio mundi, millenis generationibus multiplicatur, & accreſcit. In cœlo ſimul omnes, multo plures in paucitate, quàm in mundo ætate vnâ viuunt. Adde Angelos, quorum turmas neque Arithmetico numero Daniel comprehendere valuit, & S. Ioannes turbam vidit, quã Apocal: 7

dinu-

dinumerare nemo poterat. Vere magnus mundus cœlum, & verè mũdus! Mundus hic quem cernimus, ironicè mundus, magis immũdus: quid enim mundum in conſpectu Dei? Nullus homo abſq; peccato, nihil ergo mũdum. Verùm quid mundum in ipſo conſpectu hominum? Palatium ſit pretioſo apparatu inſtructum, inuenietur & ibi immunditiei receptaculum. Omnes ſenſus immunditiam ſentiunt, & remedia eijciendæ conquirunt: fallax eſt mundus, oſtendit munditiem, cùm ſic ſordibus inqui-

Lipſ: de Cõſt: l. 1. c. 8.

natus: *Mundus vniuerſus exercet Hiſtrioniam.* Videntur munda plurima cùm fæteant; apparent ſplendida, cùm ſint horrida; occurrunt ſuauia, ipſo effectu acerba. In paradiſo ſuauitate pomi decepit primos ſerpens Parentes. Eſu quid dulcius? Quantis doloribus pẽſamus omnes illam dulcedinem? Omnis lætitia mundi finitur mærore. Immundus eſt hic mundus, ideò non cognouit mũdus Chriſtum, maculatus Immaculatum, pol-

lutus impollutum, impoſtor veracẽ. Cœlum mundum, in eoq́; omnia ſunt munda, quodcunq́; erit coinquinatũ, inde eijcietur: ipſa Angeli natura ſordibus ſuperbiæ inquinata, detruſa ad Barathrum turpitudinis. In illam munditiem ſupernam ingreſſa Anima cum corpore, quantis fructibus replebitur ſuauitatis, & cumulabitur delicijs? Per viſibilia noſtro intellectui propoſita, peruenitur contẽplatione ad ſublimiora, diuina & cæleſtia. Iucunditas gratæ manſionis, potiſſimùm à quatuor commendatur cõditionibus, quibus ijſdẽ & cæleſtis habitaculi gloria gaudet vel potiſſimùm. I. A loci amænitate. II. A quietis ſecuritate. III. A gratioſa & affabili conuerſationis ſocietate. IV. A quinq; ſenſuum perfecta, ex obiecti ſibi proportionati vſu, ſuauitate. Ea eſt teneritudo ingenij humani, vt quo maiori affectu voluntatis inclinatur, id inſigniori induſtriâ, effectu, comprobare conetur, nihilq́; intentatum relinquit, quo-

minus industriæ suæ frænis laxaris, expleat satietatem. Hinc si doctrina, terminus occupationis nostræ vitæ proponitur, ita in stadio literatorio certatur, vt immersus animus respuat conuersationis alienæ palæstram. Si Mars naturam ad prælia castrorum incitet, ingenium occupat huius strepitus armorum. Si voluptas insidiatur rationi, turpitudinem redolentia negotia summæ suauitatis loco, gustu excipiuntur illicito. Si Architectura occupet voluntatem, miræ structuræ & concipiuntur animo, & construuntur opere. Iuxta illud: *Viue, vt cras moriturus: ædifica, vt semper victurus.* Magnam fælicitatem existimant homines, si commodè inhabitent, ideo assiduo conatu industriæ eousq; progressa ædificia, vt ars cum natura omnibus sæculis, duello quasi inuentionum diuersarum decertare conspiciatur. Æternitatem quandam imaginario conceptu formabat Antiquitas ædificiorum elegantiâ, steriles hæreditate Palatioru

reli-

relictorum, veluti fæcunditate & varietate gloriabantur. Commendet structuram loci amænitas. Excedat sumptum Regalem Palatium, si arido fundo, si sterili campo, si cruda circumducitur sylua, oculus reprehendit expensam. In valle, in monte, collocatum ædificium, fluuio vel mari contiguum, arridet vultui. Venetiæ, miraculo mundi in aquis veluti plantatæ, ipso aspectu, ingenij vires rapiunt in admirationem. Et tu, Anima, sperabis illius Ciuitatis cœlestis te posse frui amænitate, quæ supernaturali Artificis manu consummata, æternâ vitâ duratura? Vt talpa terræ & cœcitati adhæres, neque attingis saltem cogitatione suauitatẽ illam cœlestis structuræ. Scias Ciuitatem illam sitam prope fluuium: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Psal. 45. Ille nimirum est fluuius, quem deuotissimo calamo depingit S. Bern. In mundo duo sunt fluuij, quibus iusti, balneorum instar salutarium, vti solent: *Inuectio corruptionis & contume-*

liæ,

liæ, suauitas consolationis & gratiæ: qui sunt Ior & Dan, fluuij Iudææ. Ponit & alios duos fluuios, quibus peccatores vt lutulentis sese commaculant: *Fluxus corruptionis & lasciuiæ, pestis adulationis & fallaciæ: qui sunt, Abana & Parphar, fluuij Damasci.* Hos posteriores mephitim infernalem exhalantes, decet vt procul fugiamus. Priores illi salutares, è fonte lateris Christi origine ducta, lætificant Ciuitatem Electorum Dei, sanguis & aqua, mortificatio, & lachrymæ pœnitentis, impetu suspiriorum incitatæ, amænitatem ædificio conferunt. In cœlo fluuius huius vitæ mortificationis, in maiorẽ se exonerat fluuium suauitatis perẽnis, decurrentem consolatione, & gratiæ Diuinæ motu velocissimo, sine defectione.

In sent: num: 503.

Vide ergo *primo*, Anima, quanta amænitas loci, quem talis fluuius alluit? S. Ioanne attestante: *Ostendit mihi Angelus fluuium aquæ viuæ splendidum, tanquam crystallum procedentem de sede Dei, & Agni.* Sanguis nimirum &

Apoca: 22

aqua pœnitentiæ, turbidam aquam sordium Animæ, veluti crystallum splendescere facit. Ad amœnitatem loci Ciuitatis cœlestis pertinet prospectus iucundissimus; canit Ecclesia: *Fundata est domus Domini supra verticem montium, & exaltata est super omnes colles.* Mundi huius prospectus exigui, in valle videlicet lachrymarum fundamentum, in terra caliginosa, vix à terra ædificium extenditur. Cogitationes hominum mundi terrena sapiunt. Proinde Dauid loquitur: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Nullum Rex pœnitens prospectum è Palatio Sionis habuerat: *Infixus sum in limo profundi, lachrymabatur, & non est substantia.* Ingratus prospectus ille, oculisq; exosus hominum, montem intueretur, vt illum cœlestem, natura docuit. Non diffitetur Rex sapiens: *Mons Dei, mons pinguis: Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo bene placitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit*

In re spō: Eccl: Dedic: 2. lecti.

Psal: 120.

Psal: 68.

Psal: 67.

in finem. Interrumpes, Anima, causidicumq; mundi ages, dicesq; mundũ habere etiam suos montes: Potentiæ & Scientiæ, Principes & Reges, sunt veluti montes, & eorum præeminẽtiæ. Respondebo tibi dictione breui Bellar: *Cogitat aliquis, vel Regiam, vel Pontificiam, vel Imperatoriam Maiestatem; intuetur opum affluentiam, Purpuræ splendorem, numerum famulorum, amplitudinem dignitatis, illustres titulos, gloriosa cognomina, continuè ardere incipit* (homo) *desiderio ascendendi. O qualis mons est iste, quàm excelsus, quàm sublimis! O si semel ad eius verticem peruenirem, nonne cœlum contingerem! Nonne ita beatus essem, vt Deus quidam inter homines dici possem. Verùm cùm ibi est, & multitudine negotiorum, molestiarum, curarum, solicitudinum, obrui se videt, vt quietem nullam capere possit, omnia plena periculis ac suspicionibus animaduertit.* Enumerando postmodũ varias afflictiones, subiungit: *Tum demùm se deceptum intelligit, & nihil aliud inquit esse Regem, aut Pontificem, quàm hoc? Putabam me beatum futurum, & miserior mihi*

Cõc: 35. ascẽs.

nunc

nunc esse videor, quàm vnquam fuerim. Hic ille Mons est, quem Diabolus primus ascendere aggressus est. In Cœlum, inquit, *ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. Non bene ei successit, nam repente tanquam fulgur cecidit de cœlo, & ex Angelo pulcherrimo fœdissimus effectus est.* Hic est mons potentiæ, quàm fragilis plenusque ventis amaritudinis vides, ô Anima. Iam de altero Monte sapientiæ, audi eundem Bellar: *Quid de monte sapientiæ dicam, si procul aspiciatur, quàm sublimis, quàm speciosus videtur ijs, quos amoris stimulus concitat? Quid enim splendidiùs, aut gloriosiùs, nomine sapientiæ? Certè vulgus hominum putat nihil penitùs latere Philosophos, verùm eos omnia abdita atque arcana naturæ penetrare. Tamen vos Auditores,* (alloquitur suos) *qui montem illum ascendistis, nonne planè videtis, vix exiguum cumulum dici posse? Quid certum? Quid exploratum? Quid non dubium?* Et infra: *Quis non videt, quantis angustijs gloria humana, etiamsi dilatari velit, circumscribatur, cùm nec Alexandri, nec Aristotelis, quorum alter ad summam potentiam, alter ad*

summam sapientiam peruenire putatur, nomen & fama, vel Caucasum montem, (vt Tullius loquitur) *vel Gangem fluuium transnatare vnquam potuerit?* Prospectus Alexandri in monte potentiæ, duodecimo anno euanuit ex oculis. Prospectũ sapientiæ Aristotelis, Euryppus obtulit, & sustulit. Dauid Rex enumerando opera Domini, dixit:
Psal: 146. *Qui producit in montibus fœnum.* Secundum litteram, productio fœni seruit iumentis: non errarem, si montes, superbos, arrogantes, diuites videlicet, producere bona opera, tanquam fænum; quibus aluntur iumenta Dei,
Psal: 72. Eleemosynis scilicet, cum Rege: *Vt iumentum factus sum apud te.* Verùm bona opera augmẽto peccatorum, præsumptione, complacentiâ, vt fænum arescunt. Quòd si interpretaretur Deum quis, in montibus hominibus excelsis producere fœnum, cùm mortis iaculo caro in puluerem reuertitur:
Isa: 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit*
Psal: 102. *flos.* Et Psalmista: *Homo sicut fœnum,*

dies eius tanquam flos agri sic efflorebit. Fœnum falce præcisum vehitur curru, in locum destinatum, fit sæpiùs, vt stridore pulset aures ingrato, depositum iacet, & tacet. Moritur mons terræ, sepelitur in luctu, vtinã semper nõ ficto, obliuioni perpetuæ datur sepultus. Dominicus Carthusianus de tali fœno: *Quando caro sepelitur, Heu, de spiritu nil scitur, Vtrum gaudet, an punitur, Non fit magna mentio. Luctus quidem simulatur, Sed substantia vastatur: In propinquis generatur; Zelus & contentio.* Caduci montes mundani, inde prospectus non durabilis: veniet dies vltima, qua memoria montium taliũ peribit: *Qui tangit montes, & fumigant,* (inquit Dauid) Tactus Domini est mors, fumus fama relicta, tantùm ipsis translatis ad fumum illum æternum. Cœlum, est verè Mons, vt S. Bern: ait: *Cœlum est Mons Dei, Mons iste, est mons vber, bonorum omnium cumulus: Mons voluptatis æternæ, Domus Dei est.* Et infra: *Quidni montiũ Mons fundatur exultatione vniuersæ terræ, vbi tam multiplex o-*

In Hym: Dei Creat.

Psal: 103.

Ser: de verb: Psal: 23.

mnium delectabilium copia, vbi copiarum omnium plenitudo. Planè Mons coagulatus in cœlo ex Diuino supposito, & carne humana in Christo. O suaue coagulum! Ex Angelis assistentibus, ex hominibus, & iam sine carne, & post Iudicium vniuersale ex coniunctione eius, illic triumphantibus. Mons pinguis duplici pinguedine, & creatione vberrimæ fertilitatis, & Redemptione roris sanguinis copiosæ fæcunditatis: Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in finem. Si Deo placet habitatio, quidni bona mansio? Ibi bene viuitur, vbi omne bonum possidetur: *Nam bonum infinitum infinitè trahit, humanam voluntatem sic implet, satiatq́, vt ea non poßit extra illud velle aliud, aut amare.* Beatitudo summa in illo Monte, *vbi nihil sit quod nolis, & vbi totum sit quod velis.* Prospectus ex illo monte amplissimus est, præterita, præsentia, futura, vni oculorum intuitu subijciuntur. Prospectus non impeditur, veluti ex Arce, in monte aut colle sublimi cõ-

Drex: de cœlo. l. 2. c. 12

Ibid: c. 12.

ſtructa, & anfractus ſuaues collium, & loca ſupplicijs patent deſtinata. Ita è monte cœleſti, æternitates ambæ videntur, & fructus voluptatum diuiniſſimæ vitæ nunquam amittendarum, & horridæ pœnæ damnatorum. Extra omnem ventum & meteora poſitus mons ille Olympius, Cineres non diſijcient Aquilonares: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum* Pſal:
ex his non conteretur in æternũ. Ipſe Chri- 33.
ſtus de hoc Monte in monte docuit, in monte orauit, in monte gloriam transfiguratione clariſſimâ oſtendit: propter hunc Montem conſequendum, in Monte Morte mortem vicit, vltra montem in Cruce eleuatus, metam & ſcopum Aſcenſus, lanceâ latus perforando propoſuit, ab excelſo ſolio ignominiæ, Montis illius beati ingreſſum, aperto latere reſerando, effuſione ſanguinis & aquæ, viam ad Montem illum declarando. Hinc, Anima, inſtrui poteris per montem dolorum, ad montem Gloriæ eſſe viam, ſanguine & aqua mediante. Chri-

itus expressit in Cruce, ob dolorem sanguinis, se meruisse introitum cœlestem hominibus: Beatissimam Virginem MARIAM, ob dolorem Cõpassionis, & vim lachrymarum, ibidem introitum promeritam. Et tu, Anima, fac similiter, si non vales sanguine, ad minimùm aquâ pœnitentiæ, illius Montis ianuam aperiri sibi suppliciter petas, vbi vera & æterna amænitas. Verùm, sit aliqua amænitas etiam montium & structurarum mundi, quæ ibidem securitas? In Cõuiuio, Balthasar Regno spoliatur. In Thalamo, Holophernes capite minuitur. In Capitolio, Iulius Cæsar pugione confoditur. In patibulo Aman dilectus Assueri, appenditur. In furca, Iudas ab Apostolatu deijcitur. Innumera exempla nullius mũdi securitatis: Reges numero aulicorum & militum, securitati suæ prospiciunt. Imperatores militari scuto, suam tutantur securitatem, & tamen ipsa aliquando Innocentiæ hoc priuilegio securitatis priuatur. Exi-

stimet

ſtimet Philoſophus: *Securitatis magnã eſſe portionem, nihil iniqui facere.* Quot tamen ſunt, quos Innocentia tueri nõ potuit? De Martyribus S. Ambroſ: *Gratis Martyr perſecutionem patitur, qui impugnatur ſine crimine; impugnatur vt noxius, cùm ſit in tali Confeßione laudabilis, impugnatur quaſi veneficus.* Et paulò ſupra: *Qui nihil legibus debeat, & grauiora Latronum ſuſtinere cogantur ſupplicia.* Quot & in ſæculo nocentes abſoluuntur, & nihil meriti, tormẽtis exquiſitis cruciantur? Sen Ep: 105. Ser: 21. in Pſal: 118.

In cœlo perfecta ſecuritas, quæ eſt *ſecunda Proprietas*, iuxta S. Bernar: mentem, verba de Monte illo cœleſti explicantis: *Erit mons pacis, mons gaudij, mons vitæ, mons gloriæ: & hi omnes montes, vnus Mons conſummatæ fælicitatis. An non mons pacis? Pax ſuper pacẽ, pax quæ ſuperat omnẽ ſenſum, planè Mons magnus: Pax in corde, Pax in carne, Pax ab iniquis hominibus; Pax cum omnibus proximis; Pax ab ipſis Dæmonibus; Pax cum Deo, & pacis non erit finis. Erit gaudium, ſed quale, Dominus ait, Gaudium plenum, ſecurum gau-* Ser: in Pſal: 12.

dium, quod nemo tollet in cœlo. In terra non est similis securitas. De Ludouico Galliarũ Vndecimo Rege, narrat Historia, eum adeò securitati nõ dedisse fidem, vt Cameram in Turri quâdam ædificatam, scalis admotis, quieti se dando ascenderit, attracta secum scala, eadem demissa, in die oculis vulgi se præsentabat. Qualis ibi Regis securitas, & quies? Tranquilliorem expetebat alter Rex cameram: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Eritne securitas ibi, ô Rex! futuram ait: *Si consurgant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersûs me prælium, in hoc ego sperabo.* Adstipulatur alter Rex sententiæ, prouocando ad duellum hostes infensissimos, dummodo Deũ comitem & socium habuerit, & in illa securitate cœlesti maneret: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me?* Suauis securitas in illo Monte cœli, & suauitas secura. Sigismundus Primus Rex Poloniæ, de securitate Re-

Co-min: in eius vita.

Psal: 26.

Iob 18.

gia co-

gia coram Maximiliano Imperatore gloriatus, eum amorem inquit Subditorum meorum experior, eamque affectus synceritatem esse, vt in sinu vniuscuiusque securâ quiete possim conquiescere. Excellentiùs Rex Dauid, & pleniùs, de securitate in Deo exultat: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Psal: 4.

Ad tam delicatam securitatem in cœlo, accedit *Tertia Proprietas*, iucundissima inter Ciues & cohæredes cõuersatio. Homo est Animal sociabile, nulla occupatio iucundior, quàm reciproca amica Societas. Nulla suauis satietas, vbi nulla societas. Deus in paradiso dixit, nõ esse bonum hominem esse solum, ex costa ædificauit sociam. Cur ex costa, & cur ædificatio? Mortalis hominis etiamsi corpus dissoluatur, & pereat consumaturque à vermibus, ossa manent & costæ, cui sese adeps corporis vitalis humani agglutinauerat. Ita societas stabilitate sua etiam mortuis superuiuit, memoriam illorum quasi resu- Gen: 1.

scitat, præteritam conuersationem, præsentem imaginatur, posteritatiq; transmittit. Ita vt in Hæredibus cõtinuata serie consurgat, morbum alleuiat, triste cor excitat, ardua quæq; strenuâ aggreditur manu; tempus lõgum societas contrahit, vt in hospitio quodam peregrinans legi: *Anni vnius bonæ conuersationis mora, videtur expleri Clepsidræ exigua hora, Ingratæ societatis paruam horam, annum integrum, adesse quis putaret coram.* Firma societas, ideo ex costa, ideo ex osse. Ædificatio etiam appellanda, non tantum quòd ædificia omnia societatis humanæ ingenium excogitârit, quòd ad eã conseruandam tot Vrbes & Palatia, altiori industria semper sæculorum inuidia constructæ, quod inuẽtiones commerciorum, subleuandæ & stabiliẽdæ societatis causâ introductæ. Sed ratio potissima, quòd Deum laudandi, æternitatis Thesauros congregandi, laudis & gloriæ imitandæ exempla relinquendi, per societatis ædificium promoueatur. Altum hoc

ædificium in paradiso fundatum, in terris propagatum, in cœlis completum, æternitatis spatio immotum consistet. *Si duorum sapientum proborũ, hominum amicitia est tam dulcis, vt ille dixerit, solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam* (vel societatem) *è mundo tollunt: quàm iucundum erit* (in cœlo) *cum tot sapientissimis & optimis viris perpetuò cõuersari? cum Apostolis loqui? cum Prophætis conferre? agere cum Martyribus? cum Doctoribus & Episcopis sanctissimis viuere?* Imperfecta societas in mundo, multis Vrbium splendidissimarum & opulentarum habitatio displicuit. Atheneus de Aristotele scribit, eum Athenis excesisse ad Aulam Philippi Regis Macedoniæ, sæpiùsque sermonis occasione eas commendâsse: tum Philippus causam egressûs eius inuestigans; Ecquid, inquit, ore Athenas laudas, quas mansione contempsisti? Aristoteles respondit, ideo se magnificam Vrbem relinquisse: *Quia ficus super ficum, & quercus super quercum consenescit.* Discordiam Ciuium, oppres-

Bell: de beat: cœl. Cõc: 4.

sionem Pauperiorum, Diuitum dominationem innuit. Non aliter in societate vitæ humanæ, licet *Carere Patria, intolerabile sit*: tamen ita angunt & tangunt Patriæ damna, vt etiam inuitos expellant: sunt enim pericula & interna, & externa. Interna ex ipsis Incolis generãtur: *Nullum* (enim) *non hominum genus concurrit in Vrbem, & virtutibus, & vitijs magna præmia ponentẽ.* Hinc discordiæ: Nam *nulla magna Ciuitas diu quiescere potest, si foris hostem non habet, domi inuenit, vt valida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur.* Inter ipsos Incolas quot cædes, rapinæ, furta, dissensiones. Quid? Inter amicissimos quandoq; oscula in vulnera transmutantur. Vt ille: *Non hospes ab hospite tutus, non Socer à Genero, fratrum concordia rara est, imminet exitio Vir Coniugis, illa Mariti lurida terribiles miscent aconita Nouercæ.* Et Propheta Micheas: *Peryt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est, omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et infra: *Nolite credere a-*

Sen: ad Hel: de Cõs: c. 6.
Lips: de Cõst: l. 1. c. 11.
Sen: ibid.
Leui: Dec: 3
Oui: di.
Miche: c. 7.

mico, & nolite confidere in Duce, ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia Filius contumeliam facit Patri, & Filia consurgit aduersus Matrem suam, Nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Externa pericula habet ab hostibus societas; cùm nulla ferè Ciuitas sit, vel Regnum, cui Deus Aduersarium in vicinia non posuerit. In cœlo Ciuitas dilectionis, Ciuitas cõcordiæ, tot triũphantes visuntur eorum Calculo adscribi, societati annumerari, vna omnium voluntas erit Angelorum, ac Sãctorum omnium, visibili amicitia fruêtur Anima benedicta, quæ *Superiora habet* (in cœlo) *ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium.* Iucunditas summa, & fruitio sinceræ conuersationis & gaudij, quod Drexel: describit, inuitando Animas ad cœlum: *Ibi fruemur gaudio sine tristitia, luce sine tenebris, sanitate sine morbo, securitate sine periculo, satietate sine fastidio, iucunditate sine interruptione, voluptate sine dolore, societate sine suspicione, gloriâ sine inuidia, copiâ sine de-*

S. Bernar: in Medit: c. 4. De cęlo, lib: 2 c. 8.

fectu, vitâ sine morte, bonis omnibus sine fine. Ibi pulchritudo non defluit, ibi hilaritas non deficit, ibi nullus auditur gemitus, nullus sentitur mæror, ibi gaudia luctu non miscētur. Societas terrena separatur, vel discessu amici, vel occasu, ibi diuersa, vbique cœlum, vbique societas, nullibi mors. Si vnus socius, si cara coniunx, tam altè radices amoris figit, vt diuelli siccitate oculorum nō possint? Hinc prouerbium Germanicum? *Quando quatuor oculi duo corda vident separata, tum duo corda quatuor lumina vident lachrymis madefacta.* Quæ comparatio cum cœlo? Cùm millia millium fraternâ charitate, inseparabili coniunctione, delectationisque affectu lætabuntur? Si hic sancti viatores summo amore coniunguntur mutuo; vt Ecclesiæ carmen præcinit: *Hæc est vera fraternitas, quæ nullo potuit violari certamine*; nec separabantur solatijs sempiternis? Dauid concordiam Sanctorum expressit, illis verbis: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi!* Ossa non loquuntur, &

In respōs, In Martyr.

Psal: 34.

tamen

tamen, ille omnibus loquelam concedit? Vno ore loquuntur multa ossa; id est, Omnes Sancti vnâ mente, vnâ voce, vno iubilo dicent: *Domine, quis similis tibi!* *In Iudicio*, quo elegisti quosdam, alios reprobâsti. *In Maiestate*, ad quam diligentes te admittis. *In splendore*, quo æternitate non satias oculos tui admiratione. Et hic ossa Electorum loquuntur. In Gallia Ciuitate Arelatensi, extra Mænia, exigua Ecclesia iuxta iter locata, sepultus in ea Sanctus quidam, qui ex Ethnica Idololatria, verum cultum Dei agnoscere populum edocuit: accidit Episcopum loci, ob reuerentiã maiorem illius Sancti, ad maius templum transferre decreuisse, supplicatione solenni venit ad locum; vix intrauerat aram, auditur concussio ossium, & clamor multus sub terra depositorum: *Relinque nobis Benefactorem nostrum.* Ita territus Præsul abstinuit, ne educeret è Templo sanctissima lipsana Sancti. Liceat discursu progredi à minoribus ad maiora. Quanto

gaudio cœlum implebitur, societate illa, quæ nec dolore turbari, nec vi auferri vnquam poterit?

Quis *Quartam Proprietatem*, quam è quinq; sensibus perfectam dulcedinem in cœlo Sancti hauriunt, describere præsumet? Maxima hæc oblectatio cogitatione nunc degustatur, perfectè in æterna patria suauitate animum completur. Quinque sensus distinctas habẽt dum viuimus causas, propriæ delectationis, habẽt & dum morimur in Christo. Munia, officia sensibus nostris quidam distinxit: Visum voluit esse Iudicem, auditum Referendarium, gustum Architriclinum, seu Pocillatorẽ, odoratum Aulicum delicatum, tactum Executorem. Visus certè iudicat quid boni quid mali, quid pulchri quid deformis, quid veri quid falsi. Illegitimum hoc Iudicium, oculus debilitatur imperfectione, multique amãt, alij oderunt: Ebrius in vino ponit solatium, sobrius retrahit palpebras. Libidinosus cogitat & incitatur visu

ad concupiscentiam, continens cum Iob, pepigit fœdus cum oculis. Homicida sanguine cruentatâ manu delectatur: Mansuetus homo etiam locum sanguine cruentatum deuitat. Dauidis aspexerat oculus quod non debuit, statim oculi malitiam incusat iudicio: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Psal. 138. Non æquus Iudex in terra oculus, in cœlo verissimum & perfectissimum Iudicium visus. S. Paulus in tertium cœlum raptus, vidit arcana, vidit imperfectionem oculorum. Quale tulit Iudicium? Omnem pulchritudinem mundi, diuitias, delicias, stercora appellat. Quanto gaudio oculus Animæ benedictæ fruetur splendore cœli collustratus, cùm omnia tanquam perfecto organo cõparebunt obiecta pulcherrima? Super omnia bona omne bonum ipse Deus. Quæ visio sequenti Capite reseruatur exprimenda. Auditus in mundo refert instrumento suo cantũ Symphonias, doctrinam. Hæc omnia perfectione carent, aut enim auris

fatigatur, & eligit præ melodia taciturnitatem, & continuo sono liberari cupit, eligitq; potiùs vt guttur alterius esca sese saginet, quàm strepitu verberet aërem. Rex Dauid hic viuens, diuersa præparatoriâ attentione erigebat aurem: *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Audire loquentem Dominum, summa autium perfectio: Maior, audire Pacem loquentem, & illam perennem, maxima. In cœlo hoc ipsum Musica resonabis, Excellentes illi Musici, ipse Deus, Magister & Arbiter Cantus. Quales Discipuli, qualis eruditio sub tali Instructore: *A nullo Regum, nec ab Imperatorum vllo, similes auditos esse Phonascos: Amor & gaudium facit Musicos.* Si ergo in cœlo erit summus amor & gaudium, super omnia gaudia quales Musici? Quomodo aures cantus suauissimus demulcebit? Talem Musicam meditabatur S. Aug: *Fælix ego* (inquit) *& verè in perpetuum fælix, si post resolutionem huius corpusculi, audire meruero illa Cantica cœlestis melodiæ. Fortunatus ego,*

Psal: 84.

Drex: lib 2 de cęlo, c. 5.

S. Aug: c. 25. Medit.

nimiumq́ beatus, si & ego ipse meruero ea cantare, & aßistere Regi meo, Deo meo, Duci meo, & cernere eum in gloria sua. Auris tua, Anima, si hic Referendarium verum aget, & referet ea quæ Capellæ cœlesti accomodata sunt, participabit vicissim ex cantu glorioso: si verò obscæna, detractoria, inánia, relatione præsentabit, ad Capellam similem sordibus aurium plenam pertinebit. Aures præpara ad illam Musicam, lachrymis & suspirijs, dissona quidem hæc sunt, sic in Musica instructio vellicat aures, concordantia titillat suauiter: post lachrymas & gemitus, in cœlo *Aures perpetuò Psalteria, Organa, Cytharas, vocesq́ illas purißimas & iucundißimas audient, quæ omnem tristitiam pellere, & omnia humana corda, quantumuis ferocia & exacerbata, mansuefacere possent.* Gustus ita impletur vino, vt etiam exoneret cum Nausea, mutat saporem, quod æger appetit, sanus respuit, & vicissim bene valentis fercula obstruunt guttur infirmi, aliquando vnus idemq; cibus potus,

Bell: de beat. cæl. Cöe: 4.

& quæ-

& quæritur, & reijcitur. At etiamsi gustum delectet obiectum, sub mensuratum cadit: *Potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* Loquitur Rex, & mala & bona à Pocillatore & Architriclino sub mensura conceduntur. In cœlo gustus immensurata portione & potu, refectioneque consolabitur: *Mundus laboris centumpondium obtrudit, mercedis vix paucas reddit vncias, subinde vix drachmam, octauam partem vnciæ. More prorsus contrario Deus laborem ad mensuram, laboris præmium dat immensum.* Odoratus non destituetur gloriâ in cœlo: Mundi Aulici odoribus corpus & vestes conspergunt, nares ad odores paratos circumferunt, interim coguntur etiam stercoribus, & impuris fœroribus nolentes gratificari, intermixtæ in hoc sæculo sordes cum Musco: Odores ipsi non gratè semper olent, caput inficiunt, aliquorũ deliquio debilitant cerebra, & Poëta affirmat: *Non bene semper olet, qui bene semper olet.* In cœlo Beatorum corpora, & locus ipse, suauissimum odo-

Psal. 79.

Drex: lib. 2. de cælo, c. 2.

rem

rem ſparget, Eccleſia teſte: *Sancti tui Domine, florebunt ſicut Lilium, & ſicut odor Balſami erunt ante te.* Sapiens adamauit odores cœleſtes, & ad curſum inuitat: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Drexel: de cœleſti odore: *In cœlo ver æternum, quod nulla vnquam fugabit hyems, odorum amœnitas in cœlo, Cynamonum & crocum, omniaq; aromata, Balſamum & Nardum, omniaq; vnguenta, Lilia & Roſas, omneſq; hortorum delicias, omniaq; florum oblectamenta longè ſuperat.* Tactus omnium rerum in mundo Executor, tactum Dei tamen exhorreſcit. Iob tactus à Deo miſericordiã inclamat: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Si, Anima, quæreres, cur poſt mortem Chriſtus lancea aperiri permiſit corpus? Extra culpã forte eſſet, cuius opinio grauitatem peccati tactus occaſionem dediſſe concluderet. Eò libidinis mortalitas proceſſit, vt non tantum viuis, etiam mortuis voluptate carnis inſultâſſe exemplis ſciatur. Tactus pecca-

tum

Antiph: ad Laud: martyr: tẽpo: Paſc.

Cãt: c. 1.

Drex: l. 2. de cælo, c. 3.

Iob c. 9.

tum adeò executione excedit, vt cō-ſummet & perficiat ſcelerum maſ-ſam: reliquum ſanguinis & aquæ vi-olato ferro, latere & corde Diuino effluxit, ne tam immanis noxa in cō-ſpectu Iuſtitiæ Diuinæ appareret, & ſimul porta tactus cœleſtis aperire-tur. Maxima tactus voluptas erit in cœlo, & puriſſima: *Quidquid illic tangi poterit, gratiſſimam ad tactum proportionem exhibebit, totum cuiuscunq; Beati corpus ſym-metria decentiſſima, temperie nobiliſſima, ſanitate perfectiſſima gaudebit. Erit in eo temperamenti præſtantiſſimi ſenſus intimus, nam Beati ſuauiſſimè ſentient, quàm ex toto valentes & ſani ſint, ab inualitudine omni ſecuriſſimi æternum.* Verùm cùm omnia gaudia & coniungat & excedat viſio Dei, de ea Capite ſubſequenti, iu-cundiſſimâ ſuccedet meditatione oc-cupatio.

Drex: lib. 2. de cælo, c. 4.

De viſione Dei, beneficio Glo-rificationis.

C A P V T V.

Longi-

LOnginus ferro lãceæ aperuit latus Christi, sanatus oculò exteriori, vti relatio multorũ: sanatus est interiori, vti Reliquiæ eius asseruatæ Mantuæ attestantur. Fælix ictus, cuius repercussio visum amissum renouauit, & cœcitatem intrinsecam illustrauit. Quid mirum? Potentia aperti lateris, non solùm inscios instruit, errantes etiam à Christi schola vagos in viam disciplinæ cœlestis reducit. Aberrârat Thomas Apostolus, tùm suo *Nisi, &, Non credã*: Amor Filij Dei gloriosum latus ei obtulit tangendũ, quo viso exclamat: *Dominus meus, & Deus meus.* Aqua lateris absterserat serui maculas, sanguis eiusdem purpura Apostolatus incredibilitate cõtaminata, reddidit eidem Prælaturã. A tactu lateris quis cœcus & incredulus recederet? Difficiliùs incredulus reuocatur ad fidem, ignorante. Longinus ferro aperuit latus, sapientia supernaturali destitutus non agnito Deo, nihil reprehensionis inde cõtraxit. Thomas defectu fidei manum

Ioã. 20.

Ibid. immittit in latus, & arguitur: *Quia vidisti me Thoma, credidisti; Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Beatitudo vera realis in vita est, fide videre Deum, hoc est credere. In altera vita, extincta fide est videre intuitiuè Deum, ob visionem Dei ænigmaticã, seu fidem: infinita visio Dei, dabitur merces credenti. Post mortem Christi aperuit latus Longinus, tũc eius quoq; corporis & animæ apertus oculus. Post mortẽ prædestinatis merito passionis Christi aperiuntur oculi, quibus vti in se est, videant beati consummata fælicitate Deum. Quid ergo Anima? si correptio data Thomæ tangenti latus, terret, abstinebis ab immissione in latus Saluatoris affectum? Audacter perge, & non tantum latus & cor contemplatione visira Redemptoris, plus vltra tanquã per opticum instrumẽtum, ipsum Deum in Empyrei cœli solio sedentem, quantum licebit visibili conceptu intuere, ardorem in te excita, suspirijs & lachrymis remoue remorã, alisque

medi-

meditationis ad Thronum gloriæ Diuinæ, comite reuerentiâ, conſcende. Caligant oculi Creatorem Solis volentes conſpicere, ſumma ibi Maieſtas, numeroſus numerus aſſiſtētium, virtutum omnium radices, vel radix potiùs vna omnium, præcipuè Sapientiæ, Bonitatis, Iuſtitiæ, Miſericordiæ. Ordine hæc omnia ad viſionis Dei gloriam præparatorio oculo placebit admirari. In Veteri Teſtamēto Hebræus populus noluit videre, imò nec audire Deum loquentem, præ timore & terrore tanquam vi fulminū quateretur terra, præſentiam Dei exhorrebat, non tamen ipſe Deus tunc aderat, tantæ anguſtiæ cordis humani fuerant, quæ Dei claritatem formidabant. In Nouo Teſtamento deſiderium ſummum eſt, Chriſtianæ Animæ viſu Dei oblectari. Triplici modo videtur, videbiturque Deus. I. Vt Homo, qui inter eos apparuit, quibus vultus ſui indulſit licentiam videndi. Hinc ipſemet Chriſtus ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Præ- Luc: 10.

dixitq; multorum appetitum Regũ, & Monarcharum, eum videndi cupientium. II. Videbitur vt Iudex in extremo Iudicio : *Et homines arescent præ*
Luc: 20. *timore, & expectatione.* III. Videbitur Deus vt Pater & remunerator in cœlo : *Gaudete, quod nomina vestra scripta*
Luc: 10. *sunt in cœlis.* Quælibet hæc visio Dei plena Maiestate, Sapientiâ, Bonitate, Iustitiâ, & Misericordiâ.

Prima visione Incarnati verbi Dei, excessit Misericordia Iustitiam respectu nostri, diuisio facta nobiscum, Filius Dei Iustitiam humeris suis portandã assumpserat, Misericordiam Diuinã nobis ad vsum fructum reliquit : cõiuncta vtraque virtus, & in persona Christi, & in operibus eius. Ante aduentum Domini Iustitia regnare absolutè cœperat in mundo, Misericordiâ contrahente Imperium. Tria exempla præcipuæ Iustitiæ mundo vniuerso nota sunt : Diluuium, quo aqua cacumina montium iussu Diuino transcendẽdo, creaturæ vniuersæ sepulturam extruxerat, Arca sola ex-

cepta. Verba Iustitiæ Decretum excidij ferentia, in hominem fuerant: *Pœnitet me hominem fecisse.* Ciuitatum quinq; Asiaticarum peccatricum, ab igne cœlesti consumptionem, executio Iustitiæ Dei terribilis, Decreto promulgauit tali: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Pharao cum Exercitu, in rubro Mari absorptus est ab aquis vehementibus, Iustitia Decreto condemnationis addixit eum illis verbis: *Indurabo cor Ægyptiorum vt persequantur vos,* (id est Hebræos) *& glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & scient Ægyptij quia ego sum Dominus.* Aderat exiguo Comitatu Misericordia, in diluuio Arca vecta, cũ Loth paucaq; sobole è Sodoma eductâ, Israëlitico populo per Mare rubrum transeunti sociata. Quãdo venit plenitudo temporis, quo Deus Filium suum misit in mundum, dum visibilis omnibus apparuisset, Misericordia prærogatiua singulari regebat mundum, Iustitiâ declinante Diuina,

Gen: 6.
Gen: 18.
Exo: 14.

parcendo hominibus furore executionis in Christum conuerso. Illud, illud est, quod in Cruce prolatum fuit:
Mat: 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ille derelictus, nos assumpti in gratiam & cohæreditatem Christi. Videas Anima, ex visione Saluatoris, quanta misericordia ostensa mundo; ante dixerat: *Pœnitet me hominem fecisse*;
Mar: 8. iam, *Misereor super turbam.* Petrus accesserat ad Christum, interrogauitq;:
Mat 18. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsq; septies?* *Dicit illi* IESVS: *Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies.* Quæ causa tantæ misericordiæ? Post Diluuium Iris conspecta in cœlo varijs coloribus ornata, signum fœderis. Post Diluuium Diuinum, quo totus sanguis Christi operuit peccatricem terram, submersis delictis, eorũq; grauitate depressa, Iris aperto latere, repercussione (non à Sole visibili tenebroso pallio mortem Domini sui mærens, faciem operuerat) ab inuisibili Sole radijs misericordiæ illustrata apparuit: Co-

lores

lores erant, albus, ruber, & viridis, sanguinis & aquæ. Passionem verò suam Redemptor ipse viridi Colore depinxerat: *Si in viridi ligno hæc faciunt.* Luc: 23.
Certum iam Irę Diuinæ nos exẽptos, Iride lateris semper apertâ certificãt. Hoc Diluuio cõseruata illa multitudo in Arca Lateris aperti, & secreto cordis Diuini, quam iuxta D. Ioan: dinumerare nemo poterat; Aquâ, quæ antea delebat homines, nunc renouat, & in cœlo collocat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ioã: 3.
Ignis ante visionem Domini in terris Ciuitates quinq; deuorauerat, nunc ignis prohibetur mitti in terram; Samaritani non receperunt Christum, cùm vidissent Discipuli, dixerunt: *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos! & conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius Spiritus estis, Filius Hominis non venit Animas perdere, sed saluare* Luc: 9.
Die Pentecostes quo igne arsit mundus? Igne Diuini amoris, igne suauiter conuertente peccatores ad gra-

tiam, & gloriam Dei. Et in alio lo-
Luc: 12. co dicit Dominus : *Veni mittere ignem in terram, & quid volo nisi vt accendatur?*
Exẽplo præiuit ipse, arsit igne amoris, clamando in Cruce, *Sitio*; Spongia aceto & felle mixto, sedare voluerant Iudæi sitim, noluit bibere; post mortem primum effusione sanguinis & aquæ è latere, restinctum incendium, paulò ante Domino pronuntiante, *Consummatum est*. Hinc igne probantur Electi, quod & Rex Dauid
Psal: 65. fatetur: *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Et infra:
Ibid. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium* Misericordiâ Dei, passione Filij, per ignem amoris sanguinisq; effusi pretium, liberauit nos à Diluuio, & ab igne infernali. Plagâ illa tertia, qua in Mari rubro submersus fuit Pharao, mitigata misericordiâ Dei, licet Iudæi Mari rubro
Mat: 27. operiri improbè cuperent: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros* : Misericordia Diuina non vltionem parabat, Indulgentiam potiùs precabatur:

Pater dimitte eis, non enim sciunt quid faci-unt. Pharao Ægypti infernalis ille Dominus, cum suo Comitatu perijt, Iudæi multi conuersi, à voragine rubri Maris erepti, ac in solitudinem pœnitentiæ translati: *Percutientes pectora sua reuertebantur.* Gentium multitudo transit per hoc Mare rubrum fæliciter, in portumq; promissæ Patriæ infertur, vestigia illius Maris rubri sublata, dum populi Iudaici bono commodare desiissent. Nostrũ Mare rubrum apertum semper, quinque viarum ductu: sunt manus dextra & sinistra perforatæ, pes vterq; & latus reclusum, quæ vestigia à flagellatione ad Caluariæ Montem, rubro colore tincta, flectunt iram Patris, vt quotiescunque Iustitia Dei sese vindictâ armat contra ingratos, Misericordia sanguine Filij inuoluta, sedat impetum furoris Diuini. In tanta vbertate Misericordiæ, quæ ex visione Dei, in carne humana mundum impleuerat, aderat Iustitiæ scintilla, præcipuè triplici actione Christus

Luc: 23.

Ibid.

carneo indumento vestitus, exercuit
Ioã : Iustitiam: Vendentes & ementes fla-
2. gello eiecit è Templo, diune durauit
correctio? cum peccatoribus illicò
& Publicanis cœpit conuersari. A-
dultera adducta à Pharisæis ad Do-
minum, Decretum Iustitiæ falsâ in-
terrogatione expectatur: Pharisæi
viso scripto in terra Christi, quod ma
iora illorum peccata notârat, præ il-
la adultera, verecundia & confusione
repleti, dilapsi: Leuis tum Iustitia
Domini, in terra Decretum scriptum
facilè deleri potuit, hoc actu Iustitiæ
magis misericordia enituit. Cùm ca-
peretur à Iudæis Redemptor, ipse-
met processit obuiam lictoribus, di-
Ioã cens: *Ego sum, vt ergo dixit eis, Ego sum,*
18. *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*
Cur ceciderunt? Iustitia Diuina pro-
iecerat eos in terram, Misericordia
eleuauit, & quos verbum vnum Iu-
stitiæ humo alliserat, eorum manus
Misericordia ad capiendum se instru-
Luc: xerat. Ideo Christus addit: *Hæc est ho-*
22. *ra vestra, & potestas tenebrarum.* Nonne

infinita vis Misericordiæ ex visione eius procedens, quæ solo aspectu Petrum periurum gratiæ restituit? *Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus foras, fleuit amarè.* Visio prorsus Dei humana specie comparens, Misericordiam solum spirabat: Bonitas, Sapientia, ex visione etiam eius clara. Ibid.
Philosophus dixerat: *Nulla sine Deo mens bona est.* Ergo cum Deo bona, & in Deo perfectè bona, bonum omne emicabat ex facie Christi Incarnati, testimonium de bonitate ipsemet perhibuit: *Vnus est bonus Deus.* Omnia quantumcunq; bona, vel ex naturâ, vel ex consuetudine, vel ex accidenti malitiæ copulantur, aliquando bonitas immutatur in crudelitatē. Nero quinq; annorum bonitatem, deleuit multorum annorum sæuitia. Domitianus initio locum sanguine cruentum transire verebatur, postea delicias in effusione sanguinis quærebat. Deus noster ex cœlo bonitatem attulit in incunabulis stramineis, ad ligneam mortem vsque conseruauit, Sen: Epi: 73. Mat: 19.

consummauitque, deprecatione ad Patrem pro inimicis, cum vita decurrente Misericordiæ bonitatem exspirando. Sapientia extra captum humanum in Christo dominabatur, duodenis stupentibus Doctoribus in templo Cathedræ Lauream promeruit, fassi sunt Discipuli: *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Et: *Nunquam sic locutus homo, sicut hic Homo.* Assistentia ad visionem Christi accommodata, paupertatem docere venerat, pauperrimâ aulâ se cinxerat, tamen in paupertate latebat mirabilis assistentia, Angeli aderant & Natiuitati, & conuersationi, & in horto cõsolationi. Reges muneribus ditârant egestatem, & fortè visionem, de quâ sermo, triplicem, misticâ interpretatione manifestârunt. Mirrha Christi in carne visionem expressit, quæ Passione aspera conclusa. Thus, visionẽ in Iudicio vltimo illo die Domini, designauit, incensum Thuris, Electorũ agilitatem, odorẽq; sanctitatis. Carbones quibus incenditur Thus, male-

Ioã 6.

Ioã 7.

dictos notabat, qui *cum Carbonibus desolatorijs* detrudentur in Gehennam. Aurum, visionem Dei cœlestem exprimebat, in gloria, pulchritudine, valore, splendore, superans auri speciem. Maiestas in visione Dei in carne, minimè contemnenda apparuit. In Natiuitate Rex Herodes, & tota Hierosolyma turbatur. Reges etiam in vili panno destituti, aulicorum copiâ cognoscuntur, Rex Regum agnitus à tribus Regibus: stabulum præ Palatio Herodis, Bethleem præ Hierosolyma, Præsepe præ Throno Regis Iudæorum elegerunt adorandum. Pulchrè ad propositam rem Bern: ait: *Quid facitis ô Magi! Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis!* Et infra: *Nunquid aula est stabulum, Thronus præsepium, Curiæ frequentia, Ioseph & Maria.* Ita certè non aliter visum illis, summa in fœno Maiestas, summa in stabulo excellentia & dignitas, summa in Præsepio authoritas, Angeli annunciant Pastoribus Natiuitatem Dei. Augustus Cæsar mundi totius Ser: 1 de Epip.

Rector,

Rector (vt multi existimant) adorauit Infantem cum Matre MARIA in aëre visum, stella quæ Magos adduxit, fassa est Maiestatem Diuinam latuisse in stabulo, ibiq; cursum vlteriorem viatoribus denegâsse. Verùm & in Cruce Maiestas conspecta, Sol præ timore reuerentiali, veste nigrâ se contexit, petræ scissæ præ horrore, Latro in patibulo Deum & Regẽ confitetur, Centurio in Morte vitam agnouit: *Verè hic Homo Filius Dei erat*: vt concludam, fateri quilibet debet, in opere misericordiæ Christi Maiestatem semper enituisse. Itaque tu,
Psal: 88. Anima, canas cum Dauide tuo: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Secunda visio Dei in Iudicio apparebit, ibi maius pondus Iustitiæ, Misericordia solo *Vix*, contenta relinquetur:
1. Petri, 4 *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Misericordia aderit quidem, at exprobrans ingratitudinem, tùm ad oculum, quæ nunc velata relinquitur, consurget. Ibi videbuntur, quanta beneficia collata

huma-

humano generi à Deo, quantū triplicis Misericordiæ Argumēta ostensa, nimirum Redēptio, facilis peccatorū remissio, Sacramenti Sacrosancti institutio. Ibi merita Sanctorum occulta antea, nonnulla vniuersitati laudanda exponentur. Ibi mirabiles modi Diuini, ad salutem consequendam æternam manuducentes manifestabuntur. Ibi infinita vis amoris & misericordiæ palam explicabitur, Christum pro tot saluandis passum, & pro vno homine solo, tot supplicia perferre paratum fuisse. Ibi merces verbis, *Venite Benedicti Patris mei*, promulgabitur: Iustitia illa gladio armata, stipata horrore terribili, apparebit, quā Dauid præuidens loquitur: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Ante Reges præcedit famulitium, quod remouet turbam, amouebit turbam damnatorum præcedēdo Iustitia, gressus ponet in via, non delendos omni æternitate, impij vt Latrones in spelunca se concludere vellent, ne à Iustitia ad cruciatus sibi Psal: 84.

desi-

S. Ber: in Moral. designatos abripiantur. Verum in cassum: *Latere (id est à seuero vultu Iudicis, in Iudicio æterno) erit impossibile, apparere intolerabile.* Nunc, Anima, suspirio cogita, & assuesce gressibus Christi, quos plorando, sanguinem fundendo, terræ, vel potiùs misero homini, ad imitandum impressit, ex magnitudine misericordiæ, magnitudinē vltionis attende: *Immensus enim Deus & infinitus in iustitia, sicut & in misericordia.* In mundo misericordia plenâ manu accipitur: in Iudicio iustitia plenâ mensurâ apparebit: *Tunc enim claue æternitatis, Diuinæ misericordiæ porta claudetur, & iustitiæ, & vltionis aperietur.* Bonitas aderit Iudicio, cùm omnes perdere meritò potuisset: Multorum Saluator benignus extitit, Sanctorūq; merita, æterno præmio compensabit. Sapientia prælucebit Christi: *Iudex ergo cùm sedebit, Quidquid latet apparebit, Nil inultum remanebit.* Illud tempus erit, quo per Prophetam promittit se iustitias hominum iudicaturum: ibi præ prudentia & sapientia Iudicis,

Ser. 1 in Epip.

Bell: Cōc: 45. Dō.: xxi. post Pēt.

vnum pro mille non respondebimus. Assistẽtia magna in Iudicio: Triplici comparebit Christus, Aulâ, comitatus, cœlestiũ Angelorum Sanctorum, & damnandorum, numero. Homines in hac vita oppugnant Iustitiam Dei, misericordiæ scuto freti, non se defendit, nec oppugnãtibus resistit, superatur. Ipsa Iustitia Christus, ab vno Angelo in horto confortabatur: ipsemet processit vt caperetur, falso testimonio fides illius postponitur. Barabbas Latro, innocẽtior præ candidissima IESV innocẽtiâ inuenitur: à Iudicibus deniq; iniquissimè cõdemnatur. In Iudicio extremo Iustitia defendetur à tot agminibus Angelorum, à tot millibus Sanctorũ, ab ipsa Ira Diuina. Mortales destituti Misericordiâ deficient, vniuersæ Tribus terræ plorabũt, superabuntur, & Decreto Iustitiæ æterno carceri includentur. Maiestas Dei tam formidabilis in Iudicio, vt studiosè meditãti, non aspectu contuenti, stuporẽ inducat, quid fiet, cùm oculos hominis au-

gustissima species Iudicis percellet, & peruadet? Verbis S. Basilij explicare placet Maiestatem illam: *Cùm te appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud, & intollerabile Christi Tribunal, in quo præsidebit Iudex in alto & excelso Throno, astabit autem omnis creatura, ad gloriosum illius conspectum contremiscens.* Immorari nolo ampliùs, Anima, Maiestati, & terribili visioni Diuinæ, tibi ad meditandum relinquo. Ad visionem Dei in cœlo propero: Tu Primam visionem Christi, in terris imitatione cole: Secundam, conscientiã sæpiùs expurgando time: Tertiam, suspirio, lachrymis, exopta: Nam *Deus in exilio mansuetus & amabilis: in Iudicio, Iustus & terribilis: in Regno, Gloriosus & admirabilis. In terra Christus Rector est morum: in Iudicio, discretor meritorum: in Regno, distributor præmiorum.*

Ser: in Psal 33.

S. Ber: ser:2. in Epip.

Tertia mirabilis illa visio erit, quæ satiabit perfectè animũ hominis beati, quod agnoscendo Rex, aiebat: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Poteritne satietas esse in gustu? Nõ, omnes

Psal: 16.

sensus visio impleuit Diuina: *Si mortales homines hic in terris gaudere, & diem festum agere solent, cùm affinem aliquem suum, Cardinalem aut Pontificem, renunciatum esse intelligunt, quam voluptatem obsecro capiemus* (dicit Bellar:) *cùm Dominum illum, qui frater noster, os nostrum, & caro nostra est, Regem, Imperatorem, & Monarcham orbis esse videbimus? Quàm iucunda res erit cernere hominem, Creatorem hominum? Quàm libenter homines inter Angelos erunt, cùm totius Familiæ Patrem & Dominum, non Angelum, sed Hominem esse conspicient?* In terra non videtur vt est Deus, nec videri potest, quia finita misericordia, & finita iustitia. In inferno non videbitur, quia sola Iustitia infinita sine Misericordia: in cœlo videbitur, quia simul vtraq; infinita, oculos Sanctorum delectatione perfundet. In mundo dum quispiam viator ad Regiam, vel Principis aulam Monarchæ accedit, ante vrbem patibula, furcæ, instrumentaque supplicij offeruntur visui; in vrbe vero Palatia magnifica, structuræ,

Cõc: 4. de bea. & cœl.

orna-

ornatus Cameræ, Aula splendida, tum Thronus Regius facie augusta adornatus, Principis comparet: Non aliter in cœlo, ante illud habitatoribus cœlestis Hierusalem, Infernus iustitiæ executor ad oculum patebit. In cœlo lux splendore perpetuo illuminans, eorum aspectum recreabit: Tandem Maiestas Diuina in solio perfectam visionem, non iam viatoris, sed comprehensoris complebit. Rex Propheta, vt in prima visione *Misericordiam* solam, in secunda, *Iustitiam* solam; sic in tertia vtramq; præcinit futuram: *Misericordiam & Iudiciū cantabo tibi Domine.* Isaias Propheta admirando & graphico stylo describit: *Qui ambulat in Iustitijs, & loquitur veritatem; qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.* Præ-

Psal: 100.

Isa: 33.

paratoria præmittit ad visionem: *Ambulare in iustitia, & loqui veritatem*, necessaria sunt ad salutem: Actus multi contrahunt habitum, actus iustitiæ ambulatione geminati, & frequenti vsu in habitum conuertuntur, eoque dirigetur cursus, vnde Iustitia de cœlo inquam prospicit. Veritas est, ipse testatur: *Ego sum Via, Veritas, & Vita*. Per Ioã: viam iustitiæ, & elocutionem verita- 14. tis, ad vitam æternam datur aditus. Addit Propheta: *Qui proÿcit Auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere.* Auaritia varijs modis congregat pecuniam, calumnia fidelis questor, potius infidelis aliorum euacuatis marsupijs in Auari thesaurum comportat: Mammona extendit manum ad apprehendendum donaria, contrahit, accepto munere. Ad cœlum non admittitur saginatus auro, excutiatur in vita non apponẽdo cor, & illi renunciando, vel in purgatorio liquefiet crassities auri & argenti, vel in profundum barathri valor nummi deprimet possessorem. Vlterius per-

git vates: *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos ne videat malum.* Sanguis Christi effusus pro nobis, & pro delictis sanguineis; cur ergo iubentur obturari aures? Electus nec audire iubetur sanguinem. Iudæi non obturârant aures in nece Domini, audierũt & locuti sunt sanguinem, illis verbis: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Et: *Nobis non licet interficere quenquam.* Executio mortis auribus & ore, non manu peracta. Fortè etiam Iudices iniusti audiunt sanguinẽ, dum muneribus placati, sanguinem non sanguine puniunt. Oculos claudendi necessitas imponitur electo, ne videat malum, cui oculo præparatum est omne bonum, quod est Deus. Addit: *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.* Habitatio non manu facta, non terrena promittitur, duratio æternitatis saxorum, firmitati comparatur. Sequitur: *Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt.* Supra diximus, gemitum esse cibum, qui est panis contritorum, lachrymas aquam,

Ioã: 15.

qui-

quibus confortatus Electus (erunt enim fideles, & in Iudicio assistent) tanquam viatico, securo & non fatigato cursu, ad Empyræum cœlum robustis viribus spiritualibus fretus perueniet, vbi *Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Vel terram & terræ desideria de longè contemptim conspicient, certiùs despicient, vel terram; Deum scilicet in natura humana à lõgè cum omni debita reuerentiâ intuebuntur. Qualis tunc decor Regis Regum? *Quia videbimus eum sicuti est.* In similitudinem Dei transformari magnum est; at videre & illam transformationem, & illum per quem in ipsum transformamur, maius est: *Quàm multos enim sicuti sunt videmus, & non continuò similes illorum efficimur?* Et idem: *Si vnus Angelus duntaxat etiamsi infimi ordinis sit, multò pulchrior est, quam id omne quod oculis corporeis conspici posset?* Quid erit Dominum Creatorem omnium Angelorũ intueri? Principum in mundo fama auget Maiestatem, diuitias, fastum,

Ioã: 3.

Bell: in Cõc: de beat: cœl. Ibid.

vilus

visus minuit hæc omnia. Reges cum Regibus ne publicos accessus inuicẽ inter se frequentent, ob despectũ alterutrius partis, & contemptũ, & inuidiam prohibentur. Displicuit Historico Aulico congressus Ludouici II. Galliarum Regis, cum Eduardo Angliæ Rege, & quos antea distantia amicitiæ nexu firmissimo cõiunxerat, eos præsentia, contemptu reciproco instigante, à vinculo concordiæ distraxit. Deus dum non videtur, parui illius dignitas & magnificentia à misera Anima & imprudenti æstimatur, Organum visus debile eligit, vanitatem mundi videlicet, quæ in limum conuertitur, videre præ immensa Diuina pulchritudine. In cœlo aliud & perfectissimum succedet Iudicium. Sicuti in Inferno pœna damni grauior, pœnâ sensus æternitatis maledictæ decreto censetur: ita in cœlo maior gloria ex visioneDei, præ omnibus præmijs iucunda æternitate destinatis, exurget. Videbitur Iustitia & Misericordia Dei exactè, & quæ

nunc lingua carpitur vtraq; humana, ibi prædicabitur ore cœlesti. Bonitas ipsa conspicitur: *Bonum quod ibi inuenitur, exprimi non potest.* Dauid bonitatē istam spiritualiter imaginando, ait: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor Nomini tuo Domine, quoniam bonū est.* Ipsum Bonum videtur videndo Deum. Sapientiâ illa eruditissimâ, etiam rudes Electi intrantes cœlum, ex sola visione Dei vno momento omnium sciētiarum perfectionem acquirent. Tradit Letiensis Abbas, Beatæ Gertrudi apparuisse Monialem à morte, hæc eloquentia, mira de Gloriâ cœlesti enarrabat: Cui Gertrudis: Vnde tibi tanta facundia, quæ in vita à simplicitate noscebaris! Defuncta respondet: *Deum* (inquit) *semel inspexisse, est omnia didicisse.* Deus Adamo creato infudit sapientiam, quæ à nullo mortalium acquiri similis conceditur: Salomoni petenti donauit sapientiam, quæ æqualitatem nullam admittit. Qualis illa in cœlo, quam ex ipso Fonte Sapientiæ Electi haurient, do-

Drex: de cœlo. l. 2. c. 12

Lud: Loff.

In duce Pec.

ctrina? Rectè Granatensis: *In cœlo sapientia Salomonis videbitur ignorantia, Absolonis pulchritudo deformitas, fortitudo Samsonis imbecillitas, vita primorum Parẽtum quasi mors: Omnium deniq; Regum & Imperatorum Thesauros, inopiam & paupertatem, meritò quis poterit appellare.* Omnium rerum abundantia in sola visione Dei: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Drex: asserit: *Nullo modo maius præmium dari potest Beatis, quàm Deus ipse, & iugis aspectus Dei.* Absolon quantopere cruciabatur quod à conspectu Patris fuerit remotus, quanto desiderio flagrabat, vt oculos facie Parentis recrearet! *Obsecro ego* (dicebat ad Ioab) *vt videam faciem Regis: quodsi memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Elegit mortẽ præ pœna, non aspiciendi vultum genitoris. Israëlitæ viso Salomone Rege iam coronato, quantis dilatabantur gaudijs? Betsamitæ quantâ lætitia exultabant, cùm daretur occasio vidẽdi Arcã? Apollonius Tianæus, multum peregrinationi temporis impendit, vt in Æthiopia Solis mensam vi-

Psal: 111.

Drex: lib:2. de cælo, c.4.

Lib: 2.Re: c.14.

deret, quid erit in cœlo ipsum Creatorem Solis inspicere? Prouerbio dicitur: *Quod rarum, carum.* Quid rariùs Deo, quia vnus est: quid cariùs, quia amor est: neq; raritas, neque caritas dimminuetur totâ æternitate. Assistentia circa Deum immensa: *Ibi Patriarcharum cætus, ibi agmina Prophetarum, ibi Senatus Apostolorum, ibi Martyrum Palmæ, ibi Virginum Coronæ, ibi Confessorum & Monachorum diademata* circumstabunt, & assistentia venerabuntur Deum: Maiestas Dei est infinita. Demiratus est oculus, vt lectio Sacra refert, Thronum Salomonis: *Fecit etiam Salomon Rex Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas Throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atq; inde tenentes sedile, & duo Leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim Leunculi stantes super sex gradus hinc atq; inde: Non est factum tale opus in vniuersis Regnis.* Ingenium creatum Regis, fecit hanc Maiestatem Regiæ dignitati accommodatam, quid non fecit increatum in-


Bell: C. 4. Beat: cœl.

Lib: 3. Re: c. 10.

genium Regis Regum, quod creauit ingenia, vt suæ Maiestati in cœlo cõueniens Solium præpararet? Omnia pura in cœlo, & aurum purissimum quod omnis mixturæ est expers: Leones duo, Misericordia & Iustitia, fortitudine catenata, instar manuum, cingent sedile: Duodecim Leones, Apostoli intelliguntur, qui mutuato & accepto à Leone, qui vicit de Tribu Iuda, robore, scalas quibus ascenditur ad Thronum Dei, sanguine tuentur, earumque sunt custodes. Sex scalæ (vti aliquorum est sententia) sex millia annorum, quibus variè ascenditur ad Maiestatem Dei; septima scala quietem interpretatur creaturæ, post Iudicium & finem mundi: Summitas Throni rotunda in parte posteriori, æternitatem designat, quæ oritur, dum electa Anima intrat cœlum, inde nunquam egressura. Velles fortè, Anima, vt tibi Maiestas Throni Dei ampliùs explicetur? Despera. Si Isaias gloriando se vidisse Maiestatẽ
Isa: 6 Domini, ait: *Vidi Dominum sedentem su-*

per So-

per Solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant Templum, Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Vides Anima, quod Seraphin præ splendore, velamento vtebantur ad inspiciendam Maiestatem Diuinam, quid nos miseri imbecillitate oculorum pressi? Velo silentij consultiùs Maiestatem admirari, quàm visione comprehendere. Imitare Anima, Seraphin, vela faciem tuam timore & confusione, vola suspirio & pœnitẽtia: Interim in Lateris aperti Christi contemplatione conside, cessauit iã fluere sanguis & aqua, mundatum lucidumque perspectiuæ loco seruiet, per quod inspicere valeas in delicias æternas, & ipsam æternitatem, quæ est condimentum voluptatum omnium, maximèque visionis Dei; de illa vltimo Capite vicino sermo.



De fælicitate Aeternitatis, beneficio glorificationis.

CAPVT VI.

SVbuereor materiam æternitatis in vita non æterna fore sterilem. Rex tuus, Anima, alioqui disertus obmutuit semel: *Sicut mutus non aperiẽs os suum.* Dormierat in thalamo Regio, interim ante tempus solitum, defecit somnus, ipso conquerente: *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Quæ causa turbarum, & non locutionis, adiungit: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Si facundus Propheta cogitando de Æternitate silet, quomodo ego potero æternitatis discursu implere chartam? Dicitur ignoti cupidinem nullam esse, & cœcum de Coloribus docentẽ, non audiri. Phormio Philosophus de re militari corã Hannibale verba faciens, contẽptus ab Imperatore. Prouerbium est commune: Ne Sutor vltra crepidã. Na-

Psal: 37.

Psal: 76.

tura humana tamē eò industriæ procedit, vt semper abdita scrutetur, & non contenta vno orbe, nouos mundos quærat. Anima Christiana eo amore cœlestium rerum aliquando rapitur, vt non satiata caducâ vitâ, ad æternam anhelet. Si esse velle, naturæ congruus est appetitus, magis proprius, benè esse: Maximus semper benè velle esse, quod sola æternitatis scientia instruit. Duplex est æternitas, vel duplicato dispartitur: Præmium in cœlo, est æternitas; Pœna in inferno, est æternitas: Vno suspirio, vno bono opere fælix acquiritur, vno furore sceleris, vno peccato infælix & comparatur. Misericordia Causidicus æternitatis beatæ, Iustitia Iudex & Executor malæ æternitatis. Deus ipse æternus & ex natura, & ex attributis æternis, breuia opera & remunerat, & punit æternè. Ad bonā æternitatem suspirare debes, Anima, desiderio possidendi: ad malam suspirare timore incidendi. Difficilis erat scientia æternitatis ante Incar-

nationem Christi; Benedictio temporanea, & merces finita, proponebatur populo credenti. Iam æternus Doctor ab æternitate veniens, accidentali habitu, quò meliùs & probabiliùs persuaderet æternitatis doctrinam, professus publicè veritatē eius, sāguine cōfirmauit proprio. Rari talis veritatis Discipuli! Pilat⁹ quæstione proposita Domino: *Quid est veritas?* Respōso se subtraxit, Pōtifices scissa veste veritatem æternam blasphemiā dicere putârūt, Herodes tacitā veritatem spreuit, puritatem albæ vestis indumento nolens ignorāsque confessus. Quid enim Doctrinæ succus Saluatoris expresserat? Nisi caduca contemnere, æterna petere, toti mundo vale vltimum dicere, cælum suspirio virtutibúsque salutare, vili pendere transitoria, æterna pondere contemplationis æstimare? Promiserat in paradiso Deus creato Adamo, æternitatis possessionem: vnica lex obedientiæ addita, quâ violatâ, æternitatis beatæ exclusus præmio,

Ioā: 18.

in alteram æternitatis pœnam cõdemnatus fuit. Non ſtatim executio ſubſecuta, vt in Apoſtatis Angelis, vitæ terminus propoſitus hîc mũdus, tanquam medium inter duas æternitates aſſignatum, vt duratione mũdi, adhuc via redux, ad promiſſæ æternitatis bona inueniri poſſet. Impoſſibile erat, finito circulo incluſum hominem infinitæ culpæ remedio ſubuenire, æterni operis manu reficiẽda erat tranſgreſſio æterni Legiſlatoris, Pœna verò in æternum bonum cadere non potuit. Inuentum remedium, quo & æternus ſatisfaceret, & in nõ æterno corpore ſupplicio deleret cõtractam inobedientiæ maculam. Tãta æſtimatio æternitatis in cœlo, vt pomi vnius eſu amiſſa ab homine, totius ſanguinis effuſione, à Deo ſimul & homine redimi debuerit. Aperuerat Deus librum Miſericordiæ, in eo ſex diebus opera creationis exercendo; Peccato ſubſecuto, clauſus gladio. Alter liber Iuſtitiæ apertus, quo aliquot millibus annorum nulli licu-

it ingredi cœlum. Misericordiæ librũ vidit Ioan: in Apocal: clausum: *Vidi in dextera sedentis supra Thronum, Librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtùs terram, aperire Librum, neq; aspicere illum.* Et postea: *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid aperire Librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi Agnum stantem tanquam occisum, & venit, & accepit de dextera sedentis in Throno librum; & cùm aperuisset librum, quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt corã Agno.* Mirabilis combinatio, ex Leone factus Agnus, stans, quasi occisus, imò viuus! Vt Iustitiæ satisfaceret, tanquam Leo, Diaboli catenas disrumpens, infernumq; conterens: Iniuriã seductæ naturæ humanæ morte suâ vindicauerat, Misericordiam ostẽdit, cùm tanquam Agnus vinciri, occidi, se passus fuerat, Resurrectione verò gloriosâ, & Carnem coniunctam Di-

Apocal: 5.

uinita-

uinitati propriam, & nostrûm omniũ coniungendo Diuinæ æternitati, in claritatem impassibilitatis transformauit. Non factus Agnus propter Angelos deturbatos cœlo, spiritui peccanti æternitas irreuocabilis damnata, vno momento à delicto denunciata. Propior fuit gradus Christo, vt spiritui subueniret, & in spiritum inferiorem se demitteret, facinus eius faciliori compendio eluendo: verùm fortè quia spiritui æternitas debebatur vna, per superbiam amissa vna æternitas, sine interstitio alia æternitas infælix successit. Homini, spiritu & carne, prædito cum bestijs, ex parte communi sensu & corpore, medium terrenum habitaculum profuit, quo commotus Deus, antequam spiritum separatum morte à carne inferni æternitas exciperet, assumptâ Saluator humanitate obuiauit periculo, pereuntemq; creaturã, ad gloriæ æternæ portam, quam sanguine reserauit, admisit. Tanti constitit amissa æternitas, vt æternitatis

solio relicto secunda Dei persona, incredibili nisi fides astrueret, exemplo, sub humanitatis velo latens ad tempus carne mori, Misericordiâ inuitatus fuerit. Et nos miseri inculpãdo pomum Adami, siliquis vescimur prohibitis, & post Passionem tam atrocem Diuinam, pro exiguâ voluptatula redimus ad eiuratum pactum cum Diabolo, æternitate vtraq; non considerata, ruimus in præcipitium crudele, fine carens, salutem caducã conseruare cupimus, de æterna vix cogitamus. Eloquentiæ Magister inculcat solicitudinem de valetudine: *Valetudinem tuam cura diligenter.* Hoc ipsum dico tibi, Anima, valetudinẽ tuam æternam cura diligenter: quot symptomata, quot medicinæ, quanti sumptus adhibendi, vt saluti succurratur, vt vita prolongetur? Vt vita æterna possis frui, adhibe medicinam conuenientem morbis; affinitas non exigua intercedit inter morbos corporis & Animæ, & medicinas vtrarumque: *Ars medicinæ curat morbos,*

Cicero.

Bell:

& ægri-

& ægritudines corporum, Scriptura Sacra, (& Doctrina Christi) *animus affectus, & peccatorum vulneribus medetur.* Tu Anima, si ad æternitatis senium vitam distendere cogitas, occupa te aliquot similitudinibus inter morbos & medicinas, Animæ & corporis, vt quã ratione hîc curantur corpora, tu te ipsam vegetam æternitati cõstituas, instructioneq; meditationis appetitũ æternitatis beatæ in te concites. Infiniti morbi cùm sint, ad generalia medicamenta ferè recurrunt Medici, vel potione, vel euacuatione humorũ, aut sanguinis, vel sudoribus subueniunt ægrotis. Acutus morbus inter cæteros est *Mania*, extra sensum loquitur insanus, omnia Regna imaginatur propria, insurgit quotidiano risu, plenoq; fastu, interim aliorum contemptui exponitur, vincitur, verberatur, vt ad priorem integrum redeat intellectum. Spiritualis Mania, non alia quàm *Superbia*, quæ supra se attollitur, putat se esse aliquid; Deo, Regibus æqualem se reputat: *Super-*

Cõc: 4. super Dom: Adu.

Ps: 73

bia eorum qui te oderunt ascendit semper, magni seipsum æstimat, vt Patriarcha superborum, qui solio æquari voluit Altissimo. Rex oderat superbiã, Psal: 61. & vanitatem aduertit: *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Vanitas mera superbia, vt fumus perit. Extra sensũ loquitur sæpè superbus, Christus de Passione sua, Discipulos acerba detinebat Concione; erãt verba de flagellatione, de crucifixione, audiebant Apostoli, subiungit Euangelista: Mat: 20. *Tunc accessit ad eum mater filiorũ Zebedei cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo; qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram tuam, in Regno tuo.* Extra propositum indiscreto amore materno impulsa venerat mulier, Mania ambitionis dementauerat illã, & natos: quid habuit Passio cum eminentia sessionis in cœlo? Optimus Medicus adhibuit remediũ cognito morbo: *Nescitis quid petatis*; extra rem loquimini, vltra rationẽ desi-

derium vestrum mouetur: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* In calice medicamentum confecit, quod & Ioannes veneno eporo non mortuus, & in oleo tostus liber à mania euasit. Et Iacobus emissione sanguinis è ceruice, vero restitutus Iudicio, sanitatem æternam adeptus. Paulus Doctor gentium agnouit in se turbationem cerebri: *Video aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*; & sibi succurrit medicinâ, affligendo corpus, & alijs antidotum conscripsit: *Exhibeamus nos Dei Ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, vt castigati, & non mortificati*, ait. Propheta Regius maniâ inductus, numerauit capita subditorum superbiâ stimulante. Medicinâ conualuit Diuina, quam laudat: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Saluator videns maniâ spirituali infectum genus humanũ à Dæmone, remedium humilitatis publi-

Rõ 7.

2. Corin: 6

Psal: 117.

cauit,

cauit, patentiaque & obedientia, ingredientijs, nobile confecit Electuarium: *Vitæ nostræ veteri in vitijs enutritæ, contrarietatem opposuit nouitatis suæ.* Humilitatem allatam è cœlo, superbiæ ex inferno apportatæ: *Humiliauit semet ipsum Dominus noster* IESVS *Christus factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Vti Medici cõmendantes medicinam ipsi prælibant, idem cœlestis adimpleuit Medicus: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Vinciuntur phrenetici, est vinculum spiritale amor, est ergastulum spiritale Monasterium, recollectio Claustralis: multi Principes, vt à superbia liberarentur, amore Dei Coronas in paruas Cellulas commutàrunt. Est alter morbus grauis corporis *Hydropisis*, inflat membra tympani instar, à pedibus ferè sæpiùs incipit, tumor inde totum occupat corpus, siti cruciat hominem; *Abstinentia* curari solet, subtractione enim potus subtrahitur humor noxius. Spiritalis Hydropisis *Auaritia* est, inflat marsupia, in-

Gre: Hõ: 32. in Euã.

1. Cor: 9.

Ioã: 13.

pia, inflat animum, mammona iam ex rudi ſapiẽtem, ex vili magnatem, ex paupere Principem efformat; Sitim excitat, iuxta illud vatis: *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Non ſatiatur facilè, à pedibus incipit, vel quòd à paruo auro congregato initium, ad maiorem cumulum ſpe & varijs inuentionum generibus proceditur; vel quòd à ſubditis primum lapidem auaritia ponit, deinde ab æqualibus; & nititur à Superioribus mille artibus & vſuris extorquere peculium: ſic ædificium auaritiæ procedit, nunquam perfectum, vix ipſa morte relinquitur non conſummatum. Ad Dominum venerat Hydropiſi infectus ſpirituali adoleſcẽs, ſanari cupiens, cui Medicus dixit: *Vade & vende quæ habes, & da pauperibus.* Mat. 19. Diſplicuit ingratum pharmacum ægroto: *Cùm audiſſet adoleſcens verbum, abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones.* Rex Dauid edoctus à ſupremo Doctore, reliquit ſpirituale, vt loquar, *Recipe*, contra ſimilem mor-

Psal: 61. bum: *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Si cor apponitur, Hydropisis incurabilis, quia insatiabilis. Pulchrè S. Ber: (De auar: Ser: 44.) *Auarus homo similis est inferno, sicut infernus nunquam dicit satis est, ita auarus nunquam satiatur pecunijs: sicut Hydropicus, quanto plus bibit, tantò plùs sitit; ita auarus quantò plus acquirit, tantò plus concupiscit.* Auaritia & Cupiditas sorores sunt. Remedium, subtractio noxiæ materiæ in Hydropisi, non aliud in spiritali; non audiendus mundus quid dicat, qui placido necessitatis verbo multa occupat: mundanum si interroges, ad quid tibi tãtus aceruus? Indigeo, respondebit, tali summâ pecuniæ, indigeo maiori, & semper indigebo vltra. Necessitates istæ sunt sæculi, de quibus erui petijt, Rex Propheta: (Psal: 42.) *De necessitatibus meis erue me.* Anima mea, ne tantoperè sollicita sis circa diuitias; habes Patrẽ in cœlis, qui verè scit quæ tibi sunt necessaria, & prouidebit. Habes Syngrapham certam à Deo: (Mat: 6.) *Primum quærite Regnum Dei, & Iustitiam eius, & hæc*

omnia

omnia adijcientur vobis. Sed nos non fidimus Deo, dicit Bellar: *Si tibi Iudæus aliquis mille, aut duo millia coronatorũ polliceatur, & Syngrapham ab eo scriptam & consignatam habeas, absq; vlla solicitudine dormis, & tamen quid aliud miser, quam syngrapham vnius infidelis habes? At verò non vnam, sed multas Dei syngraphas habemus, quibus nobis omnia ad vitam istam sustentandam necessaria pollicetur, & tamen solliciti ita sumus, quasi Deum vel impotentem, vel deceptorem esse crederemus?* Et infra: *Auari diuites Andream imitantur, ac dicunt: Habeo quidem quinq; panes, sed hæc quid sunt inter tantos? Quis pauperum petitionibus satisfacere posset? Et quid si anno sequente annonæ caritas inualesceret, & ego mihi & meis ante non prouidissem! Non sum ita diues vt homines putant, imo verò si rectè cogito, ego etiam pauper sum. Ah miser, verè pauper es, pauper charitate, pauper misericordia, pauper gratia, pauper humanitate, pauper spe gloriæ sempiternæ.* Medicina à Christo parata, contra sitim hanc peruersam omnia distribuit, & vestes & corpus sepeliendum, vt mede-

Bell: c.28. in Dom: Læt.

dere-

deretur malo tumoris. Pro auro emuntur in mundo bona & possessiones, & vocantur in Polonico idiomate stabilia, & veluti æterna; deceptio summa, ad vitam, empta sunt. Pro contemptu auri coëmuntur in cœlo bona, & propriè sunt æterna. Ibi & sitis extinguetur, cùm torrens voluptatum ori aderit: hîc toleranda sitis & desiderium congregandi amouendum, sedato tumore vitæ defluet Hydropisis terrena, succedente æterna sanitate. Dominus in Cruce adhuc guttulas sentiens sanguinis in corpore, clamabat, *Sitio*, volens reliquias emittere. Totus ergo effusus sanguis, vt plenum gaudium Electi possiderent, dicetque fideli Animæ:
Mat: 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Immerge te, non sities amplius, intra in gaudium, quod nullâ intemperie turbabitur, quia ipsius æternitas immutabilis, est fundamentum. Nec aula vt splendoribus ita morbis caret, specialis morbus ab alijs *Aulæ*, ab alijs *Gallicus* appellatur, frequenter aulicos

inclusos sudoribus detinet. Certè Dei dispositione factum, vt cùm variâ libidinum incentiua & noua excogitarentur, etiam è nouo orbe pœna cõpareret, vt quos Dei timor coërcere non valuit, horror morbi à fæditate deterreret: Medicinâ repertâ, secessus ad conclaue calidum, & temperãtia, quandoq; ad ignem copioso sudore curatur. Spiritalis morbus non dissimilis, imo mater Aulicæ infirmitatis *Luxuria*, quæ animam inficit, & tetrũ odorẽ inferni redolet, eiectâ ab âula cœlesti, pharmacum sume non dissimile. Affecta Anima tali morbo secessum quærat, non euagentur sensus, qui sunt lenones Luxuriæ, in cubiculo cordis retineantur: si prodierint antequam sanentur, nil proderit medicina. Doctoris summi cõsilium: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Addatur calor & abstinentia à cibo & potu, ignis etiam applicetur ex Sententia D. Ber: qui scribens ad sororem, ait: *Itaq; soror*

Mat. 15.

in Chri-

De modo bene viuen: Ser. 23. de Fornic.

in Christo dilectißima, si te caro adhuc impugnat, si te adhuc luxuria tentat, si te adhuc libido inuitat, si te adhuc memoria fornicationis cruciat, memoriam mortis tuæ tibi obijce. Propone tibi futura tormenta, futurum Iudicium, reduc ad memoriam horribiles pœnas inferni, ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, maior ardor minorem ardorem superet: sicut clauus clauum expellit, ita sæpe ardor gehennæ emittet foras ardorem luxuriæ. Idem de parcitate cibi optimo luxuriæ remedio: *Per ieiunium fornicatio superatur, per ieiunium luxuria extinguitur, remota saturitate non dominatur luxuria.* Et infra: *Vbi venter est cibis repletus, ibi est ignis luxuriæ succensus. Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur atq; ædificatur in Anima, ita & per suauitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, & confortantur in corpore. Ideo tres pueri in camino ignis non arserunt, quia abstinentes fuerunt: Daniel etiam ideo liberatus est de ore Leonum, quia seruauit in se abstinentiam ciborum.* S. Hieron: testatur, abstinentiâ & fame voluntariâ, tentationes libidinis se euasisse. Cùm

Ser. 24. de abstin.

enim vario imaginationis impetu im peteretur circa Luxuriæ obiectum, reiecto cibo, de ſedanda fame cogitationes illas diuertit, & ieiunãs ſuppreſſit. Ignis Infernalis menti, Spiritus Sancti gratiâ impreſſus, expellit luxuriæ incendium. Diſcipulis Spiritus Sanctus in igne apparuit, vt fomes ignis cõtrarij ab eis amoueretur, & perpetuò extingueretur. Dauid ambuſtus igne Berſabeæ, quo pharmaco fuerit ſanatus, non reticet: *Probaſti cor meum, & viſitáſti nocte, igne me examináſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Psal: 16. Pudore affecti morbo *Aulæ* latebras quærunt vt ſanentur, & ſilentio tegere ſatagunt; ita Rex in Aula infectus, ſpirituali ægritudine in ſecreto noctis torquetur, & perfectè conualeſcit. Cor Chriſti apertum emittit ſanguinem & aquam, vt ignis concupiſcentiæ & igne temperetur, & aquâ euaneſcat. Inter infirmitates moleſtas eſt morbus *Colicæ*, cuius cauſa ventoſitates, ſanguine educto, & fomento caloris diſſipantur venti. Affectus

fectus morbo sentit statim, qua in parte punctura corporis molestet, requies nulla superest, nec lectus capacissimus sufficiens dolori, etiam terra supplet strati angustias. Spiritalis est morbus talis *Inuidia*, Anima inuidiâ obsessa, ventis ambitionum, & alienarum fælicitatum inquietatur, nec ferre potest, vt alter vel paritate coniungatur, vel vberioribus fortunæ donis præferatur: vt sicut in Colica caput membris condolet, ita inuidus omnium prosperitate pungi se falsò imaginatur, seipsum côficit, & computrescit tabe. Secundùm Sapientem enim: *Putredo ossium Inuidia.* Remedia Spiritualia duo contra Inuidiam proponit Apotheca Bellar: *Vnum est sapienter intelligere, nihil esse infra lunam verè magnum, & inuidiâ dignum. Alterum sæpè ac seriò cogitare, non solùm inuidos nihil ex inuidentia sua lucrari, sed etiam nihil eis nocere quibus inuident, quin potiùs Deo prouidente sæpè numero accidit, vt inuidus inuidioso mirabiliter prosit.* Exempla deinde apponit, vt homini Diabolus,

Prouer. 4

bolus,

bolus, Abeli Cain, Iacobo Esau, Iosepho fratres, Dauidi Saul, Scribæ & Pharisæi Christo. Adeò oderat in Cruce inuidiam Saluator, vt non tantùm non recusaret sanguinem pro omnibus fundere, quin & post mortẽ è latere residuum emisit, quatenus ab inuidia sanaretur genus humanũ, & pro inimicis effluxit imitationis exemplo, quo & nos prostituere, si nõ sanguinem, compassionem adminimùm non vereremur. *Caninus appetitus* timetur à Medicis, quo homo vorat multa, non instigante esurie. Tribus de causis tale cognomen obtinuit: Tum quòd canes custodiant mensam, & circumeant sæpiùs, & latrẽt, & indignentur, si bolo guttur frustretur, Tum quòd ossa & medullas carnium, diligenter rodant: Tum quòd aliquando nec ipsi deglutiant, nec alijs esurientibus concedant frui residuo. Sanatur hic morbus dextrâ & prudenti Temperantiâ victûs, experti & eruditi Medici. Æuo nostro Romæ, quidam tali infirmitate despe-

rata ſalute conſumebatur: Doctor opiparum conuiuium ei appoſuit; altero die vno cibo minùs; & quolibet die demebat de conſueto demenſo: ad eam temperiem reduxit ægrotum, vt inanimaduertẽter ſolo pane & vino refectus, veri appetitus normam reſumpſerit, fugato falſo. Propheta ſpiritualem morbum hunc depingit: *Famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem.* Et iterum ibidem: *Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt.* Caninus appetitus eſt *Gula*, quæ pauperum medullas & ſubſtantias exhaurit, vt largiori cibo ventri ſatisfaciat. Canina fames illorum, qui vel ſcrinijs gazam aſſeruant, vel beſtiolis & muribus horrea corrodenda potiùs proponũt, quàm vt miſerorum neceſſitati ſubueniant; nec vſui proprio, nec alieno commodo, inſeruire permittunt. Tẽperãtia, medicina eſt, quæ vt ſapienti iudicio obſeruetur, victûs ratio ſolers teneatur, vt S. Bern: ſorori ſcribens, ſuadet: *Sic debes nutrire corpus tu-*

De Abſti

um, vt non superbiat; sic debes reprimere, vt non cadat; sic debes reficere carnem tuã, vt seruiat; non congregare horrea, & dicere: Comede, epulare Anima: quia ea breui repetetur, & quæ reliquisti, cuius erunt? Potes quidem, Anima, seruare aliquid, futuri anxia, in Dei gloriã, & defensionem Ecclesiæ, purâ intentione. Et fortè doctrina ex latere Christi sumi ab Anima Christiana poterit, effuso sanguine in vita, retento sanguine post mortem, necessitate, vel potiùs Diuinâ voluntate, oculus vterq; Longini sanatus: reliquiæ post mortẽ piorum, multũ pauperorũ famelicos curant morbos. Et tu, Anima, retine semper appetitum, cum Domino tuo dic, *Sitio, Esurio,* ingluuie condemnatâ, hîc fames toleranda, in cœlo refectio: communi experientiâ discimus, quòd *Qui meliùs esurit, meliùs comedat*: qui æternitatem beatam perfectiùs esuriet, solidiori cibo iucundæ saturabitur æternitatis. *Febris,* affectio praua, debilitat corpus, & quãdoq; deliquio alienat Animam, &

nen. Ser: 24.

extra sensum linguam movet: sanguis è vena prodest eductus, & si frigus calido, si è contra, frigido remedio sedatur. Spiritalis febris est *Ira*, inflammat Animam, duobus ostijs se exonerat, linguâ & manu. Medicina è latere Christi sanguis profluens, calorem immodicũ fugat; aquâ eiusdem, incendium restinguit: duos illos sectatores iræ Redemptor coërcuit, & occlusit ostia in Cruce; linguæ, orans pro inimicis; manui, ictu accepto à Longini dextera, non reddẽdo vim vi vindictâ. Pharmacum

Cõc: 10. super Psal: 90. Iræ, inter alia apponit Bell: *Si omnes homines quasi membra vnius corporis esse cogitaueris: certè enim si vnum membrum alterum lædat, non cogitas de vindicta; vt si lingua mordeatur à dentibus, non curris ad tonsorem, & dicis: Erue dentem istum, quia linguam momordit. Ad eundem modum, cùm quis iniuriam tibi facit, cogita vnum membrum ab alio lædi, nec vltione, sed patientiâ opus esse.* Sequitur delicatorum morbus *Podagra*, Magnates inuisit sæpiùs & nummosos, tangi se non per-

mittit,

mittit, à longe veretur periculum, horret vicinum, ne attactu pes doleat. Ex causâ aliquando calidâ, aliquando frigidâ, origo; obuolutione variarum rerum minuitur, vini abstinentiâ decrescit. Spiritualis Podagra, quid aliud nisi *Acedia?* Diuites & Monarchæ, rarò Ecclesias frequẽtant, Oratorijs priuatis, breui Sacro, compendiosa deuotione occupantur; non permittunt se tangi & reprehendi etiam à Spiritualibus Medicis; à longe etiam Concionatorum exprobrationes (maximè si publica sit correptio) verentur, & vindictâ vlciscuntur. Causa morbi, vel frigidâ ad res Diuinas reflexione, vel calidâ ad terrenas impressione: obuolutio pedum necessaria, cogitatio finis vltimi & mortis, Passionisque Saluatoris, expellit Podagram. Nunquam Dominus noster Podagrâ laborauit: tota eius vita in exercitio pedum, quos tãdem & Cruci affixit, & non cessauit à labore ad ipsum agonem. Et à vino abstinentia medetur morbo: ha-

bes, Anima, aquam è latere Saluatoris, minuet affectionem cogitatione seriâ immissâ; intra in Oratorium lateris aperti, & ibi exora pedum agilitatem, vt non iaceas, sed stes, cũ
Psal: 25. Rege tuo: *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine.* Et currat cũ
Psal: 118. illo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatásti cor meum.* Liberatus Rex à Podagrâ concupiscentiæ & homicidij, imperat vt omnes impleant tẽplum Domini, & ipse in spiritu adesse desiderat: *Constituite diem solennem in condensis vsq; ad cornu Altaris.* Et ipse
Psal: 117. confitetur palam: *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.* Sunt & alij varij corporis morbi, qui similitudine exprimunt Animæ debilitates. Quid *Ruptura*, nisi infectio *Arriana*, & *Hæreses*? Illa Diuinitatem Christi separat à Patre, æternæ essentiæ æqualitate blasphemè Filio denegatâ, ideo impiè sed meritò Arrius ruptura perijt: de quo Christus scissâ veste scilicet, rupturam ab Arrio factam Ecclesiæ, conquestus fue-

rat Petro Alexandrino. Hæreſes doctrinam Sacram variâ interpretatione, & maleuolâ explicatione lacerant. Quid *Dolor capitis*, niſi antiquũ *Schiſma?* quod vero & legitimo capiti ſubmittere ſe detrectat. Quid *Calculus*, niſi *Oppreſſio Pauperum?* quæ ſummo cum gemitu & fletu miſerorum, è veſicâ pecuniariâ extrahitur, & obduratur in renibus Auaritiæ, ac in maſſam lapidis conuerſa, nulla re molliri poteſt nec periculo mortis, nec periculo damnationis. Quid *Lepra*, niſi *Excõmunicatio*, & gladius ſpiritualis? qui eijcit & ſeparat à conſortio, & gremio Eccleſiæ, extra Ciuitatem Hieruſalem cæleſtis, tanquã indignos. Dominus remiſit Leproſos ad Sacerdotes in Euangelio, innuens eſſe Spiritualem infirmitatem, quæ humilitate, reſtitutione rerum ablatarum è Domo Dei, contritione peccatorum grauiſſimorum efficaci, deletur & tollitur. Quid *Paralytici*, niſi *Atheiſtæ?* qui nec minimum ſenſum rerum Diuinarum nôrunt, & vt

Ser: 76. ſuper Cãt. S. Bern: ait: *Alto demerſi obliuionis ſomno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiſcuntur, vt vel ſuum ipſorum periculum expaueſcant.* Præſentiſſimum omnium morborum antidotum, in Latere Saluatoris, tãquam nobiliſſimo pharmacopæo, latet: Eſt aqua roſea, rubeo colori aſſociata, quâ capitis dolor abſcedit. Eſt coagulum ex aquâ & ſanguine, quo ruptura coaleſcit. Eſt ſanguis immaculati Hædi, & fortiſſima aqua, quo calculus diſſoluitur. Eſt aqua Iordanis, quâ lota Anima peccatrix, à leprâ liberatur. Eſt piſcina probatica, quæ Paralyſi ſpirituali ſubuenit. *Miſſus* & Emiſſus ſanguis & aqua, Chriſti piſcinâ, ſanãs. Paralyticus in Euangelio non habuit hominem, à quo in piſcinam fuiſſet immiſſus: Anima peccatrix Paralytica, habet & hominem & Deum, & apertam Piſcinã Latus Domini ſemper ad manum: Medicina obuia, quâ vti frui poteſt Anima. Scrupuloſorũ circa ſanitatem conſeruandam mos, vt quolibet Anno, etiamſi validi ſint

valetudine, corpus expurgent. Scrupulo tali indiget Anima; *Exercitia* inuenta, quæ labem contractam extrahunt: ad minimum, Anima, semel in Anno adhibeas, & exoneres onus peccati. Reperiuntur alij, qui quotidie præseruatiuâ conseruant corporis sanitatem: similiter fac, Anima, cum Rege tuo: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ.* Psal: 118. Quàm dispar medicina spiritualis à sæculari, vel Animæ à corporis. Hæc ad exiguum tempus medetur, & quãdoq; magis offendit: illa æternæ vitæ incolumitatem operatur. Si inueniretur Medicus, cuius ad centũ Annos medicina prolongaret vitam: quanto studio, quanto pretio compararetur? Medicina Christi, æternam valetudinẽ propinat in poculo afflictionum, & tamen reijcitur. Quis vnquam expertus gustu suauem haustum, quo corpus sanari cupit? Et Anima delicato palato & dorso, excipere desiderat medicinam vitæ æternæ? Non aliâ causa, Modicum vitæ

huius præfertur erroneo iudicio, æter nitati. Saluator discessurus ad Patrem, dixerat Discipulis: *Modicum etiam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me!* *Dixerunt ergo ex Discipulis: Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur.* Verè & ipsi tunc, & tu Anima, & omnes mortales nesciunt quid loquuntur Concionatores, Cõfessarij, inspiratio Diuina, exempla morientium quotidiana: clamant omnia: *Modicum in hoc mundo.* Et tu, Anima, longum putas, & post mortem inuerso ordine modicum imaginaris? *Hoc modicum longum vobis videtur, quoniam adhuc agitur: cùm finitum fuerit, tunc sentiemus quàm modicũ fuerit.* Omni actione Deus in carne Modicum declarauit: In vtero modicum, in Præsepio modicum, in Vita modicum, in Passione modicum, in Cruce modicum, in Eucharistia modicum. Imò & cœlum & terram creauit per modicum vnum, *Fiat.* Et ipse è cœlo in vterum descendit, per verbum Deiparæ modicum, *Fiat.* Quæres fortè, Anima,

Ioã: 16.

S. August: in Ioan: Tracta: 101.

quod

quod efficaciùs modicũ *Fiat*, an Dei, in creatione rerum omnium; an MARIÆ, in detractione voluntariâ Dei in vterum? (Nolo esse Iudex, contẽplationi potiùs deuotæ relinquo.) Modicum in mundo factum est, propter longum & æternum in cœlo: Christus ergo vt modicum æterno copularet, Diuinitatẽ æternam modico corpori sociauit, Sanguine mercatus hoc modicum genus humanũ, vt in æternam fælicitatem ingrederetur. Post creationem, in Paradyso ad modicum Parentes nostri delicijs vtebantur; Modicum pomi sumpti, eiecit è loco voluptatis: Iustitia Dei, quæ non est Modicum, æternam pœnam assignauerat. Misericordia Dei, quæ non est modicum, lenire Decretum cogitauerat: Quid factum? Hoc quod ipsemet Dominus in Euãgelio enarrat: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis*. Ioã: 10. Mirabilis consequentia! Ex notitia reciproca & relatiuâ, Patris & Filij, sequitur, vt Animam po-

nat Filius pro Ouibus ? Mysterium insigne: Nouit Pater, & Filius, attributa omnia, quæ erant necessaria pro genere humano, eliberando. Quæ ? Nimirum Iustitia & Misericordia: Misericordiam in Patre agnouit Filius, & Pater in Filio Iustitiam. In mundo, ante aduentum Saluatoris, vt diximus priori Capite, non apparuit Misericordia Dei. Oseæ Prophetæ dixit Dominus: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: & abijt & accepit Gomer, & cōcepit & peperit ei filium, & dixit Dominus, voca nomen eius Iesrahel : Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iesrahel super domum Iehu. Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei, voca nomen eius, absq; misericordia: quia non addam vltra misereri domui Israël, sed obliuione obliuiscar eorum: & concepit & peperit filium, & dixit, voca nomen eius, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester.* Homines raram agnoscebant misericordiam Diuinam, Iustitiæ etiam notitia ignorabatur: in errore mundus

Oseę c. 1.

posi-

positus, variorum Deorum cultu occupabatur, eosq; adorabat. Vt ergo notitia esset & Misericordiæ Patris, & Iustitiæ Filij, descendit de cælo Iustitia, quæ Misericordiam simul traxit. Anima posita & occisa, Domini, pro ouibus, iram Patris amouit, misericordiam publicauit, ex non populo Dei oues suas effecit, vt ipse loquitur: *Cognosco oues meas, & agnoscunt me meæ.* Æterna misericordia, æternæ iustitiæ satisfecit, vt modicum genus humanum, ab æterna morte ad æternam vitam transferret. Contemplatus concurrentiam misericordiæ Diuinæ, cum iustitia Diuinâ, Rex Dauid, miratur, & agit gratias, dicens: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt: veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Christus Dominus fuit veritas, proprio testimonio: *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* De terrâ orta, quia carne humanâ induta, è cœlo per fenestram misericordiæ prospexit. Vbi ergo obuiauerunt sibi, Misericordia & Veritas?

Ioã: 10.

Psal: 84.

Ioã: 14.

Vbi Iustitia & pax, osculatæ sunt? In Horto. Sanguineo sudore madens, apparente Angelo, dixit Redemptor: *Pater, si fieri potest, transfer à me Calicem hunc.* Ecce Misericordia, subiunxit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ecce veritas. Ibidem etiam *Iustitia & pax osculatæ sunt*: Iudas osculo tradidit Dominum. Agnouerat Christus in osculo Iudæ, Iustitiam Patris, & ideò blandè alloquitur illum: *Amice, ad quid venisti?* Ecce Iustitia: Pax ipse Dominus. Cùm enim dixissent Discipuli: *Domine, si percutimus in gladio, respondit: Sinite vsq; huc.* Pax erit post osculum Iustitiæ, quam Rediuiuus toties promulgauit Christus, apparendo Discipulis; *Pax vobis.* Tanto pretio camparatâ æternitate à Deo nostro, tu Anima, in hoc modico vitæ tuæ, gemitu & suspirio gratam te exhibeas, conerisq; effundere lachrymas pœnitentiæ, quæ finito hoc modico, conuertentur in gaudia, & symphonias iucundissimas. Si in Nuptijs Canæ Galilcæ Christus initium mi-

raculorum fecit, conuersione aquæ in vinum; quid non faciet in Cœna, ad quam nos inuitat? In liquorem pretiosum lachrymas iustorum distillabit Xerxes fleuit, animaduertendo Centum annis non superuicturum ingentem exercitum: Et tu, Anima, defleas caducarum rerum mutationē. Legimus de viris, qui multis annis in mundo vixerunt: Adam vixit Nongentis annis, & mortuus est: Mathusalem pluribus, & mortuus est. In cœlo legetur: *Iusti autem in perpetuum viuent.* Et Poëta dicit: *Quo tantùm mihi dexter abis, huc dirige cursum, Littus ama.* Et tu, Anima, ama littus: finis enim tuus est Beatitudo æterna, verè securum littus, illùc cursum actionum tuarum dirige, expectat te denarius diurnus, quod est Præmium tuum, & ouali figuræ, & diei semper duraturæ, temporiq; infinito assimilatum, tempus ibi nullum. Modicum hoc in quo viuimus, distinctos tres terminos habet temporis: *Est, erit, fuit.* Æternitas solo *Est* terminatur, si termi-

Sap: 5.

nari

S. Damiem. sup: Hierem.

nari poteſt: *Nihil longum quod finem habet: Æternitati comparatum omne tempus, breue eſt.* Et conſolationes, & dolores non longi in mundo, ſi quid afficit, deſinit; ſi quid recreat, deficit. In cœlo ſi quid delectat, ſemper manet; ſi quid turbaret, amotum, eſt: Dolor mortalitate abripitur, Gaudium immortalitate ſolidatur. O amplectenda æternitas! Sed quàm porta anguſta ad te? Momentum vnum Ianua tua, Idæa eſt Latus Chriſti, Ingreſſus exiguus lanceæ, & nullus egreſſus; introitus paratus æternitatis Diuinæ, ſanguine Domini, & aquâ contritionis: Baptiſmo fluminis, flaminis & ſanguinis, Anima infertur cœlo. In Cruce teſtamentum, condidit Redemptor, Executio teſtamẽti talis: *Ecce Mater tua.* Sanguis Chriſti qui ab illa ſumptus: *Ecce Filius tuus;* Aqua Baptiſmi per regenerationem, quæ Coronam triumphalem in cœlo præparauit Electis. Antiquitas Coronam triumphalem dabat victoribus, & Sponſis Quercinam. Chriſtus

paratus eſt tibi, Anima, imponere Querneam Coronam (quæ æternitatem duratione figurat) qui pro te ſpineam geſtauit, & ſtolâ primâ induere, quâ Filius prodigus, Patri reconciliatus, veſtiri meruit: Tu tantùm perſeuerantiâ lachrymarum, & gemituum aſſiduitate eam promerearis. Nulla deſcriptio ſufficeret gloriæ, & glorificationis beneficio: ſuperat omnem ſuauitatem *Æternitas*, deſiderabilemque reddit glorificationem. Reſerua te, Anima, ipſa, Deo dante, affectu abſorpta in fælici æternitate, comprehenſuram tantum Dei beneficium ſanguine Chriſti: Interim pro Corollario habeto, quod Angelus ad conſenſum verbi Diuini Conceptionis, MARIAM alliciens, non aliâ facundiâ cœleſti commendat Regnum illud, quàm his verbis: *Ecce concipies & paries Filium, & vocabis nomen eius* IESVM; *Hic erit magnus, & Filius Altiſsimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum*: (Hic energia)

gia) & *Regni eius non erit Finis.* Meo autem Opusculo, cuiuscunque laboris illud sit, imponatur Finis.

ORATIO.

DEVS, qui ex vulnere Lateris Filij tui, sanguine & aquâ defluente, oculum internum & externum Longini sanâsti: humillimè precor, digneris Balneo pretiosi sanguinis Domini mei, scelera sensuum omnium, maximè verò oculorum, quibus potissimùm Maiestas tua offenditur, perfectè abluere; vt aquâ pœnitentiæ & lachrymarum, emundatus, gemitus & fletus damnatorum euadere, & in cubiculo aperti cordis Redemptoris mei hîc quiescendo, ingredi merear, promeritam cruore eius Sanctissimo, glorificationis æter-

næ portam. Per eundem Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.


AMEN.


Non nobis Domine, non nobis: sed Nomini tuo da gloriam.

IESVS, MARIA, ANNA.




CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.







Biblioteka Jagiellońska
stdr0027910



Suspiria Anim
Pœnitentis
Illmi D. Ra